15 415.

Ue. 7358.

2°

Biblioteka Jagiellońska
stdr0017907

Ad.: Berol. Ue 7358

00133623D

ITER IN MOSCHOVIAM

AUGUSTINI LIBERI BARONIS
DE MAYERBERG,
CAMERÆ IMPERIALIS AULICÆ CONSILIARII,

ET

HORATII GULIELMI CALUUCCII,
EQUITIS, AC IN REGIMINE INTERIORIS
AUSTRIÆ CONSILIARII,

AB AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORE

LEOPOLDO,

AD TZAREM ET MAGNUM DUCEM
ALEXIUM MIHALOWICZ,

Anno M. DC. LXI. Ablegatorum.

Descriptum.

AB IPSO AUGUSTINO LIBERO BARONE
de MAYERBERG, cum Statutis Moschouiticis ex Russico
in Latinum idioma ab eodem translatis.

Ex
Biblioth. Regia
Berolinensi.

ITER IN MOSCHOVIAM.

Rerum in Imperio Rufforum vicissitudines usquè ad Tzarem Alexiũ Mihalowicz.

RUſſorum Imperium, quod nunc Moſchoviticum appellamus, ad utramque Boryſthenis oram latè olim extendebatur. At ineunte undecimo æræ Chriſtianæ ſeculo Polonis priùs hinc, & deinde illinc Lituanis illud impetentibus, longâ quadringentorum fermè annorum adverſi Martis irâ valdè acciſum fuit. Totum enim Boryſthenis à fonte ad oſtium ferè tractum cum albâ & nigrâ, ſeu rubrâ, aut paryâ, Ruſſijs, ac ampliſſimâ Severienſi ditione Poloni, & Lituani Ruſſis Principibus per multas expeditiones paulatim extorſerunt. Imò Vitoldus Magnus Lituaniæ Dux magnam etiam Novogardiam, & Pleſcoviam eis anno 1414. eripuit. Verumtamen, cùm ſenior Joannes Baſilides Tartaricæ ſervituti ſe, Moſchoviamque ſuam magnanimo auſo ſubduxiſſet, Novogardiam magnam anno 1477. poſt ſeptennalem obſidionem regnante in Polonia Tertio Caſimiro recuperavit. Quomodo deinceps tranſfugientibus à Lituano Alexandro genero ſuo ad ſe Ducibus Severiæ eam ferè totam in ſuam poteſtatem redegit. Ejus verò filius & ſucceſſor Baſilius anno 1509. Sacerdotum proditione Pleſcoviam, & quinquennio poſt Smolenſciam per transfugam Michaelem Linckzium Sigiſmundo Primo ademptam retraxit.

Stephanus deinde Batoreus trinâ contra Moſchoviam expeditione fortiter, ac feliciter adminiſtratâ ſuperbam junioris Joannis Baſilidis cervicem adeò inflexit, ut pacificam Gregorij XIII. Romani Pontificis interpoſitionem ſpecioſis promiſſis callidus hypocrita imploraret. Vices ille ſuas Antonio Poſſevino Societatis JESU Theologo delegavit, qui, cùm pacta ſalis per leges perpetuæ pacis utriuſque uſui aptas concinnare non valeret, ſuſpendere ſaltem tantiſper eorum voluit iras. Stephanum itaque ad decennales inducias à Joannę prævià Livoniæ reſtitutione redemptas anno 1582. induxit, ut interea rationem recuperandæ ſuis armis, & expenſis Eſthoniæ à Suecis ſibi extortæ, & per pacta Polonis ſimiliter reddendæ, Iuanus iniret: atque Smolenſciæ, Severiæque pariter reſtituendarum conditiones formarentur.

Stephano ipſis Idibus Decembris anno 1586. Grodnæ ab epilepſia è vivis erepto Sigiſmundus Tertius Joannis Sueciæ Regis Eſthoniæ detentatoris filius octavo poſt menſe ſuffectus fuit. Iuani verò filius Theodorus, qui poſt defunctum anno 1584. quinto Kalendas Aprilis parentem hæreditarium Moſchoviæ ſceptrum leviri Hodu.ni manibus

moderabatur, quamvis ab obligatione reſtituendi Eſthoniam, quam Suecia ex pacto in electione Sigiſmundi ſui Poloniæ reddere tenebatur, liber eſſet, Narvam nihilominùs Sueticam in Ingria anno 1590. expugnavit. At quinquennio poſt operâ Ernfridi Liberi Baronis â Minckowicz, & Nicolai Warcolſch à Nebſchitz Rudolphi Imperatoris Legatorum Sigiſmundus fœdus cum eo ad annos viginti duraturum percuſſit, quod anno 1598. poſt hujus mortem cum ſucceſſore Boriſſo Hoduno miniſterio Leonis Sapihæ Cancellarij Lituaniæ confirmavit.

Anno deinde 1604. qui monachum exuerat, Griska Utrepeia Demetrij Juanowicz ab eodem Boriſſo Uglitzæ perſicarios clam è vivis ſublati perſonam induit; Attamen, licèt Polonicis fultus auxilijs, imprudenter ductæ impoſturæ intra ſeſquiannum pœnas luit. Vacuum verò Tzareum ſolium Baſilius Juanowicz ex Ducibus Suiskijs communi Moſchorum conſenſu conſcendit. Porrò impoſtor alter priori trucidato haud minùs fallax Tzarem Demetrium ſe eſſe, ac tumultui ſeſe ſuffuratum mentiens novis denuò turbis Moſchoviam involuit.

Harum opportunitate Sigiſmundus an: 1609. die primâ Octobris Smolenſciam arctâ obſidione cinxit, unde Moſchi tot hoſtibus impares Tzarem ſuum Baſilium ob adverſam fortunam ſuam faſtidioſè deſpectum exauthorarunt, & Uladiſlaum Sigiſmundi filium ſub conditione ſuſcipiendi baptiſmum & fidem Moſchovitico ritu profitendi ei ſubrogarunt. Cùm tamen Sigiſmundus hanc fœditatem meritò averſans, & Magnum Ducatum ipſe poſt fata demum ſua Uladislao tradendum ambiens, eum Moſchuam, ut illi efflagitabant, mittere cunctaretur, ipſi verò antè adimpletam hanc conditionem Smolenſciam dedere pernegarent, eam tandem Idibus Junijs anno 1611. forti manu expugnavit. Polonos tamèn tunc Moſchuam inſidentes Moſchi deinceps indè ejecerunt; Sed non priùs, quàm totam prorſus urbem incendio ij deleviſſent, & immanem in inquilinis ſtragem edidiſſent.

Tot injurijs, & damnis Moſchovitæ irritati Michaelem Romanowium Filareti Metropolitæ Roſthovienſis filium, nobilis, ſed non clari, generis hominem, abdicato Uladislao dominum ſibi præfecerunt.

Is ſolenni adornatâ legatione apud Romanorum Imperatorem Matthiam inſtitit, ut reddendæ Moſchis, & Polonis pacis author eſſe vellet. Exoratus facilè Matthias Eraſmum Heidelium caduceatorem ablegavit, qui anno 1615. Wieſmæ inter delegatos utriuſque partis medius ultrò, citroquè curſans, eos tamen ad utrinquè grata pacis præſcripta adducere nequijt. Quin imò anno ſtatim inſecuto Moſchi Smolenſciam armis irritis tentarunt. Et deindè Uladislaus cum valido exercitu in Moſchoviæ interiora penetrans ipſam urbem Moſchuam longâ obſidione, & oppugnatione preſſit. Cùm tamen & ipſe domeſticis premeretur anguſtijs, inſtituto circa pagum Divulinum colloquio exeunte anno 1618. inducias ad annos bis ſeptem & ſenos menſes partes pepigerunt.

His expirantibus Moſchi magno apparatu Smolenſciam Ducę Michaele Boriſſowicz Sehino, cui poſtea uti proditori Moſchuæ in publico foro cervices fregerunt, invasêre. Verumtamen à ſuperveniente Uladislao repulſi, male mulctati, & caſtris tandem exuti, in honeſtiores pacis conditiones anno 1634. apud rivum Polanovam inter Wieſmam, & Drohobuſum conſenſerunt, per quas Uladislaus omne jus ſuum ad Moſchoviæ Principatum Michaeli cum titulo cedens, Ducatus Smolen-

Smolenſciæ, & Severiæ cum ſuis titulis in perpetuum poſſidendos retinuit.

Mortuo Michaeli Magno Moſchorũ Duci ſuccedit filius Alexius.

Poſt fata Michaelis ſubitaneâ morte quarto Idus Julij anno 1645. extincti, etiamſi filius ejus Alexius fœdus hoc renovato erga Uladiſlaum priùs, & deinceps illo è vitâ ad XIII. Kal. Junij anno 1648. decedente erga Joannem Caſimirum ejus fratrem & ſucceſſorem jurejurando confirmaſſet, nihilominùs illud poſtmodum inſuper habere voluit.

Urebat Moſchos recordatio cladium, quibus Poloni Demetrianæ fallaciæ aſſertores invaſi Imperij ſui provincias populationibus & incendijs latè vaſtaverant. Et vellicabant ad vindictam eorum animos Smolenſcienſis, & Severienſis Ducatus à Sigiſmundo difficillimis ob eaſdem turbas Moſchoviæ temporibus ab ea avulſi, & ab Uladislao contra ipſorum conamina per extortas ingratæ pacificationis leges fortiter retenti. Captabant itaque occaſionem amiſſa recuperandi, damnaque & injurias ſimul ultore gladio Polonis reponendi.

Cautum inter alia Polanowienſis tranſactionis pacta fuerat, ut ad tollendas in perpetuum diſſidiorum anſas, quas eouſquè errores titulorum porrexerant, horum certa præſcriberetur formula, quâ Reges Poloniæ, & Tzares Moſchoviæ invariabiliter in epiſtolis invicem ſcribendis uterentur. Collegerant itaque attento ſtudio, & accuratè aſſervaverant Moſchi plures Poloni Regis ad Tzarem literas, in quibus affectato (uti ajebant) contemptu, ut autem Rex prætendebat, incuriâ librariorum, & ignorantiâ Moſchovitici idiomatis & characteris errores aliquot leviſſimi irrepſerant. Cùmquè per rebellionem Coſacorum Zaporoviorum retuſam Polonicorum aciem armorum, eaque potenter diſtracta Moſchi viderent, capillos optatæ jam diù, & per opportunè ſeſe offerentis occaſionis promptâ manu ſtrinxerunt.

Qui per Legatos ad Joannẽ Caſimirũ Poloniæ Regem de mutilatis & variatis contra pacta in literis ad ipſum titulis ſuis.

Per Legatum Georgium Haurilowicz Putzkin ejusque ſocios queſtus eſt prolixè Alexius apud Joannem Caſimirum Regem de mutilatis & variatis ex deſtinato dolo ad ſui contumeliam in Regijs literis titulis ſuis, petijtque, ac pertinaciter urſit, ut in earum cujuſcumque conditionis ſcriptores latâ ab Uladislao perduellionis lege ageretur.

Poloni, qui videbant, hæc à Moſchis obtendi, ut illo tam incommodo reipublicæ tempore reſiliendi à fœdere cauſas nanciſcerentur, quò obviam conſilio irent, reſponderunt, decreviſſe Regem, ut dies accuſatis ad dicendam in proximis Comitijs cauſam condiceretur, ad quæ Alexius nuncios ſuos accuſatorum partibus functuros cum probationibus mitteret, certus, quòd in ſontes etiam pœnâ capitis Rex eſſet animadverſurus.

Atque de varijs authorib', qui victorias Uladislai IV. contra Moſchos ſcripſerãt, expoſtulat.

Legatus Putzkin admiſſo Regis decreto alteram produxit, majoriquè graviorum verborum mole exaggeravit querelam. Quòd, nimirum, Joannes Alexander Horczin, Eberhardus Waſſenbergius, Twardovius, Academia Vilnenſis, alijque libris recenter cum ſcientiâ, & conſenſu Regis, Senatûs, & Ordinum vulgatis Uladislai de Moſchis trophæa, de Moſchoviâ triumphos in ſummam defuncti Tzaris Michaelis, procerum, ceterorumque omnium Moſchorum ignominiam prædicaſſent. Hoc autem fœderis Polanowienſis, cujus præſcripto illa æterno debuiſſent ſilentio ſuffocari, apertam fuiſſe violationem, neceſſariò ab Alexio armis vindicandam, ni huic Smolenſciæ traditione,

& proceribus quinquaginta aureorum myriadum ſolutione pro inflictâ injuriâ Rex, & Respublica ſatisfacerent.

Reſponderunt Poloni, ab accuſatis ſcriptoribus liberis hominibus in liberâ Republicâ libros à Moſchis impugnatos Rege, ac Senatu inſcijs editos fuiſſe. Quomodocumqué tamen res ſe haberet, non intelligere ſe, quâ congruentiâ læſam ab illorum ſcriptis Tzaream exiſtimationem Smolenſciæ reſtitutio, & irrogatam Moſchoviticæ genti injuriam auri penſio poſſent compenſare. Futurum potiùs, ut per has viris Principibus, & honeſtis hominibus indignas prorsùs injuriarum ſuarum nundinationes eorum fama magis periclitaretur.

Non fuit ore tam duro legatus, ut in propoſitione perſiſteret; Sed declaravit, abundè ſibi ſatisfieri à Polonis poſſe, ſi paginæ illæ ex libris detraherentur, quæ Tzari & genti ſuæ injuriè detraherent, ut publico igne meritò exuſtæ non meritæ à Moſchis injuriæ actionem extinguerent, & violatæ temerè Majeſtatis pœnas darent. Quod obtinuit. Sed quamvis combuſtæ paginæ illæ fuerint, memoria tamen eorum, quæ continebant, combuſta nequaquam fuit, imò per flammas illas illuminata luculentiùs claruit. Excitata enim inde hominum curioſitas fuit ad noſcendum, quid tandem eſſet id, quod Moſchovitæ tantâ contentione occultatum vellent, ut ejus propalatores ad ignem damnarentur. Et verò inſipientia Anticyram ad bibendum elleborum amandari digna eſt, ut ſuccenſere quis velit ſcriptoribus ad poſteros, quæ ipſe vel peccavit, vel ab adverſâ fortunâ paſſus fuit, veraciter tradentibus. Etenim quoad priora ipſemet, ea minimè committendo, occurrere poteſt, ne ſcribantur. Ni fecerit, quâ juſtitiâ poſcit, ut major bonæ famæ ſuæ ratio ab extraneo quoquam ſcribendo habeatur, quàm ipſe delinquendo habuerit? Quoad poſteriora verò, cùm verti ipſi vitio nequeant, quæ contraria prudentibus ſuis conatibus accidunt, & ab iniquâ ſuâ ſorte temerè immiſſa æquo animo fortiter ſuſtinuit, non eſt, cur indignetur, quòd ſcriptis conſignentur, quæ fortunam, non ipſum, culpant.

Satisfacit huic querelæ Joannes Caſimirus jubēdo juxta legatorum inſtantiam, ut paginæ aliquot librorum ab accuſatis Authoribus editorum comburerentur.

Proſecuturi deinceps introductam de titulis actionem comparuerunt præſtituto tempore in Comitijs Varſaviæ habitis Moſchuâ miſſi Affanaſius Oſypowicz Ronſczyczowius, & Almaſius Ivanowius. Poſt actam ad amuſſim Polonici juris magnâ partium contentione cauſam ex comitiorum ſententiâ Rex Joannes Caſimirus definitivè pronunciavit.

Et alteræ ſententiâ in Comitijs contra reos ferendo.

I. Actionem hanc merè perſonalem quoad vitâ jam functos ex Reipublicæ lege extinctam eſſe, nec in eorum hæredes poſſe tranſire.

II. Uladislai fratris conſtitutione de titulis non teneri eos, qui ante illam errores in ijs commiſſiſſent.

III. Si qui purgare innocentiam ſuam jurejurando poſcerent, juxta Reipublicæ jura hoc eis haud eſſe denegandum.

IV. Erroris alicujus levis, qui ex incuriâ, aut ignorantiâ præter intentionem ſcriptoris irrepſiſſet, non eſſe habendam rationem.

Et V. Qui in vivis agentes legitimè citati ſivè perſonaliter, ſivè per procuratorem judicio ſe ſiſtere neglexiſſent, ſecundùm Reipublicæ ſancita perduellionis pœnâ damnarentur.

Cui Moſchi haud acquieſcunt.

Non acquievêre huic ſententiæ Moſchi; ſed contra eam, quam iniquam & deluſoriam dicebant, proteſtati, nequè ejuſdem exemplar Domino ſuo deferre voluerunt.

Datis itaqué ad Alexium literis, & ablegatis deindè ad eum Alberto Præ-

Prælawski, & Caſimiro Uniechowski demonſtrare ei ſententiæ á ſe latæ æquitatem Joannes Caſimirus conatus eſt; ſed incaſſum. Reſpondit enim Alexius, miſſurum ſe propediem magnos legatos, qui pœnam de ſontibus à Rege & Republicâ efficaciùs poſtularent.

Mittuntur ab Alexio alij Legati, qui pro Coſacis interveniunt.

Convenerunt ergo Anno 1653. magni Tzarei legati Regem in caſtris ad Leopolim agentem, repetitoqué poſtulato poſt multa utrinqué adducta dixerunt tandem, Dominum ſuum libenti animo hanc deſertorum inſtantiam, ſi tanti apud Regem ponderis ſuam viderit fuiſſe interventionem, ut rebellionis crimen Coſacis Zaporovijs condonaret, eoſque obliteratis omnibus præteritis in ſinum gratiæ ſuæ clementer reciperet.

Quod non obtinent.

Rex ad excludendum quoſcumqué belli prætextus commiſit nonnullis ex proceribus, ut rationes Tzari in hâc ſuâ petitione gratificandi cum legatis ejus diſpicerent. Verùm enim verò, cùm Moſchi pro rebellibus pacta Zborowienſia repeterent, & Regij ea per recentiorem repetitam rebellionem ab ipſiſmet Zaporowijs iteratò proculcata fuiſſe, ideoque illos eorundem beneficio ſuâ culpâ bis cecidiſſe, efficaciter demonſtrarent, inſtarunt legati, ut ſaltem radix contentionis cum Zaporovijs ſuccideretur, ſupprimendo religionem, quæ à conſenſu cum Romanâ Eccleſiâ Unitorum appellata in extirpationem Græci ritûs ſemper conſpirando bellum illud Zaporovijs conflaverat. Repulſi tamen conſtanter cum exaggeratione facinorum, & ſacrilegiorum à Zaporovijs ubicumqué in homines Græcæ, ut ipſi, addictos religioni, eorumqué templa, & ſacram ſupellectilem patratorum acquieſcere ſunt viſi; nam deteſtatis Coſacorum ſceleribus, ijſqué indignantes plenè ſibi, & Domino ſuo ſatisfactum eſſe profeſſi ſunt.

Quomodo nec, ut ſupprimerentur uniti.

Vix tamen ad Alexium redierant, cùm ille miſſo exercitu Kyoviam, Bialoczerkuiam, aliaque loca ſibi à Zaporovijs in pignus fidelitatis tradita ſuis firmavit præſidijs, & rebelles in ſuâ contumaciâ confirmavit. Mox promotâ in Albam Ruſſiam invaſione eâ totâ brevi potitus fuit. Nec contentus; ſed à ſucceſſibus animos ſumens, univerſam Lituaniam defenſoribus deſtitutam illatâ vi exuſtam, exciſam, vaſtatam ſibi ſubjecit.

Alexius arma contra Polonos movet.

Inter hæc mala, aliaque tam domeſticæ proditionis, quàm Sueticæ invaſionis diù conflictatus Joannes Caſimirus tandem oppreſſus ſuccubuit, & Regno exutus ad aſylum in Sileſiam cum conjuge Ludovicâ Mariâ confugit. Inde Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum Tertium rſe: re: amitinum ſuum confidenter rogavit, ut ſequeſtrem ſe pacis cum Moſchoviâ interponeret, futurum enim, ut potentiſſimo hoc hoſte amoto ipſi ab oppreſſione, quæ extorrem eum fecerat, reſpirare daretur.

Joannes Caſimirus cum Reginâ Ludovicâ Mariâ in Sileſiam ſe recipit.

Annuit petitioni Ferdinandus, ablegavitqué ſinè morâ Anno 1655. Allegrettum de Allegrettis, & Joannem Theodorum à Lorbach, qui ſuo nomine Moſcho Tzari pacem cum Polonis ineundam ſuaderent, ejuſque leges ad partis utriuſque placitum amicâ perſuaſione arbitrarentur. Cùmqué præcavere vellet, ne ulla, vel extrinſeca, cauſa Moſchovitis daretur ſuſpicandi, quòd ex compoſito cum Polonis legationem illam adornaſſet, ne timorem in his indè conjectantes duriores ejus ſanciendæ conditiones præſcribere præſumerent, voluit, ut ablegati ſui evitatis Polonicis ditionibus per Germanicas Lubecam profecti, navi ibidem conſcensâ in Livoniam navigarent, Moſchuam indè petituri.

Ad quorū inſtantiam mittuntur in Moſchoviam, à Ferdinando III. Imperatore legati ad conciliandam inter Polonos, Moſchoſqué pacē. Qui inducias tantùm obtinent.

Admiſit Alexius oblatam operam, & inſtituto Anno 1656. Vilnæ legatorum utriuſqué partis conventu, cùm dirimi ab induſtriâ caduceatorum perpetuâ pace contentiones minimè poſſent, ad Polonica tamen

tunc

tunc proximè futura comitia pactis inducijs die 3. Decemb. dilatæ fuerunt. Magno utiquè Polonorum commodo, dum interim Moschus omnem iram suam contra Suecum in Livoniam effudit, undè ipsis postmodum hunc hostem aliorsum distractum, auxiliariorum maximè Cæsaris armorum ope, à Regni sui detentione deturbare proclivè fuit.

Sed ijs violatis Imperator Leopoldus authorē cum Collegâ in Moschoviam ablegat, ut de pace agāt.

Utrinque tamen parùm religiosè armistitij pacta custodita fuêre. Quare denuò recrudescente bello Augustissimus Rom: Imperator Leopoldus Dominus meus Clementissimus, ut lachrymabilis Christiani sanguinis effusio sisteretur, & universo Orbi aquilonari mediante aquilâ Austriacâ alma pax redderetur, paternis voluit vestigijs insistere. Mihi itaquè & Horatio Gulielmo Caluuccio Sacri Romani Imperij Equiti, atque in dicasterio Interioris Austriæ justitiæ Sacerdoti benignissimè mandavit, ut maturato itinere ad Alexium proficiscèremur, amicam Majestatis suæ Cæsareæ interpositionem ei oblaturi, cujus admissæ ministri postmodum esse deberemus.

Eidem autem, quo Augustissimus parens suus motus fuerat, respectui inhærens, Poloniæ Regiam declinare nos jussit, cùm priùs à Jacobo Curlandiæ Duce petijsset, ut collimitaneos Moschoviticæ ditionis Præfectos de futuro nostro adventu præmoneret, quò statim, ac eò accessissemus, excipi, & nullâ interjectâ morâ rectâ ad Tzarem deduci possemus. Antiqua enim Moschovitarum consuetudo exterorum Principum legatos ab ingressu in provincias suas arcet, quamdiù Magnus Dux de eorum adventu certior redditus introsuscipi eos non mandaverit.

Discedunt Viennâ, & per Moraviam, Silesiamque Gnesnam veniunt.

Ad XIII. Kal. Mart. Anno 1661. Viennâ discedentes nono Olomucium prisco nomine Eburum Marcomannorum regionis caput inivimus. Hic à recto minoris Poloniæ itinere devij, ut Curlandiam adiremus, viam flexímus, & ad lævam conversi Silesiorum metropolim, conditoris, sivè instauratoris sui, Uratislai Bohemi nomen retinentem, bisque centenos mille passus Viennâ distantem tertio Kal. Mart. ingressi sumus. Ubi à civico Magistratu in obsequium communis Domini per binos Senatores visitati, & Liberi patris xenijs donati fuimus.

Post biduum Uratislauiâ exeuntes ad quadragesimum quintum indè lapidem oppidulum Militscium prætervecti limites Poloniæ Majoris apud Freyhainium attigimus. Per hanc quinquaginta passuum millia progressi apud pagum Pogorelitzium trans fluvium Vartam pontone trajecimus. Indè ter quindecim millibus emensis Gnesnam venimus, urbem ab aquilarum nido ex augurum consilio circa annum nostræ redemptionis 550. à Lecho Polonorum primo Duce ejus conditore denominatam.

De Urbe Gnesnâ.

Hìc ille, ejusque posteri usque ad Cracum Cracoviæ auctorem, & incolam, hìc deinceps Piastus, plurimiquè ejus descendentes sedem habuerunt. Et hùc Boleslaus Chobri Piasti atnepos martyris Adalberti secundi ibidem Archiepiscopi corpus ab interfectoribus Prussis redemptum transferri, ibidemquè decenter tumulari curavit. Archiepiscopatus siquidem dignitate urbs illustratur, à primo inter Polonorum Duces Christiano Miecislao Piasti abnepote circa annum 965. sedente in Petri Cathedrâ Joanne XIII. eum confirmante instituti. Cui paulò post quartodecimum ab Incarnato Deo seculum novus splendor accessit, cùm Nicolaus Tramba à Concilio Constantiensi Primatialem in Poloniâ dignitatem consecutus est. Et major, cùm post seculum Joannes Laski perpetuæ in Poloniâ Pontificiæ legationis munus non tantum sibi

sibi soli, ut olim Henricus Kitlitzius ab Innocentio Tertio; sed & successoribus suis à Concilio Lateranensi obtinuit. In politicis autem Archiepiscopus Gnesnensis summè post Regem conspicuus est, imò interregni tempore Regis umbram aliquam repræsentat, præclarisquè semper prærogativis excellit.

Indè post triginta passuum millia apud oppidum Pacossum Notesio trajecto Brombergam, sivè Bidgostiam, Regiam in Pomerelliâ urbem flumini Berdæ incumbentem, pariquè intervallo à Pacosso sejunctam, per nuperam Suecorum in Poloniam irruptionem reciprocante successus Marte miserabili sui concussione captam, & recuperatam, venimus. Ingressu tamen in eam cives nos ferociùs, quàm Suecos, prohibuere. Quapropter in pessimo extra mœnia diversorio pernoctare debuimus.

De Pomerelliâ.

Pomerellia, olim Pomeraniæ pars à Guttonibus ex aboriginibus Vandalis gente Germanicâ habitata, à Sarmatis deindè Venedis, sivè Vendis, eorum nomen sibi assumentibus occupata, Cassubiæ partem comprehendens, diù proprijs suis Principibus paruit, donec anno 1290. à Mestovino subditorum precibus annuente Majoris Poloniæ Duci Primislao, posthabitis agnatis anterioris Pomeraniæ Ducibus, ac filiabus suis Rugiæ Principi, & Adolpho Holsatiæ Comiti nuptis, testamento legata pomum Eridis inter hos fuit. Sed dum decertant, Teutonicus Ordo armatus & ipse concertationi accurrens prævaluit, ita ut anno 1310. subactam Prussiæ suæ Æstijs extortæ adnecteret.

De Prussiâ.

Etenim, cùm incursionibus continuis Masovia ab ethnicis Prussis miserè vastaretur, Conradus Dux vires suas ad eam tuendam impares sentiens, onus hoc Friderici II. Rom: Imperatoris auctoritate anno 1226. die 29. Maij in Marianos equites, è Syriâ pridem à Saracenis exactos, & à quarto Magistro Ordinis Hermanno de Salzâ tunc rectos, derivavit, regione, quæ à Vistulâ, Mocrâ, & Dervanciâ fluentis concluditur, eis attributâ, adjectoquè insuper universo Culmensi tractu sibi restituendo, cùm debellatis Prussis provincias his extortas illi ex pacto cum eo partirentur. Crucigeri itaquè impigrè rem gerentes Prussos victricibus armis devictos subegere, & deindè ab Uladislao Loctico Poloniæ Rege in subsidium oppugnatæ à Joanne, & Valdemaro Marchionibus Brandeburgensibus arcis suæ Gedanensis acciti eam liberatam sibi pro belli expensis retinuerunt. Et anno 1310. etiam oppidum expugnarunt, universamque Pomeraniam ab ijsdem Marchionibus Henrico Imperatore assentiente coemptam sibi asseruerunt. Bello deindè per varias vicissitudines diù protracto Poloni, & Crucigeri inter se decertarunt, quousquè hi anno 1343. Magno Casimiro diploma extorquerent, quo consentientibus Regni sui laicis proceribus omne suum ad Pomeraniam, ditionemquè Culmensem jus in illos contulit. Porrò anno 1408. tantâ suorum strage Crucigeri à Jagellone ad Grunevaldum cæsi sunt, & tantâ impotentiâ flagitiosum in subditos suos imperium intestinis odijs discordes exercebant, ut hi tunc ad victorem, atque anno deinceps 1454. administrante Ordinis Magisterium Ludovico ab Erlingshausen ad illius filium Casimirum ferè omnes deficerent. Tantumquè absuit, ut amissa successores retraherent, quòd potiùs ipsimet Polonis homagium præstare fuerint adacti. Tandem Albertus Friderici filius ex Marchionibus Brandeburgicis lineæ Onolsbachianæ trigesimus quartus Ordinis Magister avitæ Catholicæ religioni vale dicto Lutheri doctrinam sectatus anno 1525. VI. Idus Martij avunculo

ſuo Sigiſmundo Primo Poloniæ Regi Caſimiri filio jus Ordinis in totâ Pomerelliâ, & parte Pruſſiæ ceſſit, retentâ hujus longè ampliori parte fiduciario jure ſub Ducis in Pruſſiâ titulo in hæredes ſuos tranſmittendâ. Indè diviſa Pruſſia in Regalem, & Ducalem fuit.

De Pruſſiâ Regiâ. Pruſſia Regia Varmienſi, & Culmenſi conſtat Epiſcopatibus. Culmenſi, Marieburgenſi, & Pomerelliæ Palatinatibus. Torunio, Elbingâ, & Gedano majoribus, plurimiſque alijs minoribus urbibus.

Politicum ejus regimen tribus incumbit Ordinibus. Conſtituunt primum Epiſcopi Varmienſis, & Culmenſis: Palatini, Caſtellani, & Succamerarij, qui ſunt limitum judices, Culmenſes, Marieburgenſes, & Pomerellienſes: majoreſqué civitates Torunium, Elbinga, & Gedanum. Horum conſilio omnia Pruſſiam, ſuam concernentia Rex dirigere tenetur.

Alter Ordo nobilitatis eſt, quæ conventus ſuos, & diſtrictus peculiares habet, utpotè Culmenſis Kowalewi, & Golubæ: Marieburgenſis Chriſtiburgi: Pomerellienſis Derſaviæ, Suece, Ticholiæ, Glukoviæ, Mirachoviæ, Putzki, & Lawenburgi nunc in Electorem Brandeburgicum cum Bythoviâ alienati. In quorum ſingulis à judice, & Scabinis ex ſuo corpore deſumptis jus in cauſis ſuis civilibus audit.

Tertius autem ex minoribus conſtat civitatibus, quæ ſingulæ oppidanis ſuis juſtitiam adminiſtrant.

De Pruſſiâ Ducali. Ducalis verò Pruſſia in plures olim provinciolas diviſa, nunc ſub Samblandico, Natangico, & Oberlandico comprehenditur circulis. Hi omnes devoluto ab Alberto Anno 1568. 20. Martij fato functo in ejus filium Albertum Fridericum, ejuſqué pro tempore curatores, atqué poſt ejuſdem Anno 1618. 28. Auguſti ſubſecutam mortem in Georgium Wilhelmum Electorem Brandeburgicum ſucceſſivè jure, nunc hujus filio Friderico Wilhelmo, ab omni clientelæ nexu per recentia Anni 1657. pacta Bidgoſtienſia ſoluto, parent.

Ducatus totius adminiſtratio quaternis præſertim Magiſtratibus commiſſa eſt. Primum locum obtinet ſupremum Regimen, ad quod Ducis Vicarius, Provinciæ ſupremi Aulæ Præfectus, Burgravius, Cancellarius, & Mareſchallus adſciſcuntur. Secundum Conſiliariorum Provincialium Collegium ex quatuor Capitaneis majoribus, & octo minoribus ex nobilitate omnibus conſtitutum. Qui ſinguli capitaneatus ſui nobilibus, ſicuti municipia civibus ſuis, jus dicunt. Tertium ſupremum Appellationis tribunal nuper Anno 1657. inſtitutum, quod ex Præſide, quinque nobilibus, & tribus Jureconſultis conſtat. Et quartum Judicium Aulicum, cui ſub Præſide nobili aſſident quini nobiles, & trini ex civium cœtu. Duos habet Provincia Ordines, equeſtrem alterum, qui Comites, Barones, & Nobiles includit, civicum alterum ex civitatibus conflatum, quæ ſigillatim in Comitijs provincialibus ſuffragium ferunt.

Poſt terga itaqué relictâ inhoſpitali Brombergâ quadraginta millium itinere Tucholiam eidem adjacentem flumini, & Suecici belli oppreſſione adhuc languentem ingreſſi ſumus. Indè quinquaginta paſſuum millia vecti Schoiniciam, ſeu Scarſeviam, oppidum cum arce Perſæ imminens amni Gothici & ipſum Martis injuriâ afflictum, in quo Palatini tribunal nobiles judicantis rabularum clamoribus ſtrepit: biſqué duodena paſſuum millia ulteriùs pergentes Gedanum celeberrimum ad mare Balticum emporium ad IV. Idus Martij inivimus.

Quòd

De Urbe Gedanenſi

Quòd habuerit Dantiſcum conditores Danos, non Viſimirum Poloniæ Regem, ut Gaguinus autumat, evinci ex nominis etymo poſſe videtur, quin imò Pontanus in ſuâ rerum Danicarum hiſtoriâ affirmat, repertum à ſe apud Pomeranorum Chronographos fuiſſe, quòd, cùm Rex Daniæ Valdemarus I. Sobislao Pomeraniæ Principi circa Annum 1165. bellum mari intuliſſet, arcem, ſeu propugnaculum Danſwicum ad Viſtulæ oſtium excitaverit; Quamvis Cluverio popularibus ſuis adulanti libuerit hanc etymologiam è cœlo derivare, dum à ſinu Codano, vel Godano, quod nunc mare Balticum appellamus, imò potiùs ab utriuſque auctore, antiquo, ſcilicet, Germanorum Numine Dan, ſivè Godan, vico nomen inditum fuiſſe aſſeruit. Sobislaus tamen, qui mox Valdemaro diſcedente eum occupavit, jura civitatis primus ei dicitur conceſſiſſe. Ab ejus autem ſucceſſoribus in Marchionum Brandeburgenſium, ab his in Polonorum, & per eos in Marianorum equitum poſſeſſionem tranſijt, quorum excuſſo jugo Anno 1454. Caſimiro Jagellonidi Poloniæ Regi certis pactis ultrò ſe ſubjecit. Et Anno 1632. in coacto Varſaviæ poſt mortem Sigiſmundi Tertij ad ſucceſſorem eligendum generali Ordinum conventu prærogativam ferendi in electione Regum ſuffragium obtinuit. Ab Anno tamen 1343. urbs vetus, quomodò deinceps nova, mœnibus cincta fuerat. At, cùm ab illis arenæ montibus à meridie & occaſu ſibi imminentibus aliquam in tecta ſua tempeſtatem deijci poſſe videret, eos Anno 1656. & ſequenti, dum Carolus Guſtavus Sueciæ Rex exitium ei intentaret, ſuburbijs vel dirutis, vel incenſis, firmiſſimis munivit operibus. In Reipubliçæ adminiſtratione primas obtinent partes quaterni Conſules, cum bis ſeptenis Senatoribus, ex quibus Rex quotannis Burgravium ſuum eligit. Secundas Scabinorum, quos judices, ſivè judicij adſeſſores diceres, Magiſtratus, ad quem cùm civilium, tum criminalium cauſarum notio ſpectat. Et tertias magnum centumvirorum concilium, datâ tamen in multis ad Regem provocatione. Plurimi ibi Lutheri aſſeclæ, non pauci Calvini, pauciſſimi priſcæ Catholicæ Romanæ fidei. Omnes tamen pari jure libero ſuæ quique religionis exercitio gaudent. Ibi Senatus pro ſuâ erga Sacram Cæſaream Majeſtatem reverentiâ binis ex corpore ſuo, qui nos viſitarent, miſſis, honorario vino nos donavit.

Proſequitur Author iter.

Ad XVI. Kal. Aprilis profectionem noſtram proſequentes ſtatim extra Dantiſcanam urbem exundantem Viſtulam, olim Vandalum dictum, antiquiſſimis temporibus inter Germaniam, & Sarmatiam terminum, labore non exiguo pontonibus ſuperavimus.

Per decies deindè ſeptena arenoſæ viæ paſſuum millia oram maris Baltici, quod Melæ, & Plinio ſinus Codanus, Ptolomæo Venedicus, Tacito verò mare Suevicum eſt, quà oblongus utrinquè ab æquore, & æſtuario aggeſtæ arenæ cumulus, modo Neringa inſula appellata, Gedanenſis uſqué ad pagum Armlenium, & indè Natangienſis jurisdictionis, ſe extendit, legentes ad Pillavienſe trajectum quartâ poſt die cum ſole oriente pervenimus. Silebant venti, undè per ſummam malaciam à nautis Pillaviam feliciter tranſvecti fuimus.

Et Pillaviam venit.

Pagus iſte (frequentem accipenſerum piſcationem ſi exceperis) penitùs ignobilis vix à Coſmographis notaretur, niſi duplex apud eum excitatum munimentum eundem illis commendaſſet. Utrumqué autem Habi faucibus, per quas in Balticum aquas ſuas evomit, & vectigalia deglutit, ita imminet, ut navigia per eas commeare ſine maximo diſcri-

male p. Sturionibus acc. piſc. ridetur, qui-ati, nâ

ſcrimine ijs invitis minimè poſſint. Horum & vigiliarum ſimul ſummus præfectus Petrus de la Cave humaniſſimo nos officio proſecutus eſt.

Eodem die ulteriùs profecti vidimus à dextris in æſtuarij litore oppidum Fiſchhuſium, Anno 1269. à Crucigeris eo loci, ubi ab Ethnicis incolis Anno 997. IX. Kal. Maij Sanctus Adalbertus, Pragenſis priùs Epiſcopus, deindè Archiepiſcopus Gneſnenſis, palo alligatus, ſeptemque transfixus haſtis martyrio affectus fuerat, conditum, & deinde Epiſcoporum Sambienſium ſedem, donec Georgius à Polentz Eccleſia hâc ſponsâ ſuâ ſpirituali cum religione repudiatâ in amplexus Balgenſis fœminæ ruens, eandem Alberto Primo in Pruſſiâ Duci in perpetuum uſum traderet alienatam.

Indè Regiomontum.

Poſtero autem quinque & triginta millium itinere Regiomontum inivimus, urbem amplam à Sexto Teutonici Ordinis Magiſtro Poppâ ab Oſterling Anno 1260. in Ducatu Sambiæ, ſivè Samlandiæ non longè ab oſtio Pregolæ fluminis Angerapij, & Alliæ undis commixti conditam, & in honorem, & memoriam Ottocari Regis Bohemorum, cujus auxilio provinciam illam Crucigeri ſubigerant, Konigsbergam vocatam, à Bartholdo Auſtriaco Anno 1300. oppido de Lebenick, & à Winrico Kniprode Anno 1380. tertio oppido Kniphoff appellato auctam, atqué nunc frequenti academiâ ſub Lutheri auſpicijs ab Alberto Duce fundatâ, & Ducali ſede Polonicæ jam tutelæ ſubductâ conſpicuam.

Atque per peninſulam Curoniam Memelam.

Nec datâ morâ vix ortâ luce indè moventes Sambiam priùs tranſverſim ſecavimus. Peninſula dein Curonia ab indigenis Neringa dicta, quam longus inter Balticum mare, & Curonienſe æſtuarium aſſurgentium arenarum efficit tractus, nos excepit. Poſtqué centena paſſuum millia pelago ferè ſemper lævas rhedarum noſtrarum rotas placidè alluente in conſpectum Memelæ arcis VIII. Idus Martij à vectoribus noſtris expoſiti fuimus. Undè in eam cum ſolis equis noſtris, & ſarcinis navigio transfretavimus.

Excitata illa poſt oppidum ſuum Chriſtimemel Anno 1279. ædificatum in extremâ Pruſſiâ prope Ragnetam apud flumen Memel, ubi dulces undæ Curoniæ cum ſalſis marinis commiſcentur, ad propulſandas Lituanorum incurſiones Anno 1312. ſub Tertiodecimo Teutonici Ordinis Magiſtro Carolo Beffarto Trevirenſi fuit, ingentiqué vallo, ac foſsâ munita.

Memoratæ iſtæ utriuſqué Neringæ arenæ cum Sudiniâ, ſivè Sudaviâ, inter eas, & mare prominente linguâ ſunt illa Venedici ſinûs litora, in quæ Zephyro hinc, aut illinc Boreâ tempeſtatem excitante evulſum è ſinu ſuo ſuccinum, ſeu electrum, priſcis gleſſum, herbâ ſuâ, ſeu muſco, involutum, æquor ejectat, quod nos ibi ipſi, licèt ſeri poſt vindemiam racematores, legimus.

Memelæ ſivè arcis præfectus, ſivè urbanus Magiſtratus tam inurbanè erga nos ſe habuerunt, ut exorari ſe à noſtris precibus paſſi non fuerint, ad mandandum, ut nobis de vehiculis uſqué in proximam Curlandiam pro mercede proſpiceretur. Ibi itaqué totum biduum hærere debuimus, donec in vicariam operam pagana ploſtella conduceremus, quibus ad V. Kal. April. quinque & viginti mille paſſus profecti Heiligaviam Samogitiæ vicum venimus, ibique pernoctavimus.

De Samogitiâ.

Samogitiæ Ducatus magni olim Lituaniæ ad proferenda pomæria ſua momenti, nunc amplitudinis ejus acceſſio, hanc, Semigalliam, Curlandiam, maris Baltici, Curonij lacus, Nemenique amnis undas limites habet.

habet. Sylvis obſitus eſt, in quibus frequentes pererrant alces, & frequentiora apum examina mel fabricant laudatiſſimum. Glebam tamen habet feraciſſimam, quæ ligno, non ferro, proſcinditur. Æſtij origine Germani eum olim cum Pruſſiâ, & Livoniâ incoluere. Receptis verò decimo poſt noſtram reparatam ſalutem ſeculo Italis Columnis, per varia tempora à vicinis Pruſſis armis exercitus, tandem in Lituanici corporis, cujus diù altor fuerat, membrum cooptatus, à Vitoldo Pruſſis Crucigeris Anno 1404. traditus fuit. Quo tamen quadriennio exacto pœnitudine ductus eos per Romboudum Mareſchallum inopinatò exuit. Cùmqué illi triennio poſt per Turonienſe cum eo, & Jagellone fœdus jure ad illum ſuo ſe abdicaſſent ſub lege, eum denuò, poſtquam ambo fatis conceſſiſſent, recipiendi; ad renunciandum tamen huic in perpetuum pacto Anno 1422. adacti fuerunt. Interim incolæ Jagellone Apoſtolicè adlaborante, & duodecim parochiales eccleſias juxta numerum diſtrictuum fundante, & dotante, ad Chriſtiana ſacra converſi, Anno 1417. IX. Kal. Nov. primum Epiſcopum Matthiam à Legatis Conſtantienſis ſynodi Archiepiſcopo Leopolitano, & Epiſcopo Vilnenſi urgente eodem Jagellone acceperunt, ſede ejus Mediniciæ ad Wirzwitzam amnem locatâ, cui nunc Alexander Sapieha vigeſimus ſextus Antiſtes præeſt, cujuſque ſuffraganeus Epiſcopus eſt Spigacenſis. Captum quidem Anno 1655. à Moſchis nobile Palatinatûs Trocenſis in ipſo Viliæ, Nemeniqué confinio oppidum Cauna, atqué incendio ferè deletum fuit, verumtamen, licèt eidem ad annum uſqué 1662. incubuiſſent, ulteriùs ſe nihilominus in collimitaneæ Samogitiæ Suecos jam reſpectantis inexplorata ſibi nemora inſerere abhorrentes intactam eam reliquerunt. Non ſic Sueci, qui eâ direptâ etiam humiles illos laborioſiſſimi roboris equos, quos frequentiſſimos alebat, ferè omnes abegerunt.

In Curlandiâ nomine Ducis Jacobi author excipitur & Grobinum ad eum deducitur.

Alterâ die, cùm ſtatim extra vicum decurrentem ei agnominem fluvium inter Sudaviam, & Curlandiam limitem navi tranſmiſiſſemus, paululum progreſſi vidimus opperientes adventum noſtrum quatuor ex Ducis Aulâ nobiles provinciales, qui cum tribus rhedis nomine Domini ſui nos officiosè exceptos Rutzaviam ad decimum indè lapidem deduxerunt. Cùmque ſequenti octonis paſſuum millibus decurſis circa veſperas ad bis mille Grobino appropinquaremus, obvium habuimus Joannem Fridericum Reck Provinciæ Aulæ Præfectum cum quatuor alijs rhedis multis nobilibus ſtipatum, qui nos denuò momine ſui Ducis perhumaniter excipiens in ipsâ ſui Domini rhedâ in arcem introduxit. Ibi in atrio ex rhedâ exeuntes ipſe Dux nos excepit, & in cubicula hoſpitalia deduxit.

Poſtero die tam erga illum, quàm ejus conjugem Aloyſiam Charlottam Friderici Wilhelmi Electoris Brandeburgici ſororem Principem prudentiſſimam officio à Cæſare nobis clementiſſimè injuncto ſatisfecimus.

De Livoniâ.

Livoniæ amplam ad ſinum Chylipenum regionem incoluerunt olim Venedi, gens Sarmaticas quibus ſubmotis Æſtij Germani à Rheni, ſivè potuit Viſurgis ora longe ante Chriſti adventum illò tranſmigrati ſucceſſere. Hi moribus quidem fuere rudibus; ſed nativâ ſimplicitate dociles ad politiores. Quamobrem ſub Imperio Friderici Ænobarbi appellentibus ad litora ſua mercaturæ gratiâ popularibus ſuis Germanis faciles ad commercium ſe conceſſerunt, ab iſſqué edocti fuêre, non tantùm in compendium rei familiaris, prout Germanorum oſor Piaſecius jocatur, ne more ſuo priſco abijcerent ceram exſucto melle, ſed in lucrum

longè magis æstimabile, ne ulteriùs derelicto fonte aquæ vivæ foderent sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam: Ne omnipotentis DEI salutari invocatione neglectâ nihil potentium Dæmonum perniciosam opem ulteriùs implorarent. Nam Meinhardus Canonicus, sivè Monachus, Segebergensis ijsdem permixtus eò Anno 1170. adnavigans, ut pretiosas Livonicarum margaritas animarum incommodorum suorum, & vitæ, si opus foret, impendio emeret, multas sudoribus suis comparatas Catholicæ fidei monili intexuit, & in supremum tandem earundem institorem ab Archiepiscopo Bremensi Hartwico II. consensu Innocentij Tertij Pontificis Maximi consecratum evasit. Verumtamen, cùm à paganis, & Schismaticis Livonia tunc ferè undiquaqué cingeretur, plures, qui ibi domicilia fixerant, Germani in præsidium suum, & incolarum, quos sub clypeo protectionis suæ tuendos Christianâ charitate susceperant, hortante Alberto Episcopo Livoniæ Tertio sacræ militiæ, cujus tessera erant duo rubei gladioli cum stellâ circa pectus decussatim pallio assuti, sub fratrum Ensiferorum titulo nomina dederunt, electisqué ex suo corpore Wieno Magistro, & commendatoribus, qui cum Archiepiscopo Rigensi, & Præsulibus Dorpatensi, Revaliensi, Osiliensi, & Curonienſi, quos auctoritate Romani Pontificis instituerunt, totius regionis administrationem gererent, diù vicinorum injurias à finibus suis validè propulsarunt. Fatiscebat tamen undiqué impetitus sub onere succollato impar viribus Ordo, quapropter Volquinus ejus Magister eum Teutonico in Prussiâ Cruciferorum Ordini, cruce ipsius cum patrocinio sub tributarij obsequij promissione assumptâ moderante ejus Magisterium Conrado Turingo conjunxit. Albertus tamen Brandeburgicus hujus tribus ferè post seculis successor acceptâ à Livonienſibus equitibus ingenti auri vi obedientiam eis, & tributa inposterum omninò remisit.

Per rimas deindè Prussiaci exempli irrepserunt in Livoniam Lutheri dogmata, quæ universus equitum ordo priùs, & mox ipsi Episcopi tam avidè admisere, ut eorum singuli contra prioris instituti placita thori sociam sibi assumerent, & Ordinis, vel Ecclesiæ fundos, ac prædia, venderent, vel in liberos suos hæreditario jure transmitterent. Satagentes autem, quæ sic occupaverant, valido præsidio firmare, Sigismundum Augustum Poloniæ Regem suis opportunum ausis judicarunt, norant enim eum rerum fidei incuriosum, & non dubitabant, quin exemplum parentis Sigismundi, qui Teutonicorum Equitum nomen in vicina Prussia expunxerat, esset imitaturus. Huic itaque conciliatore Nicolao Radzivilio Nigro Palatino Vilnensi Calvini sectatore Magister Ordinis. Gothardus Ketlerus nobilis Westphalus Anno 1559. ultimâ Augusti die priùs Vilnæ, deindè XVI. Kalendas Martij Anno 1560. Rigæ: & Wilhelmus Archipræsul Rigensis, etiam consentientis Collegij Canonicorum suorum nomine, postridiè ejus diei Livoniam cum Urbe Riga subjecerunt. Curlandiam tamen, & Semigalliam Ketlerus tanquam Poloniæ beneficium pro se, prolequè suâ retinuit, pro quibus tandem Anno 1561. quarto Kal. Decembris Vilnæ ipsi Sigismundo Augusto clientelaris obsequij præstitit jusjurandum, acceptoquè Ducis in Livonia Curlandiæ, & Semigalliæ titulo crucem ei, aliaque Ordinis insignia tradidit.

De Curlandiâ.

Magnus verò Holsatiæ Dux etiam Episcopatum Piltensem, sivè Curonienſem, ab ejus Episcopo Joanne à Muninchausen Anno 1559. Friderico Secundo Daniæ Regi venditum, & ab hoc ipsi, utpotè germano

no suo, loco paternæ in Ducatu Holsatiæ hæreditariæ portionis anno subsequenti attributum, cum omnibus Ultradunensibus, quæ Mariæ uxoris suæ patruo Juano Moschorum Tzari eripuerat, Polonicæ tutelæ submisit.

Hos autem Sigismundi Augusti contractus à supremo omnium in orbe beneficiorum directo domino reprobatos fuisse successus ostendit. Moschus illo adhuc vivente maximam Livoniæ partem occupavit, in eâqué perstitit, donec à Stephani Regis virtute & fortunâ indè abscedere cogeretur. Ericus tamen Sueciæ Rex Revaliam jamdiù tunc interceperat, & per hunc pontem non ipse duntaxat in Esthoniam transierat; sed deindè ejus successores Joannes, Carolus, Gustavus Adolphus, & Carolus Gustavus tam ultra felicia promoverunt arma, eaqué tam firmiter sivè contra Moschos, sivè contra Polonos stabilierunt, ut modò, exceptis Duneburgo, Rositenia, Lutzenio & Marienhusio à Moschovitis insessis, Livoniam universam cum Esthoniâ, dominio per nuperam Olivensem transactionem confirmato, cumqué Osiliâ Danis antea per pacta Bremsebroensia Anno 1645. extortâ Suecia possideat, & ita Livoniæ totius possessio Polonis exciderit. Ac par forsitan fatum in Prussiâ eos maneat, dum jam in fabulæ præludium jus clientelare in provincijs Alberti Ducis à Sigismundo ipsis assertum ejus pronepos Joannes Casimirus Friderico Wilhelmo Electori illius ex nepti Anna abnepoti perpetuâ abdicatione cessit.

Tanquam igitur Gothardi illius descendens Dux Jacobus Curlandiæ, & Semigalliæ habenas moderatur. Quas tamen molli admodum manu tractare debet, nobilitas enim provincialis ob nimias exemptiones oris est adeò delicati, ut, si duriùs coerceatur, calcitrosa, & contumax sessorem excutiat, fautoribusqué in Aulâ Regiâ largitione conciliatis numquam careat. Quod præteritis annis expertus fuit Wilhelmus ejus parens, qui, cùm Magni Noldæ nobilis Curlandi seditiosum sui contemptum ad obsequium sibi debitum flectere nequiret, ideoqué eum per satellites suos peremptum prostrasset, longâ duodevigenti annorum proscriptione, & sortis suæ in Ducatu privatione factum apud feudi Dominum ægre expiavit.

Reguntur provinciæ Curlandiæ, & Semigalliæ à quatuor regiminis consiliarijs, suo, nempè, Aulæ Præfecto, Burgravio, Cancellario, & Mareschallo: à binis Aulæ Consiliarijs: à quatuor supremis Capitaneis Nitaviæ, Goldingæ, Selburgi, & Tuccumij: & à septem alijs inferioribus Grobinensi, Durbensi, Frauenburgensi, Landavienſi, Schrundensi, Bautskensi, Windavienſi, & Doblinensi. Hi judicia super nobiles, & rusticos, sui quisque districtûs exercent, à quibus ad Ducem, ab hoc ad feudi Dominum Poloniæ Regem appellatur.

Bona nobilium ab allodijs parum differunt, ipsique in rusticos suos dominium tanquam in servos exercent, eos ad operarum præstationem indefinitè adigentes.

De Episcopatu Piltensi.

Nobilitas tamen districtus, olim episcopatûs, Piltensis, qui à fluvio Wedâ ad insulam Osiliam, Plinio Latrin, ab Hirris Æstyorum populis olim possessam excurrens partem haud minimam Livonici sinûs includit, non provinciæ Duci subesse; sed immediatè Polono Regi contendit. Districtus etenim, ut superius innuimus, ab Episcopo suo Joanne à Muninchausen tanquàm res hæreditaria Friderico II. Daniæ Regi venditus, & ab hoc fratri suo Magno attributus, eodem promovente

vente ſimiles Sigiſmundi Auguſti ſpecioſos tutelæ caſſes cum reliquâ Livonia induit. Poſt Magni fata rixas ſuper eo inter Stephanum Poloniæ Regem, & eundem Fridericum jure hæreditario eum ſibi vindicantem ortas Georgius Fridericus Marchio Anſpacenſis pacis ſequeſter anno 1585. ita diremit, ut Danus acceptis ab ipſo triginta thalerorum Imperialium millibus emptionis causâ Muninchauſio numeratis omni in eum jure ſe abdicaret, ejuſque poſſeſſio in ipſum jure hypothecæ transferretur. Polono verò eum ad ſe ab Anſpachio retrahere eâ refusâ quandocumque liceret. Huic tamen arbitramento Grodnæ die 15. Decemb. ejuſdem anni coram Rege Stephano Dux Curlandiæ Gothardus ſolenni proteſtatione contradixit. Quâ minimé attentâ is in gentilem ſuum Balthaſarem Bathoreum facultatem eundem redimendi diſtrictum ſibi competentem aſſentientibus Reipublicæ Ordinibus, & per binas conſtitutiones confirmantibus tranſtulit. Verumtamen contra obnitente Georgio Friderico antiquatæ eæ fuerunt, & anno 1598. ſalvo Ducis Curlandiæ Friderici ad hæc conniventis jure præfati diſtrictûs poſſeſſio non tantùm Marchioni ad fruendum ulteriùs relicta; ſed ejus etiam conjugi, more in Poloniâ paſſim uſitato, jure, ut vocant, advitalitio communicata fuit. At anno 1609. & 1611. Dux Curlandiæ Wilhelmus à Rege & Republicâ facultatem eundem reluendi impetravit, qui ſolutis Joanni Sigiſmundo Electori Brandeburgico defuncti Marchionis Georgij Friderici hæredi univerſali triginta millibus thaleris, & promiſsâ viduæ Anſpachianæ annuâ mille florenorum præſtatione diſtrictûs poſſeſſionem plenè nactus fuit. Cùm verò in eâ pendendâ Dux negligentiorem ſe haberet, per commiſſarios Regios in Curlandiam miſſos vidua in ejuſdem poſſeſſionem anno 1617. iterum immiſſa fuit, quæ jus ſuum cum diſtrictus poſſeſſione in Hermannum Maidelium ceſſione transfudit. Indè, cum anno 1639. vivere ea deſiiſſet, à Jacobo Wilhelmi filio adducente, quòd ejuſdem advitalitatis jus in Maidelium translatum extinctum fuiſſet, lites ejuſdem ſucceſſori diſtrictuſquè poſſeſſori Ottoni Erneſto Maidelio, imò etiam deindè nobilibus ejuſdem diſtrictûs juriſdictionis ſuæ ſe ſubmittere detrectantibus, motæ, quæ adhuc durant, quibuſquè Epiſcopi Samogitiæ, cùm jure ſuo, tùm ſpeciali Urbani VIII. decreto hujus epiſcopatûs adminiſtratores, ſalutaribus intervenientes proteſtationibus noxia ſibi præjudicia avertere non deſtiterunt.

Ad Wedæ oſtium Windaviæ (à Venedis forſan mare illud olim accolentibus ſic dictæ) exurgit oppidum, ubi commodum Balticum æquor efficit portum. At capaciorem apud Libaviæ inſulam è regione Grobini. Horum commoditate Dux Salomonem imitatus mercimonia per emiſſarios inſtitores exercet, onerarijs ſuis, & roſtratis in Americam uſquè, ubi parvulam Tabagi inſulam inſidet, & ad oras orientales, ubi adhuc minorem Cambiam poſſidet, emiſſis.

Pergit author in itinere.

Ad IV. Non. April. Grobinum deſeruimus, procurante ex Ducali mandato itineris noſtri promotionem Friderico â Drankowicz nobili Lituano, & Doblinenſi Præfecto, qui & Domini, & ſubditorum gratuitis in noſtrum commodum vecturis uſus, per ducenta paſſuum millia Tzetzenium in finibus Semigalliæ (terræ finem popularium idiomate hoc nomen ſignificat) XVI. Kal. Maij nos ægrè deduxit. Nives à verno tempore ſenſim liquefactæ, & crebri è cœlo delapſi imbres tellurem profundè adeò penetraverant, ut equorum ungulas, plauſtrorumque rotas intra viſcera recipiens, harum æquè ac illorum motum ſemper cedens interciperet. Et rivulus quiſque puerulis aliàs vadoſus adeò intumuerat, ut ſpeciem magni referens fluminis tranſitum niſi per rates, quæ tunc connectendæ nobis erant, pernegaret. Accedebat regionis, quæ non à Sueco occupatore, à quo tanquam patrimonium ſuum nunquam ampliùs (ut ſperaverat) reſtituendum ab omni belli injuriâ illæſa conſervata fuerat; ſed à protectore Polono patroni confidentiâ deſolatam ſe luget, miſeranda vaſtitas, indèque agreſtium raritas, & jumentorum, cæterorumquè omnium defectus. Hæc omnia tam difficile nobis iter illud reddiderunt, ut diffiteri non debeam, quòd in nullo unquam tot labores exantlaverim.

Cùm Tzetzenium veniſſemus, ſtatim per expreſſum nuncium de hoc Moſchum Kokenhauſi Præfectum certiorem fecimus. Quapropter alterâ die Joannes Affanaſiowicz Zelabowski Duoranin, ſivè nobilis aulicus, deſtinatus à Tzare ad nos Moſchuam uſquè deducendum Commiſſarius miſſo centurione quopiam nobis ſignificari curavit, paratum ſe ex mandato ſui Domini craſtinâ die nos excipere, ſtatimquè ad eum nobiſcum quàm maturrimè proficiſci. Præmitteremus tantùm ex tunc noſtra, & familiæ noſtræ nomina, ac officia, & in craſtinum impedimenta.

Et ad Dunam pervenit.

His omnibus peractis movimus & nos ad XIV. Kalendas Maij, & poſt breve octo millium paſſuum iter ad ripam Dunæ è regione Kokenhauſi pervenimus.

Quem deſcribit.

Fluvius iſte Ptolemæo ſub Rubonis nomine notus ortum, & nomen ducit ex lacu Dwinâ, quinquaginta millium ſpatium à palude Fronoviâ in ſylva Wolkonskia Ducatûs Reſcovienſis, & à Boryſthenis ſcaturigine æqualiter diſtante, occaſumquè priùs, deindè arctum versùs præpeti curſu progreſſus flumina Vieliſſiam, Viviatzycam, Szomkam, Caſplam, Widzbam, Luczoſam, Dobrzyniam, Krezywinam, Ullam, Obolam, Polotam, Iſzeczam, Dzieſnam, Dryſſam, Druiam, Duetam, Indricam, Eveſtum, Koknam, Ugram, & Muſzam ſecum permixta abripit, arceſquè, & oppida Veliſium, Vitepſciam, Ullam, Polociam, Dieſnam, Druiam, Duneburgum, Kryſsburgum, Kokenhauſum, & Rigam adiens, in Livonicum Baltici maris ſinum longo ſexcentorum millium paſſuum itinere fatigatus ſe, adductaſque ex Ruſſiâ, & Lituaniâ ſolidas per ignis eliquationem ex faxineis, ulmeis, tiliaceis, & ſalignis cineribus â fullonibus, & ſaponis confectoribus expetitas maſſas, bovina præſtantiſſimi laboris coria, triticum, reſinam, canabim, linum, mel, ceram, ſevum, pretioſaſquè cujuſcumquè generis pelles inter Pruſsos, Suecos, Danos, & Germanos diſpertiendas exonerat: ſalemque, vinum, ſolidos aureos, argenteoſque Joachimicos in Lituaniam, & Moſchoviam omnibus, præter ferrum, metallis carentem revehit.

Cùm in ripæ edito hæreremus, venit ad nos Lazarus Zimmermannus Moſchoviticus interpres ex ijs, quos, quippe legere, & literas pingere doctos, digniori vocabulo translatores Moſchovitæ appellant, qui nomine Commiſſarij nobis dixit, vidiſſe eum ex copia literarum commeatûs Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & notulâ familiæ noſtræ antecedenti die à nobis centurioni ab eo ad nos miſſo pro ſuâ notitiâ traditis, quòd nos Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Ablegati vocaremur. Habuiſſe autem eum in mandatis à Domino ſuo, ut Cæſareos Legatos,

non Ablegatos, exciperet, & deduceret. Quare peteret, ut certiùs eum de charactere noſtro edocere haud gravaremur.

Munierat Imperator duplicibus nos fidei ad Tzarem literis. Unæ Ablegatos nos vocabant, tradendæque ei per nos erant in primâ admiſſione, cùm pacificam Majeſtatis ſuæ Cæſareæ interpoſitionem inter ipſum, Regemqué Poloniæ eidem oblaturi eramus. Minimè enim decebat, ut hujus ſolius functionis intuitu ſtrepitoſo Legatorum nomine inſigniremur. Alteræ verò auguſtiore hoc prædicato nos honeſtabant, & eæ promendæ à nobis tunc demùm erant, cùm poſt admiſſam oblationem noſtram declarandum à nobis foret, quòd ego nomine Cæſaris officio conciliatoris pacis in loco pro tractatibus habendis deſignando functurus, atqué tunc ibidem, & nullibi antea, Legati cum plenâ ad agendam de pace inter partes facultate characterem aſſumpturus eſſem, dum Collega meus Moſchuæ permanens parem illi, quam ab Imperatore apud Poloniæ Regem ſuſcipere Baro de Liſola juſſus fuerat, procurationem explanandi apud Tzarem quaſcumque ex literis meis in dies ortas inter tractandum difficultates percepiſſet, obiret.

Reſpondimus itaqué, ipſum Commiſſarium jam ab utroque memorato documento ſatis ſuperqué edoctum fuiſſe, nos tanquam ſimplices tantùm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ablegatos ad Tzarem proficiſci; Undè mirum, quòd cùm nos excipere tanquam tales à mandato Domini ſui, ut aſſerebat, prohiberetur, impedimenta tamen noſtra Kakenhauſum tranſvectari curaviſſet. Admitteret igitur & nos, aut illa nobis remitteret, ut redire ad eum, qui nos ablegaverat noſtrum Clementiſſimum Imperatorem poſſemus, ipſe poſtmodùm de hâc repulsâ Domino ſuo ſatisfaceret.

à quâ recedit.

Hoc audito Commiſſarius eundem Lazarum ad nos remiſit, qui nunciaret, eum ad nos, quocumque tandem nomine veniremus, excipiendos paratum eſſe.

Conſuetudo Moſchorum, quibus commiſſa à Magno Duce Legatorum exterorũ exceptio eſt.

Non latebat nos, quòd Moſchi, quorum nemini extra patriam pedem efferre, domi ſtudijs vacare Tzare vetante licet, ideoqué aliarum in Orbe gentium, & terrarum cognitione carent, patriam ſuam reliquis omnibus Mundi plagis anteferant, ſe ipſi ſupra omnes nationes extollant, & Tzaris ſui potentiam, ac majeſtatem quorumcumqué Regum, & Imperatorum viribus, & dignitati præjudicante opinione præponant. Quodqué hinc exteros omnes tanquam infra ſe poſitos ipſi ex alto imaginatæ excellentiæ ſuæ adeò deſpiciant, ut, ſi alicujus Monarchæ Oratores ſint excipiendi, illi, quibus à Tzare hoc munus demandatur, petere audeant ab ijs tanquàm liquidò debitum, ut priores è rhedâ, vel equo deſcendant, prioreſqué caput aperiant. Et deindè, dum eos deducunt, honoratiora ſibi loca præripere non erubeſcant. Hocqué tam protervè, ut protractâ aliquandò ad horas pertinaci contentione videri tandem velint de jure ſuo ex urbanitate deceſſiſſe, ſi conceſſerint, ut eodem temporis inſtanti Legati ſimul cum ipſis terram premant, pileumqué deponant. Quapropter viſum fuit nobis tales antevenire altercationes injungendo interpreti, ut præcedens Commiſſarium præmoneret, me in legationibus obeundis tyronem haud eſſe, & perquàm optimè noſſe, quid nos, quid illum deceret. Abſtineret igitur nos excepturus ab uſitatis in his functionibus à gente ſuâ comœdijs, in quibus nullo modo nos agere vellemus.

Flumen

Flumen traijcientes vidimus eum ex arce equo vectum deſcendentem, & mox in ripâ deſilientem, ſtandoqué exſcenſum noſtrum octo circiter paſſus longè à navi præſtolantem. Cùm ad exſcendendum prior noſtrûm ſe moveret, movit & ille ſe versùs nos, ita ut in mediâ æqualiter inter ſe, & nos diſtantiâ nos exciperet. Prior tamen tegumentum è capite ſuo detraxit, detegentibus nobis poſt illicò noſtra. Ibi apertis utrinqué capitibus dixit, miſſum ſe à Magno Domino, & Tzare, &c. (integrum Domini ſui titulum memoriter recitavit) ad nos ablegatos amici, & fratris ejus chariſſimi LEOPOLDI &c. (hic totum pariter Sacræ Cæſareæ Majeſtatis titulum ex chartâ legit) excipiendum, & ad ipſum deducendum. Paratum ſe ad hoc libenti animo præſtandum.

In ripâ Dunæ apud Kokẽhauſiũ author decenter à Moſchis excipitur.

Reſpondimus decenter repetitis integrè, ſed priùs, ut par erat, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & dein Tzaris titulis. Et ille nos de ſalute noſtrâ, & phraſi Moſchoviticâ quàm benè equitaſſemus? interrogans, dextram noſtræ miſcendam utriqué noſtrûm, & cunctis ex honeſtioribus familiæ noſtræ porrexit. In admotos deindè equos inſilientes ad caſulam extra oppidum nobis pro hoſpitio deſtinatam aſcendimus. Præcedebant nos peditum centuriæ tres expanſis vexillis, & reſonantibus tympanis. Cùmqué animadvertiſſemus, commiſſarium noſtrum dextrum meum latus equitando texiſſe, ad evitandas altercationes vocavimus ſub colloquendi prætextu interpretem, qui ſiniſtrum Collegæ mei clauderet, & ita ambo medij inter eos equitavimus.

Eſt igitur Kokenhauſum ars Livoniæ in editis Dunæ, & confluentis ignobilis rivuli ripis extructa, naturâ loci magis, quàm arte munita, clade ſeptem millium Suecorum nobilitata, quam cum Derpatenſi provinciâ, totoque uſque ad Petzurienſe cœnobium tractu Anno 1654. Suecis extortam Moſchi tunc detentabant. Ibi, cùm multa ad iter neceſſaria deficerent, ſequenti die hæſimus. At XIII. Kal. Maij indè moventes, IX. Marienburgum, undecies decies mille continuæ ſylvæ quocumqué felici carentis arbore paſſus profecti, venimus.

Indè venit Marienburgum.

Vix ingreſſis ſupervenit ex Dorpato Athanaſius Laurentewicz Ordin Naſciockin, ex Dumni-Duoraninis, ſive nobilibus Tzari à conſilijs, & Livoniæ tum Præfectus, qui, miſſo ſtatim ad nos quodam domeſtico ſuo de adventu eò noſtro gratulatum, poſtero die, qui apud Moſchos Græco Kalendario cum aſſutâ indigetum ſuorum commemoratione utentes celebratæ Dominicæ reſurrectionis fuit, ſummâ cum urbanitate nobis uſqué ad equos obvius nos convivio excepit.

Ubi à Naſciokino convivio adhibetur.

Ordinaria Moſchovitarum, etiam magnatum, victûs ratio frugalitatis leges neutiquam violat. Super mensâ oblongâ, & anguſtâ deterioris lini mappâ ſtratâ locantur aceti phiala, piperis vaſculum, & ſalinum. Diſcumbentium ſingulis cum pane cochlear apponitur, ſed non ſemper. Orbis, mappula, culter, & furcinula, præter proceres, nulli. Ferçula indè inferuntur ſingulatim unum poſt aliud, multiplicatis tamen, ſi plures adſint convivæ, ejuſdem ſpeciei patinis, apud primores ferè omnes, alioſque ditiores æqué cum reliquo menſæ apparatu ſtanneis, ijſqué ob mediaſtini indiligentiam ſordidè denigratis. A vino ſublimato prandij fit initium. Obſoniorum autem primum pes eſt bubalus elixus frigidus aceto & crudis cepis conditus. Aliæ deinde apponuntur ſivè elixæ, ſive aſſæ, ſivè juſculentæ dapes; ſed vis aliqua allij, aut ceparum, quæ Moſchorum ſunt quæſitiſſima gulæ irreitamenta,

De Moſchorum victûs, & conviviorum ratione.

menta, expers. Nulla ibi certè cupedia: nulla artis coquinariæ, quæ à totâ Moſchoviâ exulat, ſcitamenta. His tamen cibis ſumma omnes aviditate adeò ſe ingurgitant, ut helluentur potiùs, quàm comedant. Cùmque carnem omnem circa os aliquod arroſerint, illud rurſus in lancem, undè veſtitum acceperant, nudum proijciunt, contractamqué ex corroſione oris ſalivam juſculo commixtam digitis adhærentem in eam concuſsâ dextrâ excutiunt. Potûs varia habent genera. Vinum, & cerviſiam, quibus rarò utuntur. Medones omnigenos, quorum crebrior uſus. Et vinum diſtillatum, quod utramquè paginam facit. Diverſis autem his potionibus diverſa pariter cujuſcumque modi vaſa ſunt aſſignata. Pateræ, crateres, cyathi, pocilla, ſimpula, ſcyphi, calices, canthari. Sed omnia, ut plurimùm ſtannea, vel lignea. Rarò argentea, & hæc nigra, & ſordida, etenim ab ijs mundandis Moſchi ſtudiò abſtinent, ne atterantur. Quòd ſi convivium amicis apparari velint, quomodò ſua omnia ad oſtentationem componunt, putant illud haud opiparè inſtitutum, aut ſcitè exornatum, niſi cum carnibus & avibus plurima etiam variorum piſcium, qui Moſchuæ carè veneunt, inerudito, licèt, luxu, fercula apponantur. Delicati tamen adeò palatûs non ſunt, ut illos, quamvis juxta morem putidos, abijciant, aut abhorreant. De bellarijs parùm ſunt ſoliciti, antequam enim ea apponendi hora adveniat, cibis ſarti locum pro illis in diſtento ventre non ampliùs inveniunt. Potandi modus à ſolâ temulentiâ præſcribitur, nemoqué ex triclinio, niſi elatus, exit. Durante convivio erumpunt frequentiſſimè in repentinos ſonoriſſimi bombi ructus, qui per allij, ceparum, raphanorum, & vini aduſti indigeſtam mixturam fœtidi, &, licentiâ ſtoicorum, qui ructus & crepitus liberos eſſe volunt, crepitoſis imi ventris exhalationibus mixti peſtilentiſſimâ mephiti adſtantes afflant. Sudarium non in perà, ſed in pileolo, geſtant. Menſæ autem aperto ſemper capite accumbunt. Si itaqué emungendi nares neceſſitas inſtet, abſentis linteoli vices digiti implent, quos ſimul cum naribus mappâ deinceps abſtergunt. Verba confabulantium, utpotè hominum omnis diſciplinæ, & literaturæ rudium, inania prorsùs ſunt, ac ſæpiſſimè caſtis auribus offenſionis. Maledicentia, & exultatio in rebus peſſimis vel per mendacem alienæ exiſtimationi detrahentem jactantiam ſunt plurimorum ſermonis apophtegmata, & ſales. Nec deſunt aliquandò ſua his convivijs apophoreta. Semper verò convivatoris uxor elegantiſſimâ amicta togâ, integroqué mundo muliebri ornata binas, vel plures, poſt ſe pediſſequas trahens in cœnaculum prodit, & digniori convivæ pateram ſublimato plenam vino ſummis à ſe labijs delibato tradit. Quod dùm ille haurit, in conclave ſuum raptim advolans, aliâ ſuperindutâ tunicâ confeſtim ad par officium alteri exhibendum redit. Et repetitâ deinceps ſemper cum ceteris ſingulis eâdem cerimoniâ, tandem ad ſummum ſe parietem recipit, ibiqué ſtando luminibus humi dejectis pendula ad utrumqué latus componens brachia accedentium ad ſe juxta dignitatis prærogativam convivarum malè jam à potu, & cibo olentia oſcula ore excipit patienti.

Verumtamen à Naſciokini convivio horum multa abfuerunt. Conſors enim ejus non aderat, convivæ autem ibi pauci, & hi militari ejus imperio ſubditi, ideoqué modeſto eum ſilentio venerantes. Et ipſe morum noſtrorum imitator minimè ineptus comi facilitate à genere potionum, & perpotandi lege nos exemerat.

Non

Non tamen in omnibus Moſchoviticum exuiſſe ingenium oſtendit, dum nobis inter pocula querulus expoſuit, quòd Dux exercitûs Lituanici Michael Paczius contra pacta armiſtitij oppidulum aliquod obſidione premeret, inſtantiſſimè petens, ut eum per literas ab hoc attentato retrahere vellemus. Etenim, cùm reſpondiſſemus, neque armiſtitium per aliquem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis miniſtrum concinnatum, neque eam pro pacis ſequeſtro adhuc à partibus admiſſam fuiſſe, ideoquè nulla poſſe à nobis ejuſdem nomine in hoc officia interponi: Sed nequè privato noſtro, dum nulla nobis ſivè cum Paczio, ſivè cum ullo alio Lituano, aut Polono amicitia, imò nec ſimplex ex viſu cognitio intercederet, curioſè nos percontatus fuit, per quam viam eousquè veniſſemus. Et audito itineris noſtri circuitu regeſſit, cur non potiùs per Poloniæ, & Lituaniæ compendia illud rectà Moſchuam versùs direxiſſemus? unico labore, & abſquè ullo temporis diſpendio ex viâ periculum priùs in Poloniâ facturi, an Regi illi eandem Cæſaream oblationem admittere libuiſſet. Reſpondimus autem, regiones illas ob illatas per tot annos à tot exercitibus vaſtationes vel unico pediti propter alimoniæ defectum impervias tunc fuiſſe. Imperatorem verò confidiſſe, quòd etiam Poloniæ Rex pacificam ſuam interpoſitionem eſſet admiſſurus. Nequè illi opus ad eam Regi offerendam operâ noſtrâ fuiſſe, cùm alius Cæſareus apud eum miniſter hoc munere congruo tempore functurus eſſet.

Naſciokinus explorare nititur, an author ſecurus de admiſsâ à Polonis Cæſaris pacificâ interpoſitione veniret.

Moſchovitarum plurimi nihil unquam gratis agunt, cumqué ſolo morum ſuorum circino aliorum animos metiantur, dum comprehendere mente nequeunt, quòd aliquis velit eſſe gratuitò probus, ſuſpicionibus jugiter anguntur, inde evenit, quòd candidam ſimplicioris alicujus ſermonis ſinceritatem inanibus argutiolis in deteriorem partem ſophiſtæ ſuſpicaces detorqueant. Et præſertim ſi eos, cum quibus agunt, literis ornatos eſſe audierint. Tunc enim, Saulis ad inſtar, qui Davidem cavere cœperat, quia prudentem deprehenderat, omnia in ijs, tanquam ſimplicitatis larvâ calliditatem tegentibus, ſuſpecta habent.

Naſciokinus itaquè, quippè ingenio acri præditus, expiſcari avebat, an ſecuri de admiſsâ jam tunc à Polonis pacificâ Cæſaris interpoſitione ad ſuum Tzarem eandem oblaturi proficiſceremur. Colluſionem enim inter Cæſarem, & Regem Poloniæ ſuſpicabatur, numquam in animum admittens, quòd ille ex mero zelo ſiſtendi Chriſtiani cruoris effuſionem nos ablegaſſet; ſed potiùs, quòd ex compacto in gratiam potentiſſimi contra Poloniæ invaſores Regi nuper præſtiti auxilij futurus ipſe, vel aliquis alius ex Auguſtiſſimâ Domo, ejus in Regno ſucceſſor, operam pro componendâ pace offerret in ſuum commodum laboraturam, vel certè nunquam affectu indifferenti inter Principes religione differentes, quorum alterum pacis ſequeſter communibus ſacris, & arctâ ſanguinis cognatione contingeret.

Poſtero die abeuntes per millenos paſſus eques comitari nos voluit: Admirandâ profectò apud Moſchovitas comitate.

Ad VI. Kalendas Maij, Nienhuſio quadraginta à Marienburgo paſſuum millibus poſt terga relicto, ab horrore Livonicæ Sylvæ in apricos Moſchoviticæ ditionis Petzurenſes campos exivimus, per quos denis verſtis (ſunt verſtæ milliaria Moſchovitica Italicis aliquantò contractiora) vecti, ad cœnobium Petzuram, quòd ſepulchretum ſignificat

Profequendo is iter ſuum Petzuram venit.

ficat, irrito conatu à Georgio Farensbachio auſpicijs Stephani Poloniæ Regis anno 1581. oppugnatum, venimus.

De ritu, quo Ruſſi Chriſtum colunt.

In Ruſsiâ igitur Moſchoviticâ jam degebamus apud gentem, quæ Chriſtum colit; Græco tamen jamdiù à veræ & unicæ ejus ſponſæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ infallibili per certam Dei aſſiſtentiam judicio damnato ritu, quem à Duce Volodimiro Suatoslai filio notho anno ſecundùm eorum cum Græcis communem æram ab orbe condito 6496. à redempto verò 987. Cherſonæ, Heraclienſium Ponti accolarum in Scythicâ peninſulâ coloniæ, à Turcis Sari Germeni vocati, imperantibus in Græcia Baſilio & Conſtantino ſacris undis abluto per manus traditum mordicùs ſemper retinuerunt. Irrepentibus tamen enſim in eum haud paucis à Græco aberrantibus. Ut illud Jaroslai ejus filij fuit, qui anno 1044. patruorum ſuorum Oleghæ, & Jeropolchi in ethniciſmo repetito parricidio peremptorum oſſa damnato antè octavum tunc ſeculum Montaniſtarum more voluit baptizari. Et ſiquidem audieramus, conſervari in monaſterij fano effigiem Divæ Virginis ex arbore enatam multis miraculis claram, pia noſtros cupido inceſſit animos eam pro felici auſpicio noſtri in Ruſſiam ingreſsûs venerandi. Petijmus itaqué à commiſſario, ut nobis facultas fieret templum adeundi. Quòd licèt verbis conceſſerit, opere negavit. Præmiſſo enim, qui æduituum præmoneret, ut cõpiam ſui nequaquam faceret, aditus in illud patere nobis eò venientibus haud potuit. Edocti deindé fuimus, quòd externæ religionis homines æque, ac canes, ab aditu ſanorum ſuorum Moſchovitæ (quicquid olim vel fecerint, vel facturi ſint) nunc arceant. Quodquè ſi quis curioſitate ductus in ea clanculum ſe intruſerit, manibus per brachia arreptum contemptim educant, & ſolum poſt eum verrendo quaſi impurâ contagione prophanatum expient. Imò quòd neque vetus teſtamentum in ea inferri velint, nè polluantur, dicentes, multa obſcœna, & nefaria in eodem ſcripta contineri. Quare illud etiam à privatis in ædibus ſuis lararijs eliminent, ejuſquè lectionem (pſalterio, & aliquot ex Prophetis locis exceptis) monachis omninò interdicant.

Petit author facultatem adeundi Petzuræ templũ, quæ non datur.

Obſtante Moſchorum more.

De monachis in Ruſſiâ.

In hoc monaſterio, quomodò etiam in reliquis in Moſchoviâ frequentiſſimis laudabili magni Baſilij inſtituto ſeveriſſimæ monachis præſcriptæ ſunt leges. Carnes enim ijs perpetuò ſunt interdictæ. Piſcibus tantùm, ovis, ac lactarijs conceſſis, quibus tamen veſci ſingulis per totum annum ſecundis, quartis, & ſextis ferijs, ni feſtivæ fuerint, & continuò quadrageſimalis jejunij decurſu (exceptis anniverſarijs humanati Divini verbi, & ſolennis ejus in urbem regiam ingreſsûs diebus) vetitum. Imò nec vinum ſublimatum, aut merum, aut aquam mulſam, aut zythum tunc bibere; ſed ſolâ aquâ purâ, vel per injectum fermentum acidâ, Ruſſico idiomate Kuvas dictâ, ſitim ſedare licitum. In templo ſtatis horis, etiam nocturnis, & antelucanis, communibus precibus intereſſe omnibus mandatum. Verumtamen ſanctiſſimis his conſtitutionibus ferè omnes vel intra ipſa monaſterij ſepta prævaricatores illudunt, & ſæpiſſimè etiam extra. Nam apud notos, & conſanguineos opiparè paſti contractum ab auſterâ abſtinentiâ genij mœrorem longò omnigenarum potionum hauſtu obruunt. Indequé jurgantur, rixantur, procantur, & per urbis plateas omni decore poſtpoſito nunc pedites, nunc equites, nunc viliſſimis vecti ploſtellis, ipſi non rarò aurigantes, habitu per mille ſordes contemptibili, longâ illuvie

luvie ſquallidi vagantes, docent vulgus, quam præconceperat de eorum ſanctitate opinionem non medicamentis, ſed certiori notitiâ abigere, & debitam aliàs monaſticæ profeſſioni reverentiam dediſcendo eos naucifacere. Inter eos Abbates, & Priores, ac bini, vel terni dumtaxat in ſingulis cœnobijs monachi ſacerdotes ſunt, remquè divinam per vices faciunt. Sed non ideò alios ſanctitate præcellunt, imò, quaſi per frequentiam ſacrificandi aliquam cum Numine familiaritatem contraxerint, timore, & reverentiâ ſepoſitis confidentiùs peccant. Præſertim cùm gravioribus apud eos ſceleribus leviſſimæ dumtaxat animadverſionis pœna irrogari conſueverit.

Conjectus, dum ego Moſchuæ deſiderem, in carcerem fuerat adoleſcens quidam popi filius ob imagines ſacras pretioſis gemmis ornatas ab eo ex templo quodam furto ſubtractas. Quod cùm inficiaretur, quæſtioni adhibitus fuit, cùmquè torturæ dolorem ferendo non eſſet, reum ſe ſacrilegi furti faſſus addidit, ſe ſacerdoti cuipiam monacho illius cœnobij, è cujus templo ſacras icones furatus fuerat, longâ ſtupri conſuetudine ſuccumbere ſolitum. Citatus ille ad tribunal, coramquè cinædo conſtitutus factâ exaggeratæ humanæ fragilitatis excuſatione flagitium non ivit inficias. Jam quicumquè Divinæ in nefandam Pentapolim ultionis reminiſcitur, pyram contra manifeſtum ſceleris, imò confeſſum, in punitionem inſtructam ſibi (ſcio) imaginatur. Et appoſitè quidem, ſed non verè. Bonus ille noxæ exemptus capitali pauculos dies ergaſtulo incluſus, indè in aliud cœnobium ad farinam per dies ſexies ſeptem ſubcerniculo à furfure ſecernendam remiſſus fuit. Ubi elapſo exacti operis tempore ſingulorum in monaſterio profeſſorum cellas adeundo, oſtiaquè earum pulſando, goſpodi pomilui, Domine (ſcilicet) miſerere, repetens, ibique ab unoquoque ternos ſcuticæ ictus dorſo excipiens ſcelus valuit expiare. Puer verò patri popo redditus hâc lege fuit, ut popi dominus damnum Eccleſiæ à fure illatum ære ſuo reſarciret, in documentum ſeveriori in poſterum famulos ſuos diſciplinâ à maleficijs coercendi. Jus tamen dominicum in delinquentem tanquam ſibi addictum pro exſolutâ ſummâ eouſque haberet, donec ille ſervitijs ſuis juxta ſtatutorum præſcriptum æſtimandis à nexu ſe redimeret. Tot autem opibus à piorum largitionibus dotata monaſteria dicuntur, ut ſimul cum inſulatis tertiam in Moſchoviâ fundorum partem poſſidere credantur.

Petzurâ poſt ſumptum prandium moventes, poſtero die campos illos prætervecti, in quibus Waltherus à Plettenberg Ordinis enſiferorum in Livoniâ Magiſter modicâ duodecim millium bellatorum manu Baſilium Iwanowicz Magnum Moſchorum Ducem centum millia Ruſſorum cum Schytharum triginta millibus in adverſam aciem producentem fudit, & unici militis ſui jacturâ hoſtes occidione propè occiſos ferè delevit, quadraginta verſtis emenſis Pleſcoviam venimus. Cui ad mille paſſus jam vicini vidimus in patenti campo adventum noſtrum præſtolantes trecentos equites, quorum pars minima gregarij. Omnes ferè erant officiarij veſtibus & phaleratis equis ad ſpectaculum ornati. Eorum unus tribuni dignitate conſpicuus ex equo per interpretem nobis in rhedâ noſtrâ perſeverantibus ſignificavit, miſſos ſe à Duce Joanne Andrewicz Gavanski Bojaro, & armorum Præfecto generali Pleſcovienſi, ut nos ex mandato ſui Tzaris exciperent. Poſt noſtras gratiarum actiones pergentes nos urbem versùs anteceſſerunt. Cumquè in ripâ flumi-

Venit author Pleſcoviã, ubi honeſtè à Duce Gavvanski excipitur.

fluminis Welikæ Rekæ, olim Turunti, mœnia ejuſdem à meridie alluentis, illud navi trajecturi, deſcendiſſemus, venerunt ad nos ex ijs principaliores, nobis datis dextris de felici noſtro adventu congratulantes. In oppoſitâ ripâ ſtabant numeroſi pedites, & equites, qui nos ſemper rhedâ vectos in urbem per plateas utrinque à diſpoſitis ſub quinquaginta vexillis ſclopetarijs armatas ad hoſpitium nobis deſtinatum dedexerunt. Ibi quinquaginta ſtrelitzij, ſivè prætoriani, cuſtodes nobis dati, qui tamen nemini ex familiâ noſtrâ exitum prohibuerunt. Ipſe Dux Gavanski neminem, qui nos ſuo nomine viſitaret, miſit, nequè lautijs honoravit, quam contra morem omiſſionem adſcripſimus inimicitiæ, quæ ipſi cum Naſciokino intercedebat, quaſi illius exemplum ſequi fuerit dedignatus. Etenim Moſchovitæ Amicitiæ apud cunctas nationes ſanctiſſimo Numini nullum templum, altare nullum unquam dicarunt, eamque non ex re, ſed ex commodo æſtimant, parati ſemper juxta Biantis placitum ita amare, ac ſi ſtatim odiſſe debeant. Ab invidiâ verò ſtimulati ſimultates inter ſe exercent, occaſionem captantes mutuò ſe ſupplantandi, quam oblatam arripere perbellè norunt. Percepimus tamen, eum curioſitati ſuæ adeò indulſiſſe, ut extra urbem inter equites incognitus nos exceperit, & dein ſub ruſtici veſte latens rhedam noſtram inter anfractus platearum urbis laborantem ſuo niſu ſuſtentaverit.

Hic eſt ille Gavanski ſuis cladibus orbi notus, qui ſtolidè ferox ab animi inconſulti impetu abreptus ultrò hoſti ſemper occurrit, aut inſtat, nunquam ejus vires in judicij ſtaterâ appendens, quiqué nullam ex imperatorijs artibus callens, nihilominus dignus habetur, ut imperet, quia ex Coreccijs Ducibus in Volyniâ ulteriori per Baſilium Alexandrowicz Demetrij Koributhi Olgerdi Magni Ducis Lituaniæ filij nepotem deſcendit. Quandoquidem juxta Moſchorum morem inter exercituum duces genus, non experientia ſpectatur, & licèt quis per omnes longæ militiæ gradus fortitudine, & prudentiâ ducentibus ad ſupremum conſcenſus mille ab hoſte reportatis laureis inclaruerit, ſubmittere tamen faſces debebit ignavo cuiqué, & imbelli ſupervenienti, ſi avos ille illuſtriores ſortitus fulgore vix ſuo coruſcans ejus nobilitatem, quamtumvis claram, obumbret.

Ad IV. Kal. Maij Pleſcoviâ exeuntes, ipſis Kalendis Solczam pagum apud fluvium agnominem per ter tricenas verſtas venimus, ibiqué lembis conſcenſis flumen Salonam, cumqué ipſo lacum Ilmenium deindè ineuntes, ac ſeptuaginta benè habitatæ ripæ verſtas præternavigantes, Novogrodiam Magnam V. Non: Maij appulimus. Ubi propter ingruentem pluviam, non expectatis, quos nobis mittebat Vicepræfectus, equis, per diſpoſitos ſub triginta quinqué vexillis à litore uſque ad hoſpitium nobis præparatum utrinqué in plateis pedites pertranſivimus. Interluit hanc urbem Cheſinus, Ruſſis, dum lacum Ilmenium intrat, Lowat, dum verò ad Finnicum ſinum per lacum Ladogam ſe evolvit, Wolckow dictus.

De Ruſſorum jejunijs.

Ibidem ille alterâ die, quæ feriam repræſentabat quartam, prandentibus nobis duodecim variarum potionum amphoras, ferculaque ter novem ſubmiſit Ruſſicæ abſtinentiæ convenientia. Multa enim Moſchovitis præcepta ſunt jejunia, quæ diſtrictè admodum ſervant. Singulis per totum annum Mercurij & Veneris diebus carnes, ova, & lactaria à mensâ faceſſere jubent, reliquis omnibus cibis admiſſis, modò

modò apud paulò religioſiores zacharum abſit; ſed non omne, verùm turbinatum, & in obeliſcos conglutinatum dumtaxat, eò quod per ovorum albumen depurgari ſolitum inaudierint. Quadrageſimale jejunium exordiuntur ab hebdomadâ ſexageſimæ, in quâ tamen ſolis carnibus abſtinentes, ſed piſces omninò, ova, & lactaria etiam quartâ & ſextâ feriâ admittentes, eorum plurimi compotationi adeò indulgent, ut non interpolatâ unquam per illud tempus temulentiâ mente capti Bacchantium ad inſtar lymphati errantes in mille facinora, & flagitia ruant. Sequenti verò ſeptimanâ pœnitentes, juſtitio indicto domi ferè omnes incluſi ſolo pane ſecundario, fluminequé puro, vel fermentato eorum plurimi ſunt contenti. Reliquis ſex addunt ſalſamenta, & ad libitum recentes piſces. Porrò ſequitur Petri jejunium ab octavâ poſt Pentecoſtes uſqué ad anniverſarium Petri & Pauli diem. Dein jejunium Divæ Mariæ à Kalendis Auguſti uſque ad aſſumptam in Cœlos Virginem Deiparam. Et tandem jejunium Philippi, ſic dictum, quòd circa Philippi ferias, quibus ſecundùm Græco-Moſchoviticos faſtos dies Novembris decimus quartus attribuitur, uſque ad feſtum naſcentis Salvatoris protrahendum incipiat. Profeſtum decollati inter epulas Prærurſoris jejuni omnino uſqué ad ſolis occaſum, ſed Epiphaniæ Domini, etiamſi in diem ſolis inciderit, ſolâ carnium abſtinentiâ venerantur. Ab auſterâ hâc jejuniorum lege aliquem eximere nulli licet. Quin imò nec parvulis, nec infantibus matres diſpenſant. Cœnobia verò, & omnes infulati, quippe ſub lege monachali perſeverantes, arctiori adhuc nexu ad ſeveriorem jejuniorum obſervantiam obſtringuntur. Econtra poſt natalem Domini diem quatuordecim continuos ſoles, ſeptem verò ante Dominicam ſexageſimæ, totidemqué poſt Reſurrectionis, & Pentecoſtis feſta carnibus ſemper veſci ſibi licitum faciunt.

Jejunium magnum.

Et quidem in hebdomade poſt Paſcha tantâ celebritate omnes, ſivè majorum, ſivè minorum gentium, ſivè plebis utriuſqué ſexûs promiſcuè genium exhilarant, ut eos putes inſanire. Etenim ab omni opere feriati, tabernis, officiniſqué clauſis; at ganeis, popiniſqué patentibus: ſilente per juſtitium foro; verùm reboante per turbulentorum clamores aëre, quocumqué in loco primâ vice obviam ſibi invicem fiunt, ſi aliqua inter ipſos cognitio intercedat, Chriſtus ſurrexit, alter alteri dicit. Iſqué reſpondet, Verè ſurrexit. Illicoqué os ori applicando (oblato plerumqué priùs viciſſim ſibi vel vero elixo, vel ex ſylvâ mentito, exteriuſqué varijs illito coloribus ovo) mutuò ſe oſculantur. Popi verò omnes, ceteriqué Eccleſiaſtici, puero aliquo in levamen ſacræ imaginis, aut crucis ferendæ ſecum aſſumpto, ornatioribus amicti tunicis per urbium, vicorumqué compita curſitant, tribules ſuos, notoſqué alios viſitant, & apud eos compotationem uſqué ad plenam ebrietatem trahunt. Totqué in publicis vijs ſivè maſculini, ſivè fœminini ſexûs potu obrutos jacere videbis, ut judicare debeas, non tantum gratiæ apud Deum promereri potuiſſe auſterum eorum jejunium, quantum per violatas poſt illud licentiâ tam effrœni ſobrietatis leges ejus in ſe attrahunt indignationis. Æra campana omnia continuo noctes dieſqué tinnitu aërem verberant. Etenim non ab ædituis dumtaxat convocandæ ad pſalmodias & ſacrificia plebis, aut in ea excitandæ devotionis ergò ſtatis horis pulſantur; ſed ab ebriâ quoqué cujuscunque pertranſeuntis ſuperſtitione credentis, ſe per illum ſonum cognatorum, vel amicorum manibus gratiſſimum creare ſolatium.

Eorundêque poſt Paſcha hilaritate.

Tzar toto primo triduo in admittendis ad manûs oſculum proceribus, reliquiſquè aulicis ſuis occupatur. Magnates, & qui ad eorundem conditionem per aulica munia contendunt aſſurgere, aliquot ei zebellinas pelles cum pane & ſale offerunt, quas ille utroque hoc retento gratias dicens ipſis reddit. Ceteri ſinè munere eum accedunt, dumquè ejus in pugnum contractæ dextræ oſculum figunt, ſuam huic ſubijcientes, bina ex eâ cadentia ova ſinguli excipiunt.

Sumpto prandio Vicepræfecti rhedâ ad navigia per eundem militum apparatum vecti, laci undas adhuc per vigintiquinquè verſtas eâ die ſulcavimus, & in pago Navoluki apud popum, ſive ſacerdotem pernoctavimus.

De Religione & hierarchiâ Moſchovitarum.

Cûm nothus Volodimirus Rurichi pronepos ſacris ſe Chriſtianis addicere decreviſſet, & à Baſilio Orientem cum fratre Conſtantino communicato imperio tum moderante levari de ſacro fonte elegiſſet, Nicolaus Chryſobergus Patriarcha Conſtantinopolitanus Michaelem nationę Græcum Ruſſiæ metropolitam conſtituit, eiquè Volodimirum, ejuſquè ſubditos ſacris undis tingendi munus demandavit. Exinde eccleſiaſticæ in Moſchoviâ Hierarchiæ Patriarchæ ſemper præfuerunt Conſtantinopolitani. Quorum tandem Hieremias, cùm per Ruſſias curſitaret ad corradendas pecunias, quibus empto Portæ Ottomanicæ favore Mitrophanem unitum è Patriarchatu extruderet: Cùmquè in viliſſimâ paupertate ſub Turcico jugo gemens gentem Moſchoviticam, per erepta tunc Tartaris Regna Caſanenſe, Aſtracanenſe, & Sibirienſe, & Selymum Turcorum Imperatorem ingenti clade affectum in orbe glorioſam, tanquam futuram olim Orientis liberatricem, & præpotentem Græcæ fidei aſſertricem ſuſpiceret, facilè ab ejus precioſis precibus exorari ſe paſſus fuit, ut ejus ambitioni velificaretur concedendo, quòd proprium habere Patriarcham poſſet à Conſtantinopolitano planè independentem. Reſpexit forſitan ad Synodum Chalcedonenſem in canone 17. ſtatuentem, quòd, ſi civitas aliqua innovata fuerit, civiles, & publicas conſtitutiones Eccleſiaſticarum quoque paroeciarum ordo ſubſequatur. Menſe itaquè Februario Anno ab orbe creato 7097. à Chriſto nato 1588. dominante in Moſchoviâ Theodoro Joannis Baſilidis filio primus Jobus in Patriarcham Ruſſorum Moſchuæ ab ipſo Hieremiâ conſecratus eſt. Hunc Anno 1605. Demetrius, impoſtoris notâ ſub nomine Griskæ Utrepejæ apud Moſchos infamis, ſede dejectum ad clauſtri ſepta repedare coegit, & Ignatium Romanæ (ut Moſchorum annales referunt) fidei hominem ei ſuffecit. Qui dein à ſucceſſore dilaniati Demetrij Baſilio Suisko in monaſterium miraculoſum Michaelis Archangeli in urbe Moſchuâ detruſus locum fecit Hemogeni Caſanenſi metropolitæ, communi ejusdem Baſilij, & cleri conſenſu ad tantæ dignitatis faſtigium, ad quod Jobus rursùs aſcendere abnuerat, evecto. Sed malis avibus, etenim à furibundâ plebe eodem cum promotore ſuo odio abreptus in ſubterraneâ incluſus caveâ inediâ enecatus interijt. Electus igitur poſtmodum promotione filij Michaelis Magni Ducis, & Antiſtitum conſilio Philaretus Metropolita Roſthovienſis, cui ordine ſucceſſerunt Jaſaph, Joſephus, & præſens Nicon. Omnes verò abſolutam in Eccleſiaſticos, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam, moreſquè Chriſtianos ſpectantia imploratâ pro executione numquam denegatâ Tzaris auctoritate jurisdictionem exercent.

Poſt Patriarcham quatuor numerantur Metropolitæ, Novogrodienſis,

dienſis, Caſanenſis, Roſthovienſis, & Sarkienſis, qui Moſchuæ in arce habitans ex mandato Tzaris Patriarchæ tunc exulantis munera obibat.

Sequuntur deindè Archiepiſcopi Vologdienſis, Rezanenſis, Suſdalienſis, Tuverenſis, Aſtracanenſis, Sibirienſis, Archangelenſis, & Pleſcovienſis.

His ſubſequuntur Columnæ, & Viatkæ Epiſcopi, agmenq; claudunt innumeri Protopopi, Protodiaconi, Popi, & Diaconi.

Præter hos Eccleſiaſticos numerant Moſchovitæ Kyovienſem Metropolitam, Smolenſcenſem Archiepiſcopum, ac Micislavienſem, & Polocienſem Epiſcopos. Sed cùm ditiones iſtæ controverſi cum Polonis, & Lituanis juris adhuc ſint, expectanda erit futura inter eos pacis tranſactio, vel communis Martis deciſio.

Antiſtites omnes ex monachorum ordine ad pedum aſſumuntur. Nulli autem eorum uxorem ducere, vel cum antè ductâ cohabitare, multò minùs concumbere fas eſt. Sacrum nihilominus faciunt omnes, quamvis contraria ſcripta ſit Archipræsbyteris, Præsbyteris, & Diaconis conſtitutio. Hi enim, antequam conſecrentur, uxorem virginem duxiſſe, & conſecrati cum eâ maritorum lege convivere neceſſariò debent, modò illâ, quæ concubitus ſui noctem ſubſequitur, die ſacerdotes ſacris obeundis abſtineant. Quod ut præſtare poſſint, plures in ſingulis templis, ubi unicum tantùm erectum altare, unicumquè ſingulis diebus ſacrum peragitur, conſtituuntur; nullus tamen quartò intra hebdomadam ſacris operari obſtrictus eſt. Quòd ſi uxor fatis conceſſerit, niſi à Patriarchâ, aut Metropolitâ ad aliquòd tempus (ut Moſchuæ fieri vidi) legi cum eo derogetur, facere vetantur, ad reliqua Eccleſiæ officia tanquam vulgares miniſtri dumtaxat admiſſi. Nec altera ducta ſuffragabitur; quin imò tunc etiam ab his tanquam meri ſeculares nihil ulteriùs cum clero commune habituri arcebuntur, à ſublimi dignitatis ſacerdotalis faſtigio ad deſpicatiſſimam imæ plebis conditionem, unde omnes emergunt, præcipitati. Habitu à ſecularibus non differunt, niſi quòd ſacerdotalem capitis tonſuram rotundo ad cutim ab Epiſcopo in conſecratione applicato, numquamquè, niſi capillos tondendi gratiâ, deponendo tegumento operiant, diffluente undiquaquè ab ejus extremo ambitu in humeros Nazareorum more prolixâ cæſarie. Dignitatem verò ſuam plebei iſti omnes ita deijciunt, ut contínuis ſordibus, & pedore ſquallentes ipſi ploſtellum ſuum ducant: in frequentiſſimis urbis plateis tanquam in ſolitario aliquo cœnaculo comedant: ſique zona ſit gravis, in popinam intrent calices uſquè ad cœcam temulentiam exhaurituri. Idiotæ ſunt uſque ad unum omnes, cunctoſquè à Ruſſicâ diſſidentes fide paganos appellant. Quapropter popus noſter dextram nobis in conſuetam lubentis hoſpitalitatis teſſeram porrigere noluit, ne contactu noſtræ contaminaretur.

Ad hanc erroneæ mentis ſuperſtitionem aliam addidit. Simulachra omnia, præterquam in Eccleſiæ altari, Moſchovitæ reſpuunt; ſed à Græco, vel Ruſſico penicillo delineatæ Divorum iconibus tabulæ, poſtquam eas pro auro, vel argento permutatas (emere non licet) ſuas fecerint, & aquâ aſperſerint luſtrali, in tantâ apud eos ſunt veneratione, ut addubitare liceat, quonam eas cultu proſequantur. In ædibus ſuis privatis plures quiſque habet, quæ in cœnaculorum, & cubiculorum angulis collocatæ, & juxta uniuſcujuſque facultates argento,

Qualis ſit in Moſchoviâ imaginum cultus.

to, auro, ac gemmis ornatæ tam familiarium, quàm advenarum cultui exponuntur. Coram ijs luminibus accensis præces suas fundunt, easquè profectò compendiosas, nam signo crucis per trinos dexteræ digitos pollicem, indicem, & medium punctim conjunctos, manu à fronte ad pectus, indè ad hujus dextram, & demùm ad lævam partem ductâ se munientes, Domine miserere, suo idiomate ingeminant pluries, oratione Dominicâ, quam rusticorum nullus, civium verò, imò & monachorum perpauci recitare norunt, insuper habitâ. Si verò vir cum uxore suâ generationi operam dare velit, imagines velo aliquo operire tenetur. Cùm Moschovitarum aliquis alterius conclave ingreditur, omnibus, quos ibi offendit, cujuscumquè dignitatis fuerint, insalutatis, circumlato confestim obtutu angulos perlustrat, an imagines adsint. Quas si illicò non viderit, interrogat, an non aliquis ibi Deus sit? Ostensas autem ter se inclinando, & crucis signo muniendo veneratur. Indè erga adstantes urbanitatis officia adimplet. Peractis negotijs abiens imagines iterum eodem venerationis cultu prosequitur. Monachis, aut sacerdotibus preces suas absente imagine ad Deum fundere nullo modo licet. Si baptisandus est puer, si connubia jungenda, si juramentum præstandum, si defuncti cadaver terræ mandandum, imagines sunt adhibendæ. Ab intimis templorum parietibus circumquaquè à privatorum pietate appensæ pendent imagines. Harum aliquam si quis venerari deprehensus à domino fuerit, objurgari se statim audiet, undè tandem sibi tantum arrogaverit, ut gratias ab imagine redemptori suo de jure debitas furtivis precibus suis gratis præripere velle præsumpserit. Comparet sibi & ipse aliquem Deum, quem ad libitum imploret, alienis non utatur. Et objurgantem non priùs obmutuisse gaudebit, quàm eum parte valoris rei cum imagine permutatæ refusâ placaverit. Si verò aliquis Ecclesiæ decreto reliquorum communione privetur, eâdem pœnâ sacra ejus plectitur icon, è templo enim detracta excommunicato domum suam deferenda retraditur, admittenda rursus cum ipso, si Ecclesiæ fuerit reconciliatus. Porrò si aliqua ob vetustatem evanidis coloribus carriosa conciderit, eam projcere, vel comburere religioni sibi ducunt, fluento potiùs supernatare volunt, quò sors duxerit, appellendam, aut in aliquo cœmeterio, quasi jam suo usui mortuam, sepeliri. Post mortem Helenæ Joannis Moschorum Magni Ducis ex Basilio cœco geniti filiæ, & Alexandri Poloniæ Regis viduæ Moschi anno 1570. obtulerunt Lituanis liberationem Thomæ Machienicz apud se jure belli captivi, & quinquaginta ejusdem consortium in redemptionem imaginis Deiparæ à Lucâ (ut Russi ajunt) pictæ, quam illa abiens è paterno larario Anno 1494. secum tulerat, quæque Vilnæ deindè in templo Sanctissimæ Trinitatis apud monachos Basilianos unitos diù asservata fuit. Hospes itaque noster veritus forsan, ne imagines suas malè haberet, si inter paganos relinquerentur: neve nos illis inemptas gratias importunis precibus extorqueremus, è cubiculo nostro ablatas in suo interiori abdiderat.

At præter Divorum iconas nullas in totâ Moschoviâ videre est imagines. Statuas autem planè nullas, ita ut avorum apud nepotes, sæpè & parentum apud filios memoria unâ cum eorumdem intereat vitâ. Nullaquè ibi majorum præclaris illustrium facinoribus locata in ædium vestibulis cera, aut suspensa è conclavium parietibus imago, quæ succes-

sorum animos ad virtutem excitet, & ad generosam æmulationem inflammet.

Tertio Nonas Maij navigare adhuc per sex verstas Ilmenium lacum debuimus, ut ad monasterium Ponadeglie lembos appelleremus. Indè profectioni nostræ sedulò incumbentes Tuverzackium oppidum. post trecentas nemorosi itineris verstas ad IV. Idus Maij venimus. Ubi defectum militum, qui nos exciperent, oppidani lunatis securibus, & sarissis armati supplere debuerunt.

In Urbem Tuveriam apud Vulgam author inducitur.

Naves ibi denuò conscendimus, & per fluvium Tuverzam ex liquefactis nivibus tunc aliquomodo navigabilem prono alveo, quamvis non semel vado inter saxa hærentes, per quatuor viginti verstas flumen Volgam, eoque transmisso urbem Tuveriam bidui navigatione invecti sumus.

Ejusdem fluvij descriptio.

Fluvius Volga, antiquis Rha, Tartaris Edil, natalium suorum paludi Fronoviæ in sylvâ Volkonskia Ducatûs Rescovienſis debitor est, sed nominis Lacui Volgo, cui post decursa bis quinque millia passuum aquas suas associat, pinquiquè fœnore ditior inde emergit. Defertur ortum versùs per Ducatus Tuverienſem, Jaroslavienſem, Rosthovienſem, Susdalienſem, & inferiorem Novogrodienſem, perquè Regnum Casanense. Quorum dum urbes Stassecziam, Tuveriam, Uglizam, Mologam, Jaroslaviam, Castromam, Plessam, Jorgowitziam, Balagnam, Novogrodiam inferiorem, Vasilogrodiam, Kusmademianskiam, Sabakzaram, Koskagam, Swiatkiam, Casanumquè præterfluit, flumina Dubnam, Tutum, Tuverzam, Cassinum, Danecam, Mologam, Scosnam, Scotoroam, Castromam, Occam, Suram, Juncam, Vetlugam, Su, & Casanskam absorbet. Indequè reflexo in meridiem cursu per Regnum Astracanense Kamæ, Zerdikij, Utkæ, Beitmæ, utriusqué sivé Atrobæ, sivè Samaræ, Askulæ, Syrani, Pantzinæ, Zagræ, Ruslanæ, Kamuskinkiæ, Bollokleæ, parvuli ex Tanai rivuli, Komousij, Verovijqué undis immensum auctus, oppidi Samaræ ripam, oppidum Tzornogarum, urbemque Astracanum alluit. Et tandem per sexaginta passuum millia solitario ferè pede decurrens, ab aliquot temerè aggestæ, junciſqué, & virgultis obsitæ terræ parvulis insulis se interponentibus in plures quasi alveos divisus, aquas suas per trigesies centenas verstas numquam mutato soli domino deductas Caspio mari perenni copulâ, & quidem cum dote, maritat. Etenim ei creditas sibi à Russis suis pretiosas Zobelarum, martium, Ponticorum murium, Lynciumqué pelles ad Tartaros, Armenios, Medos, Parthos, Persas, Indosquè transmittendas defert. Et vicissim textas apud illos omnigenas ex lana, gossipio, serico, auro, argentoqué telas, & peristromata, sericum ipsum diversis infectum coloribus, pyropos, eranos, & margaritas, rhabarbarum, &, quos Bactriana Nisabur temperat, acinaces recipit, & per onerarias adversis suo, Occæ, & Moschuæ alveis retrogradas in ipsam usquè Moschoviticæ Russiæ metropolim invehit.

Tuveriæ nemo ad nos excipiendum comparuit, rarus enim ibi civis, & nullus tunc miles erat. Ad XVII. Kalendas Junias indè discessimus. Attamen ductor noster, qui eousquè festinâ juxta instantiam nostram diligentiâ iter nostrum promoverat, acceptis à suo Tzare literis, per quas jubebatur, nos præscisè ad XI. Kalendas Junij in pagum Zerkisowam, vigintiquinqué ab urbe Moschuâ verstas distantem, introducere, tam lentè deindè processit, ut illud ter quinqua-

ginta dumtaxat verſtarum, & quidem brevium, & commodæ viæ iter per totos ſex integros dies vix emenſus fuerit. Cauſam mandati tribuebat ille benignitati Domini ſui, qui etiamſi de feſtinatione noſtrâ, ejuſquè causâ per literas ſuas fuiſſet edoctus, conſulere tamen valetudini noſtræ voluerat, non permittendo, ut vires noſtræ à tam longo, & per ſexcenta incommoda laborioſo itinere fractæ ob celeriorem vectationem omninò conciderent. Reapſe autem detinebamur diutiùs in itinere, ut interim tempus daretur nobilibus ex provinciâ ad nos excipiendum evocatis ad præfixum ingreſſui noſtro in urbem Moſchuam diem Maij vigeſimum quintum eò conveniendi.

Magnus Dux cognatũ ſuũ Streſchnew cædit

Dum in hoc pago faſtidioſam duceremus moram, ex auditâ hujus lepidi facti narratione animum parumper recreavimus. Cùm immodicus intrinſecus calor Magni Ducis bonæ valetudini inſultaret, juſſit conſuli ſuper eâ ſuppreſſo ſtudiò patientis nomine medicos ſuos ſigillatim, & ab unoquoque eorum conſilium ſcriptò exigi. Concordi illi ſententiâ convenerunt, ut patienti vena aperiretur. Probat Alexius conſilium, & detractâ larvâ eam ſecandam chyrurgo præbet. Poſt emiſſum feliciter ſanguinem adſtantes proceres ad imitationem invitat. Obſequuntur omnes, licét inviti, invitanti Domino, non tam à familiari in aulis adulationis vitio, quàm à metu ejus contra recuſantes indignationis impulſi. Unicus Rhodion Mattheowicz Streſchnew Ocolnicius fretus cognatione, quâ mediante Eudociâ Streſchnowia Alexij genitrice eum contingit, infirmam ſenectam ſuam cauſatus tergiverſatur. Undè ille irâ percitùs, ſiccine (inquit) ò vile mancipium, Dominum tuum vilipendis? Numquid in venis tuis ſanguis reſtagnat meo pretioſior? & eouſquè tu ſuper æquales, imò & ſuperiores, te effers, ut laudabile eorum alacris obſequentiæ exemplum contrario facto tuo damnare præſumas? Nec plura fatus, os ejus involat, pugniſquè à non impedito per venæ ſectionem lacerto multiplicatis eum cædit, & calcibus impetit. At deferveſcente poſtmodum bile, eâdem, quâ illum pulſaverat, manu charum ſemper Moſchis cataplaſma percuſſionum tumoribus applicuit, munera, ſcilicet, quibus liberaliter eum donavit.

In Nicolai fano ſub tentorijs authorpernoctat.

IX. Kalendas Junias venimus ad Nicolai fanum, decimo à Moſchuâ lapide, ubi præparata nobis bina tentoria erant ex mandato Magni Ducis profitentis, ideò ſe hoc juſſiſſe, quia reſciverat, quàm illibenter nos ad ruſtica hypocauſta, æſtatis tempore æquè, ac hyemis, ſemper calentia diverteremus.

Eò venerunt eâdem die miſſi à Magno Duce ſex equi cum aurigis, qui noſtram rhedam traherent, & aliquot gradarij, qui honeſtiores familiæ noſtræ veherent. Honore profectò ſupra conſuetum, cùm equi ſemel tantùm ipsâ ingreſsûs die ad aliquot ab urbe paſſus ceteris legatis mitti ad illum uſque diem ſoliti fuerint.

Ingreditur in Urbem Moſchuam.

Poſtero die circa undecimam antemeridianam movimus Moſchuam versùs. Sedebat, quod numquam antea fecerat, nobiſcum in rhedâ tertium occupans locum ductor noſter. Omnes noſtri familiares equites antecedebant. Rheda noſtra, & impedimenta ſubſequebantur. Stabant bis mille à Moſchuâ paſſibus in aprico campo ad utrumqué viæ marginem in varias ſub quadraginta vexillis diſtributa phalanges peditum ſex, & ulteriùs eodem ordine uſqué ad ſuburbia decem ſub ſignis ſuis equitum millia, tympanis, ac tubis aërem continuò ad reddendos læti-

lætitiæ ſonos verberantibus. Inter quos cùm ad quingentos ab urbe paſſus proceſſiſſemus, venit ad nos nuncius à Jacobo Simenowicz Walinski ſtolnico (nobili, nempè, Tzareæ menſæ miniſtrante) & Diako, ſivè ex minoribus Cancellarijs uno, Gregorio Carpowſin Bogdanow, deſtinatis à Tzare ad nos excipiendum, & durante noſtrâ Moſchuæ morâ nobis de neceſſarijs proſpiciendum commiſſarijs (priſtavos Moſchi vocant) qui illorum nomine nobis indicavit, adventaſſe eos cum rhedâ Magni Ducis. Deſcenderemus itaqué ex noſtrâ, & in illam tranſitum faceremus. Reſpondimus, paratos nos eſſe ad hoc præſtandum ſtatim, ac videbimus eos, quod eorum muneris eſſet, præſtitiſſe. Hoc audito confeſtim Jacobus Wibergus interpres illis adjunctus ab equo diſiluit, quem ſecutus fuit illicò Diakus, deſcendente eodem tempore etiam primario commiſſario. Nos hanc facilitatem Moſchovitis inſuetam videntes, haud cunctati protinùs & ipſi de rhedâ deſcendimus, ita ut collega meus prior cum poſtremùm deſiliente ex commiſſarijs eodem tempore, ego autem poſt eos omnes terram premeremus. Ibi procedentes commiſſarij cum interprete nobis obviam caput priores abſque ullo prævio pacto ultrò humaniter aperuerunt, & ſecundùm formam conſuetam nomine ſui Tzaris nos exceperunt. Indè Præfectus ſtabulo Magni Ducis obtulit nobis per alium interpretem Domini ſui rhedam paratam, ac alios pro noſtris familiaribus equos. In illâ poſtquam ambo ſediſſemus, ſederunt etiam primus commiſſarius, itineris noſtri dux, Diakus, & interpres. Cùmqué paululum lentiſſimo gradu perrexiſſemus, ſubeuntes ſuburbium ſubſiſtere debuimus, donec tam pedites, quàm equites in campo diſpoſiti urbem omnes ingreſſi, & in plateis, quà nobis ad hoſpitium tendentibus tranſeundum erat, denuò ordinati fuiſſent.

De amictu Moſchovitarum.

Quotidianus Moſchovitarum, etiam procerem, amictus rem domeſticam parùm imminuit. Strictiſſimæ ex vili panno caligæ à ſericeâ parum infra ſuras productâ veſte, hæcqué à ſuperinductâ talari togâ, æſtivo tempore ex Ancirenſi undulato, hyemali verò ex panno pellibus ſubducto cooperiuntur. Utraque autem, licèt uſu attrita, & ſordidata, nondum tamen eis ſordeſcit adeò, ut deponatur. Si verò exterorum legati Principum excipiendi: ſi publicæ prodeant ſupplicationes: ſi nuptiæ celebrentur, tunc quicquid ſumptuoſi Attalica operatur textrina, quicquid pretioſi excoriata ſuppeditant animalia, quicquid gemmarum dives profert Oriens, quicquid margaritarum conchæ emittunt Erytreæ in togis, & manicatis tunicis, quæ, cùm propter ſuam ſemper conſtantem formam numquam obſoleſcant, longo ad atnepotes uſu tranſmittuntur, in faſtigiatis pileolis, inqué vitiolis, vel potiùs millis, eorum colla cingentibus, utrumqué humerum ponderoſis aureis torquibus decuſſatim onerati vaniſſimâ pompâ ambitioſè oſtentant. Quòd ſi alicui res domi anguſta curtam faciat horum ſuppellectilem, huic levem aliquam commodati uſuram ſolventi è Tzaris veſtiario juxta ejus qualitatem proſpicitur. Sed caveat is, quicumqué fuerit, ne mutuatas veſtes laceret, aut commaculet: neve ex gemmis aliquam ſubtrahat, vel amittat, damnum enim quodcumqué carâ æſtimatione rependere, & culpæ ſuæ, vel negligentiæ pœnam per fuſtuarium luere debebit.

Comam alunt, ſed non ultrà aurium extremitates protenſam, ne barbæ, quam multi faciunt, dignitati officiat. Neutram tamen illi tondent,

dent, qui à Tzare ad exteras aulas ablegantur, donec reverſi ab eo admiſſi fuerint.

Equis utuntur Tartaricis, quorum ſingulis annis Nagaienſes ad quadraginta millia Moſchuam levi pretio vænum emittunt, qui obeſo ventre, ſtrigosâ cute, pingui collo, gravi capite eos intuentibus deſpicatui eſſe deberent, niſi pernicitate, ſummâqué laboris, & inediæ tolerantiâ commendarentur. Non deſunt tamen apud primores & Perſici, quibus ornatiſſimè phaleratis inſidentes ad publicas ſolennitates & ipſi ſpectaculum exeant. Verùm cùm equiſonibus careant, nec equi, nec ſeſſorum omnium quiſquam aut comptè, aut doctè incedere norunt, præclarè hi actum putantes, ſi illos ad celerrimum curſum ex improviſo impellant, ac ad inordinatos & omnis artis expertes ſaltus excitent, ut illo motu concuſſæ argenteæ ex maximis annulis cathenæ, quibus quaſi alterâ habenâ ornantur, ſuum clangorem edant, & tintinnabula, quibus ſupra ungulas ſtringuntur, ſonitum reddentes fidem faciant, eos eſſe ſonipedes. Hinc itaqué in illâ trium horarum in ſuburbio tædioſiſſimâ morâ aliquod nobis allevamentum identidem oriebatur. Etenim valde jucundum nobis erat, ſpectare modò hunc, modò illum ex illuſtriori Ruſſicâ nobilitate mutatis ſubindè tunicis circa rhedam noſtram adequitantem, nulloqué nobis honore exhibito, pavi ad inſtar, omnem caudæ ſuæ pompam explicantem, dum veſtem, martium Scythicarum exuvijs ob nigredinem, longitudinem, & denſitatem pilorum precioſiſſimis ſubductam, per ſervos ſuos ad utrumqué latus eam inverſam tanquam paludamentum expandentes nobis oſtentabat; vel ad incomptos ſaltus phaleratum, cathenatum, & tintinnabulis compeditum equum ſuum incitando, per illam motûs concuſſionem noſtris eam totam oculis ſtrepitosè objectabat.

Hiſce tamen ſpectaculis aſperato interim nubibus cœlo violentus dejectus imber intervenit, nobiſqué ad hoſpitium properandi neceſſitatem injunxit. Sed ex templò adeò tranquilla ſerenitas reddita, ut inter innumeram populi multitudinem, & armatas cohortes, tubicinibus noſtris obvio Tzareorum clangori inceſſanter occinentibus, procedentes, tot utriuſqué ſexûs ſpectatores in domibus, tabernis, plateis, & compitis, quacumque veheremur, viderimus, ut conijcere licuerit, neminem illâ die ſe domi continuiſſe.

Moniales in Moſchoviâ.

Et profectò crediderim, quòd ex ſanctimonialibus nulla, tanta earum erat diſperſa per plateas multitudo. Harum, ſivè virginum, quæ raræ: ſivè viduarum, quæ plures: ſivè à viris repudiatarum, quæ plurimæ, frequentiſſima in Moſchoviâ cœnobia ſunt, in quibus tamen parùm exacta viget ſanctarum conſtitutionum obſervantia. Inverſo ſiquidem ordine ibidem conjugatarum gynecæa, ſi non pudore, at inviolabilis clauſuræ cancellis ſepiuntur. Veſtalium verò clauſtra nullo clathro, repagulo nullo clauduntur. Curioſus itaqué ſexus nullâ clauſuræ lege coercitus homines admittit, & poſtquam antelucanis in choro officijs interfuit, per urbes paſſim licentiosè vagatur. Cùmqué nullum habeat, quem timeat, pudoris cuſtodem, honeſtatis monitis aditum ad animum per interpoſitum ſenſum occludens ſeductæ voluntati habenas laxat, à quâ per invia, & devia inconceſſorum aſportatus, tandem in profundam infamiæ abyſſum præceps agitur, ubi reſupinatus probis omnibus fit offendiculum, & ſacri veli dehoneſtamentum.

Nihil

Nihil tamen in tantâ pompâ magnificentius fuit, quàm quòd ab initio ſuburbij uſqué ad hoſpitium noſtrum præcedere immediatè noſtram rhedam quamplurimi Duces, & Senatorum filij, omneſquê Magni Ducis nobiles à cubiculis cum ipſo eidem gratioſo Duce Georgio Juanowicz Romodanowski voluerunt. Hi omnes veſtibus amicti ſuperbiſſimis hoſpitij noſtri ingreſſum ſuſpenſo equorum greſſu ſtipantes dixerunt nobis, ſe ex mandato ſui Tzaris in honorem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis eouſqué officio numquam antea ulli Legato exhibito, & quidem libenter, deduxiſſe. Per hoc apertè Magnus Dux per commiſſarios noſtros nobis ſignificari curavit, quòd in ſignum fraternæ ſuæ erga Imperatorem benevolentiæ in nobis honorandis præterita exempla excedere voluiſſet.

Moſchovitarum ædes.

Ædes nobis pro hoſpitio aſſignatæ erant ſatis amplæ, &, quod rarum Moſchuæ, lateritiæ. Ligneas enim Moſchovitæ, ut plurimùm, habitant. Et cùm ab aliquot annis non pauci Moſchuæ, ſivè ad oſtentationem, ſivè ut ſecuriùs ab incendio ibi frequentiſſimo quieſcant, ex lateribus ædificent; cubicula nihilominùs ex abiegnis truncis eorum commiſſuras muſcantes compaginant, dicentes, ineſſe ſemper cœmento noxiam bonæ valetudini malignitatem. Et juvet verum fateri. Frigora in hyeme tam acutâ ibi vi pollent, ut craſſiſsimos lateritios parietes per aſſociatam humiditatem penetrent, eamqué in conclavibus, ubi contrarium elementum non offendit, glacie adſtringendo cruſtâ illos, ut pluries vidi, nivosâ obducant.

De victu fuit nobis per duodecim fermè noſtræ Moſchuæ moræ menſes uno ſemper conſtanti tenore perquam abundè proviſum. Obtulerant quidem nobis à principio commiſſarij noſtri erogationem in ſingulos dies alicujus certæ, de quâ conveniendum foret, loco cibariorum ad alimoniam noſtram pecuniæ; ſed cùm anteceſſores noſtri Romanorum Imperatorum miniſtri, & Moſchovitici Viennæ hoc numquam ad illud uſquê tempus admiſiſſent, noluimus nobis ſucceſſuris reprehendendo aviditatis habendi exemplo præire, & credidimus, nobis minimè licitum, antiquam conſuetudinem antè mutuum Cæſaris Tzariſqué conſenſum immutare.

VI. Kal: Junias indicarunt nobis noſtri commiſſarij, fore, ut ſequenti die coram Magno Duce ſerenos ejus oculos intuituri admitteremur. Et ſciſcitati ſunt nomine Cancellarij, an munera ab Imperatore ad Tzarem haberemus? Reſpondimus, hoc non eſſe moris. Habere nos tantummodò propria ſecundum tenuitatem facultatum noſtrarum munuſcula Magno Duci in ſignum noſtræ erga eum venerationis offerenda. Quæ ſic expetentibus oſtendimus.

Admiſſionis primæ deſcriptio.

Alterâ die redijt ad nos commiſſarius noſter Diakus monens, ut ad futuram poſt alteram horam noſtrûm coram Magno Duce admiſſionem nos pararemus. Circa decimam antemeridianam comparuerunt in atrio noſtrarum ædium poſt rhedam Magni Ducis, & quidem aliam à priori, equi ad uſum familiæ noſtræ. Inde ſucceſſerunt noſtri ordinarij commiſſarij, qui in altero ex noſtris conclavibus ſuperinduentes tunicas margaritis, & gemmis ornatas ex veſtiario Magni Ducis ad hunc uſum juxta morem depromptas nos ad rhedam deduxerunt. In quâ poſtquam honoratiora loca nobis ultrò aſſignaſſent, ſederunt ambo cum interprete, ſtipantibus eam ab utroque latere pediſſequis noſtris.

Præcedebant equi antes tubicines, & domestici nostri, quibus succedebant ex famulitiotnostro pedites munera portantes, & tandem solus equo insidens, qui nobis ab epistolis erat, literas fidei Augustissimi Imperatoris ad Tzarem nudas elevato brachio cunctis visendas gestans.

Omnes nostri familiares erant, quomodo & nos, inermes, etenim, cùm non liceat cuipiam armato intrare ad Tzarem; sed arma ad aulæ fores deponere quisque debeat, omnes autem nostri in ejusdem conspectum desiderarent introduci, maluimus nulla nobiscum ferre, quàm allata deponere.

A nostro hospitio usque ad aulam Magni Ducis vidimus dispositos in maximo numero pedites sclopis majoribus benè armatos, & vestibus, diversi quidem quoad diversas legiones coloris, sed unius quoad singularum legionum milites cunctos, pulcherrimè amictos.

Depositi ad gradus palatij inter quamplurimos Moschos tribunos militum ibi stantes ascendimus ad aulam primam, ubi obvios habuimus Ducem Andream Juanowicz Hilkow Stolnikum, & Diakum Theodorum Mihalow, qui per proprium interpretem nobis dixerunt, mandatum sibi à Magno Duce, ut ibi nos ejus nomine exciperent. Peractis gratijs ulteriùs pergentes, antequam aulam alteram, in quâ Magnus Dux erat, ingrederemur, iterum ejus nomine nos per alium interpretem exceperunt Dux Basilius Juanowicz Hilkow Stolnikus, & Diakus Nikita Walowenim. Denuò igitur gratias egimus, & ad Tzarem intromissi fuimus.

Aula erat spatiosæ satis amplitudinis, cui tamen crassa in medio columna fornicem sustentans valdè detrahebat. Parietes antiquis picturis erant obducti, quibus in spatio inter fenestras medio argentea candelabra adhærebant. Erant in aulæ circuitu ijsdem parietibus continuo opere affixa scamna lignea stragulâ veste operta, ad quæ per quatuor gradus ascensus patebat. Ibi à dextro Tzaris latere per totum ejus conspectum usquè ad lævi partem sedebant inoperto capite in magno numero Bojari, Ocolnicij & Dumni-Duoranini ab arcanis Magni Ducis consilijs, nullâ nos sivè intrantes, sivè exeuntes capitis inclinatione honorare dignati. Ipse Tzar solio insidens inaurati argenti, non in medio, sed in angulo aulæ lævo inter duas fenestras collocato, obscurè visebatur. Eminebat illud quidem, cùm tribus inniteretur gradibus suis solum æquale cum subsellijs senatorum calcantibus; sed operis erat angusti adeò, & situs obscuritas ejus splendorem ita obtundebat, ut nullam exprimeret magnificentiam. In ejus medio supra Tzaris verticem Deiparæ Virginis icon pendebat. E regione sinistri lateris assurgebat intra fenestram horologium turris ad instar. Intra alteram verò, quæ angulum parietis sui claudebat, pyramis argentea globum aureum sustinens. Superiùs fornicem versùs duæ sanctorum imagines è parietibus pendulæ cultui erant expositæ. Et in crepidine scamni à dextro Tzaris latere assurgentis malluvium erat argenteum cum gutturnio, & mantili, quò post oscula à nobis illius dextræ ex more data, eam ab impuris paganorum (ut omnes Latinæ ecclesiæ homines Moschi appellant) labijs pollutam lavare, & abstergere posset. Pileolum turbinatum zebellineo ornatum margine, & redimitum coronâ aureâ pretiosissimis gemmis interstinctâ, quæ, quasi zebellineis inniteretur spolijs, in summitate verticis desinebat in crucem, in capite gestabat. Sceptrum dex-

dextra tenebat. Stabat à latere ejus dextro Dux Jacobus Kudenietewicz Tzerkaski ex prosapiâ Tzerkassorum ad mare Hircanum, & primus nunc Bojarus. A lævo socer Ilia Danilowicz Miloslawski, itidem Bojarus. Antè thronum verò quatuor ex Ducum filijs in albis indumentis pileati securiferi.

Decem circiter passus à Tzare statuerunt nos commissarij nostri. Ibi curvatis decenter ad reverentiam genibus ergà eum more nostro nos inclinavimus, familiâ nostrâ omni aliquo post nos intervallo stante. Tunc Dumni-Diakus (ex tribus scilicet Magnis Regni Cancellarijs unus) Almasius Juanow, qui super scamnorum solum à parte lævâ Magni Ducis in lineâ nobis æquali ab eo distans cum alijs haud paucis stabat, dixit ei, adventasse Legatos Magni Romanorum Cæsaris, coramquè eo stare frontem suam percutientes: scilicet, phrasi Moschoviticâ, eum venerantes. Moschi enim omnes indifferenter Principem suum in genua procumbentes, & solum fronte pulsantes venerantur, hancquè eandem, quam superioribus exhibent, venerationem ab inferioribus exigunt. Cancellario autem Magnus Dux innuit, ut nobis diceret, proponeremus, quæ vellemus.

Hoc audito Collega meus primam propositionem ex benignissimo Sacræ Cæsareæ Majestatis mandato nobis verbis conceptis traditam memoriter recitare orsus est. Sed absolutis Imperatoris, & Tzaris titulis interpres interrupit, eos Russico idiomate repetens.

Vix absolverat, cùm Magnus Dux è solio surgens percontatus est nos, An frater suus charissimus Romanorum Cæsar Leopoldus benè valeret? & statim resedit. Respondimus, cùm Viennâ discederemus, relictam à nobis Sacram Cæsaream Majestatem suam prosperâ, Dei gratiâ, valetudine utentem.

Dixit indè Cancellarius, ut literas fidei Imperatoris Magno Duci præsentaremus. Quas ego à secretario nostro tunc acceptas comitante Collegâ ei tradidi, ad stationem illicò retrocedens. Is autem incontinenti eas Duci Tzerkaskio consignavit.

Postmodum idem Cancellarius nunciavit nobis, quòd Magnus Dux faceret nobis gratiam, ut ad osculandum ejus manum ascenderemus. Dum accedimus, sceptrum ille in lævam transtulit manum, extensâ ad osculum dextrâ, quam idem Tzerkaskius suâ sustentabat, socer verò Ilia totus erat attentione, & nutibus, ne aliquis nostrum eam forsan contra fas impuris suis attrectaret.

Hoc peracto indicavit nobis Cancellarius, ut reliquum propositionis nostræ exponeremus. Quâ absoluta dixit, quòd Magnus Dux faceret nobis gratiam sedendi. Statimquè allatum nobis scamnum oblongum sinè humerorum fulcro (ut plerumquè Moschorum est mos) Persico tapete tectum, ubi consedimus, usquèquò aliquot ex domesticis nostris ejus manum fuissent deosculati.

Tunc dixit Cancellarius, ut surgeremus. Stantes nos interrogavit Magnus Dux, an benè valeremus? Cui juxta morem respondimus, quòd gratiâ DEI, & clementiâ suâ, benè. Et gratias ei de hac benignitate egimus.

Et dictum nobis denuò, ut sederemus. Procedensquè à latere Cancellarij Joannes Mihalowicz Miloslawski Ocolnicius dixit Magno Duci, allata à nobis ei nostra munera fuisse. Quæ dum à nostris famulis ferebantur, moniti à Cancellario surreximus, & corporis inclinatione

natione Magnum Ducem ea intuentem vice verbalis oblationis, ſic ferente Moſchorum conſuetudine, reveriti ſumus.

Tandem mandavit ille Cancellario, ut nobis ſignificaret, deputaturum ſe aliquot ex Senatoribus ſuis, cum quibus conferre omnia, quæ nobis ſupererant proponenda, poſſemus, & fore, ut illâ die cibos ex mensâ ſuâ guſtaremus.

Poſt hæc exhibitâ ei reverentiâ abivimus. Exeuntes nos ijdem, qui ingredientes exceperant, nomine Magni Ducis deduxere.

De ingenti Cãpanâ.

In arce vidimus ſolum prementem admirandæ ex ære Campano magnitudinis machinam, & quod magis mirere, Ruſſici fabri opus. Excedit hæc campanam Erphordienſem, imò etiam Peckinenſem in Regno Chinæ. Erphordienſis enim altitudo vix ſex digitos ſupra novem geometricos pedes, orificij diameter vix octo pedes, hujus peripheria viginti & novem, craſſities verò ſex digitos cum dimidio tantùm exæquat, & pondus ejus libr: 25400. conſtat Peckinenſis tredecim geometricos pedes, tèrtiamqué pedis partem in altum exurgit, in diametro duodenos habet pedes, in peripheriâ exteriori quadraginta quatuor, & unicum in craſſitie, pondus autem ejus 120000. librarum. At hujus noſtræ Ruſſicæ altitudo undevinginti geometricos pedes extollitur, oris diameter ad duodeviginti ſe extendit, ambitur autem à quatuor ſupra ſexaginta, craſſities duos æquat, tophalum verò quatuordecim non eſt brevius. Quadringenties & quadragies mille æris pondo pro ejus fuſione liquata quorum ter quadraginta millia in ſcorias deſpumaſſe, creduntur, reliquis in depuratam tantæ molis maſſam ſolidé concretis. Non tamen de illâ hic mihi ſermo eſt, quæ dominante Boriſſo Hoduno fuſa, & in ſublimi ſuſpenſa, cùm ſolennior aliqua in honorem Dei, ejuſqué ſanctorum memoriam dies celebrabatur: vel exterorum Regum oratores excipiebantur, aut in arcem ad Tzarem introducebantur, pulſari olim conſueverat. Illa enim, quamvis poſtremo hoc uſu per non uſum abrogato, adhuc hodie in ſuâ turri pendet. Sed de alterâ Anno 1653. Alexio regnante fabrefactâ, quæ humi adhuc ſtrata architectum expectat, à quo in altum elevata in ſolennioribus feſtivitatibus tinnitu ſuo devotionem excitet Moſchorum, qui eo, tanquam ad Numinis cultum præcisè neceſſario, carere nullatenús volunt.

Nomine Tzaris exhibetur authori in ejus ædibus ſolenne convivium.

Nobis ad hoſpitium priori pompæ apparatu reconductis ſupervenit poſt horam Dux Alexius Juanowicz Boinoſow Roſthawski Stolnikus, ex antiquis Roſthoviæ Ducibus deſcendens, miſſus à Magno Duce, ut ejus vice nobis ex Tzareâ culinâ epulum præberet. Cui ad gradus uſque honoris gratiâ obviavimus.

Menſæ paratus facilis fuit. Eam ſuper vili mappâ ſalinum, bina aceti, & olei vaſcula, unicum cum furcinulâ, & cultro in ejus ſummitate pro digniori convivâ poſitum cochlear, & quidem omnia ex puro auro, adornaverunt. Mappula nulla appoſita. Illotis manibus menſæ accubuimus, ubi placentulæ vices orbis, ſivé quadræ, indè exulantis ſupplere debuerunt. Abacum ſcyphi, pateræ, & id genus inaurati pocula argenti confuſé onerarunt. Dignioribus nobis attributis locis à ſiniſtris mei ferè extra menſàm de more anguſtam convivator juxta Moſchorum conſuetudinem ſedebat. Allata ſine temporis interſtitio unâ ſimul in patinis argenteis fercula varij generis ad centum quinquaginta. Omnia noſtris oculis expoſita; impoſita autem menſæ

menſæ ſolummodò, quæ palatui magis arridebant. Reliqua noſtro peni procuratori ad conſervandum tradita. Frigefacta quidem omnia erant; ſed aliquot non adeò inſulsè condita, ut aſpernari eas aliquis, niſi delicatulus, deberet. Vini ſublimati, malvatici, Hiſpanici, Gallici, medonum varij generis, & cerviſiæ quadraginta partim argentei, partim ſtannei ſatis ampli canthari liberaliter præter morem impleti ſimul quoque allati. Poſt horæ quadrantem modiperator noſter jubens nos ſtare, propinavit mihi ex poculo modeſtæ capacitatis vino, ut ego datâ ab eo mihi optione, eo quòd mitiùs eſſet, elegeram, Gallico pleno ſalutem ſui Tzaris ejus titulum integré recitans. Quo à me, & reliquis omnibus diſcumbentibus epoto reſedimus. Nec benè quadrans alter elapſus fuerat, cum denuò ille ſurgens, & nos ad ſurgendum invitans, iterum mihi poculum alterum pro ſalute Imperatoris, cujus etiam titulum plenum ex chartâ legit, poſt ſe exhauriendum porrexit. Cùm ſatisfeciſſemus omnes, iterum accumbentibus vix parvulam temporis moram concedens invitavit me tertiò ad tertium poculum pro ſalute Tzaruli Alexij Magni Ducis filij exſiccandum. Quod ſtantes præſtitimus omnes. Tunc is, quaſi munere ſuo jam præclarè functus eſſet, abijt donatus à nobis in præmium non prolati diû tædij ex inaurato argento ſcypho minimè vulgari.

Author à Tzare ſecundò admittitur

Die Maij antepenultimâ annunciaverunt nobis commiſſarij, quòd immediatè ſecuturâ denuò coram Magno Duce admittendi eſſemus: & quòd interim liceret famulis noſtris, quòcumquè liberet, ire. Petierunt inſuper nomine Cancellarij copiam noſtræ ad Tzarem factæ propoſitionis, quam eis dedimus.

Penultimâ itaqué circa nonam matutinam à noſtris commiſſarijs ad Tzarem cum ijſdem in omnibus cerimonijs, & apparatu, quibus ad priorem nos deduxerant admiſſionem, ducti, & ab ijſdem, qui nos tunc exceperant, excepti fuimus. Magnus Dux tamen in aliâ pauló anguſtiori aulâ, & in alio pariter throno, inter duas itidem feneſtras; ſed versùs dextrum aulæ angulum, collocato, ſceptro, coronâ, & Regio amictu conſpicuus viſendum ſe præbuit. Super caput ejus ſolio affixa Divæ Virginis icon. A dextris globus aureus pyramidi argenteæ incumbens, ibiqué ſocer Ilia Daniłowicz, & à ſiniſtris Ocolnicius Theodorus Mihałowicz Ertiſchew, Supremus Tzareæ Aulæ Præfectus, & haud infimus Domino gratioſus ſtantes. Conſpectum cuſtodiebant juxta morem bini, & bini albis amicti veſtibus adoleſcentes Duces lunatis ſecuribus armati. Ad ejus lævam, & obliqué parúm in conſpectú ſuper ſcamnis in ligneo ſolo per duos tantúm gradus elevato ſedebant ad parietem intecto capite ex Senatoribus haud pauci, è quorum fronte ad dextram ſtabat cum alijs quam plurimis Cancellarius.

Obſervavimus itaqué tunc, & poſtea ex more Moſchovitico angulos reputari pro locis decentioribus. Etenim ſolium Magni Ducis ſemper in angulo vidimus, quod tamen commodiſſimè, præſertim in hâc ſecunda Aulâ, in medio collocari potuiſſet. Et Moſchi Divorum imagines, quas parùm abeſt, quin idolatrentur, & ſemper in quocumque cubiculo habent, in angulis collocant.

Cùm Magnum Ducem venerati eſſemus, curavit, nos de ſalute noſtrâ interrogari. Cui dato juxta morem reſponſo gratias egimus pro convivio nobis tam liberaliter per ſuum commiſſarium exhibito.

Indè dixit Cancellarius, Magnum Ducem curaſſe literas Imperato-

ris in idioma ſuum transferri, & ab ijs percepiſſe, nos ad aliqua bonum publicum concernentia ipſi proponenda fuiſſe ablegatos, & quòd ideo nobis fidem adhibere deberet, quod facturus erat. Interim deputaſſe ad audiendum propoſitiones noſtras Ducem Alexium Nikitowicz Trubetzki Bojarum, & Caſani locumtenentem: Ducem Georgium Alexiowicz Dolgoruki Bojarum, & Susdaliæ locumtenentem: Bogdanum Mattheowicz Hitrow Ocolnicium, Tzarei armarij cuſtodem, ejuſque Orſzæ locumtenentem: & Almaſium Iwanow Dumni-Diakum, ſivè Cancellarium. Poſt hoc allatum nobis ſolitum ſcamnum ad ſedendum, brevi tamen uſu, nam juſſi ſurgere, & ad locum, ubi nos Tzarei deputati opperiebantur, tranſitum facere, ſolito venerationis noſtræ ſigno Magno Duci reverenter exhibito abivimus, ab ijſdem Ducibus, ac Diakis, qui nos ejus nomine extra aulam exceperant, eodem loco officiosè dimiſſi. Exeuntibus nobis à Tzare Senatores parùm aſſurrexere, quibus inclinato capite correſpondimus.

Ad conferendum cum Tzareis deputatis in aliud conclave trãſit.

Tranſivimus itaqué ad ſatis amplum conclave, ubi è regione januæ; ſed prope angulum dextrum, menſa juxta Moſchorum morem oblonga, & anguſta ita collocata erat, ut à longitudinis totius ſpatio oſtium reſpiceretur. Ibi ſuper ſcamnum parieti affixum è conſpectu januæ ſedere juſſi fuimus, collocante ſe primario deputato ſuper alterum, quod in angulo cum noſtro conjungebatur, parieti ſimiliter innixum, ita ut ſolus anguſtum menſæ illius ſpatium occuparet. Alter ex ijs, tertiuſqué unus ponè alium ſuper eodem ſcamno propè illum, ſed extra menſam, ſedebant. Cancellarius autem è conſpectu mei collegæ humeris oſtio oppoſitis ſuper portatili ſcamno ſolus ad menſam reſederat. Interpretes Bauſcius, & Wibergus cum ſecretario noſtro, & tribus amanuenſibus Moſchis ſtabant.

Moſchi ſunt parũ ſinceri.

Moſchovitæ ab incunabulis Mercurio ſacrificant, & litaſſe omnes ab effectu credendum eſt. Bullam Romanam, ſivè cor aureum, è parvulorum collo matres numquam ſuſpendunt, undè adulti mendacia ſua cumulatis ſemper mendacijs tuentur fronte tam perfrictâ, ut quamvis eos fuiſſe mentitos pro compertiſſimo habeas, adhuc tamen animi dubius hæreas incertus, quid judices. Quòd ſi eos de mendacio per irrefragibiles demonſtrationes conviceris, non ideo pudore aſperſi erubeſcunt, quin imò veluti in egregio deprehenſi facinore, ſubrident. Neque eſt, quòd exterorum Principum Legati à Tzareis miniſtris linguam veraciorem expectent, ij enim omnes inveteratæ verſutiæ artes inſimul convocant, ut ſivè falſa pro veris obtrudendo, ſive neceſſaria ſcitu reticendo, illis fucum faciant, & rerum ſemel in congreſſibus ſtabilitarum vim, ſi libeat, per ſexcentas mendicatæ interpretationis ambages adeò enervent, ut corruant. A proſperis verò, vel improſperis caſibus ita afficiuntur, ut flante fortunâ impotentes ſui uſqué ad ſydera ab elato animo extolli; reflante verò in abyſſum detrudi ab ejuſdem dejectione ſe ſinant. Unde fit, quòd in negotijs inconſtantiſſimos ſe præbeant. Præſertim cùm majora apud eos deliberationum momenta ex ſolis pendeant notitijs, quas à Mercurijs hebdomadarijs apud Pruſſos, aut Batavos typis impreſſis, Moſchuamqué interdum dumtaxat, & interpolatè exteris mercatoribus tranſmiſſis, quaſi reſponſa Delphicæ ex tripode vatis audiunt. Vel lixis, & calonibus, gregarijſqué militibus belli captivis ſe extorſiſſe putant, dum miſeri illi ad quæſtionem rapti, quamvis arcanorum Regis, & ducum ſuorum

planè

planè ignari, ut ſe à tormentis redimant, ea comminiſcuntur, quæ unicuiqué tamquam aptiora ad mitigandum blando palpo tortores ſuos ingenium ſuggerit. Hæc omnia reddunt in Moſchoviâ exteris Legatis commiſſionum ſuarum proceſſum adeò ſpinoſum, ſucceſſumqué ambiguum, ut non rarò eos ſuſcepti muneris pœniteat.

Dux Trubetzki deputatorum caput ad Olgerdum Gedimini filium Magnum Ducem Lituaniæ mediante ejuſdem filio Andreâ Wigundo progenitore illorum Severiæ Ducum, qui ad ſeniorem Joannem Baſilowicz Magnum Moſchoviæ Ducem defecerunt, genus ſuum refert, & hoc nomine inter Bojaros alter ſedet. Etenim apud Moſchos generis claritudinis ſupra omnem juſtitiam habetur ratio. Unicum itaque in hâc excellentiâ prioritatis ſuperiorem patitur Trubezki Ducem Tzerkaski, qui tanquam Regio Tartarorum ſemine ſatus ei ex jure liquido præferri obtinet. Homo eſt exactæ ætatis, pauci eloquij, minoriſqué conſilij.

Alter Georgius Dolgoruki, ſivè longimanus, magno & ipſe natu Baſilium Jaroslai primi Tuverenſis Magni Ducis abnepotem ſtirpis ſuæ auctorem laudat. Is ob captum Marte favente ad Vilnam Anno 1658. die 21. Octobris Magni Ducatus Lituaniæ Ducem campeſtrem, nec non Theſaurarium Vincentium Corvinum Goſiewski magni Moſchuæ fit.

Tertius inferioris ſubſellij nobilis, cùm ab ineunte adoleſcentiâ ſupra memorato Duci Trubetzkio judicium ſuum per plures annos ſerviendo probaſſet, meruit ab hujus commendatione Tzaris ſervitijs addici, in quibus conſilium ſuum in quibuscumqué difficilioribus Regni negotijs in numerato ſemper aptè expromens, ſolerti induſtriâ ſuâ adeo profecit, ut ab inferiori ſimplicis nobilis conditione ad immediatè proximam ſupremæ eveheretur, & armario, ubi ad Tzaris proprium uſum deſtinata arma, & equorum ornamenta conſervantur, biniſqué magiſtratibus, altero, ſcilicet, qui Moſchuæ civibus, & altero, qui cauponibus in univerſâ Moſchoviâ jus dicit, magno rei ſuæ familiaris augmento præficeretur.

Quartum verò Almaſium Juanow imæ ſortis hominem eſſe, ipſum ejus nomen indicat. Etenim Moſchi in ſubſignando, & cùm ſe invicem nominant, proprio nomini paternum addunt, hâc tamen differentiâ, ut nobiles huic particulam wicz in fine adnectant, quod ignobilibus eſt inconceſſum. En exemplum. Vocatur aliquis Almas, ejuſque pater Joannes, ſivè Juanus, ſi nobilis ſit, Almas Juanowicz, ſi ignobilis Almas Juanow appellabitur. Is itaqué plebeijs ortus parentibus mercaturam feliciter exercuit. Dein tanquam exterarum regionum gnarus pluribus obitis legationibus verſutiæ, calliditatis, vafriciei, & fallaciæ tot dedit experimenta, ut dignus viſus fuerit, qui arcanorum regni archivis præficeretur, & externorum legatorum inſpector, eorundemqué legationum relator renunciaretur.

Dux Trubetzkius itaqué ſurgens, quomodo & cum reliquis nos, invocatâ ſanctiſſimâ Triade, & lectis integrè ſui Domini priùs, & mos Imperatoris titulis dixit. Magnum Ducem audiviſſe primam noſtram propoſitionem, & literas fidei Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Moſchoviticum idioma curaſſe transferri.

Dolgorukius ijſdem ceremonijs, ſed abbreviatis titulis, dixit, Dominum ſuum attentè legiſſe eaſdem literas, & percepiſſe nos aliquid bonum publicum concernens propoſituros.

Hitrow

Hitrow præmiſſis ijsdem ſubjunxit, contineri in literis, ut nobis in ijs, quæ propoſituri eſſemus, fides adhiberetur, quod præſtare eſſent parati.

Cancellarius tandem adhibitis ijſdem ſolennitatibus finem impoſuit dicendo, ideo ipſos fuiſſe à Tzare deputatos ad audiendum propoſitiones noſtras, itaqué diceremus.

Tunc igitur ſurgentibus iterum nobis, & ipſis, lectis per extenſum priùs noſtri Clementiſſimi Domini, & poſtea Tzaris titulis reſedimus, & propoſitionem alteram nobis ex benigniſſimo Sacræ Cæſareæ Majeſtatis mandato conceptis pariter verbis conſignatam Collega meus de verbo ad verbum ijs, interpretante per periodos Bauſchio, perlegit.

Audito ejus tenore petierunt ſibi in ſcriptis tradi. Quod incontinenti præſtitimus.

Diſcedit Author à conferentiâ ſine reſponſo.

Protracto deindè per multa diù colloquio tandem diſceſſere deputati omnes, ut audita Domino ſuo referrent. Et poſt horæ quadrantem reverſus ad nos ſolus Cancellarius dixit, retuliſſe ſe omnia à nobis propoſita Domino ſuo, reponſum autem nondum pro tunc dari poſſe, quare domum reverteremur. Quod fecimus per eaſdem cerimonias honorati.

Mutatur commiſſarius, & datur antiquus itineris ductor, & quare?

Pridie Kal: Junias commiſſarius noſter Diakus vultu ad mœrorem compoſito ſignificavit nobis, concommiſſarium ſuum repentinè in gravem incidiſſe morbum, ideoqué ſuffectum ei priorem noſtrum itineris commiſſarium Zelabowski. Hoc autem futurum cùm biduo ante hic ſacellano noſtro in confidentiâ aperuiſſet, & is prædicatum ægrotum poſt ſex horas in urbe equitantem & benè valentem obvium habuiſſet, indicium nobis fecit artificij Moſchovitici. Etenim cùm in itinere per varia colloquia agnoſceremus, Zelabovium ingenio haud abſurdo, & judicio non erroneo præditum, & animadverteremus, eum ſub patrocinio Cancellarij ad aulæ dignitates adoleſcere, frequenterquè nuncios ab uno ad alium invicem commeare: conſiderantes non eſſe ſperandam Moſchuæ propter futuram ſecundùm Moſchorum conſuetudinem ſolitariam captivitatem noſtram commoditatem inſinuandi ad promovendum pacis tractandæ opus miniſtris pedetentim, quæ in conferentijs effundere uno impetu nolebamus, proficuum rebus agendis judicavimus, ei per dierum intervalla, quaſi conſuetudine illecti, & confidentiâ menſæ ſeducti, nunc hoc, nunc illud guttatim inſtillare. Nec hoc falſos nos habuit; nam dubio procul confeſtim, ac aliquid reſciverat, Cancellario tanquam arcana à noſtræ lubricitate linguæ per ſuam dexteritatem delapſa, ut noſter erat ſcopus, perſcripſerat. Hinc factum, ut, cùm nos cum Tzareis deputatis primò conferentes ſtudiò nihil horum dixiſſemus, voluerit Tzar, eum denuò nobis in commiſſarium deputare, tanquam hominem nobis confidentem, & qui dexterè ſciret, ſecretiora noſtra ab imo pectore extrahere.

In ſecundâ conferentia declararunt Moſchi, quod Tzar interpoſitionem Cæſaris admitteret.

Ad tertium Nonas Junij circa decimam antemeridianam ſecundò ducti ad conferendum cum deputatis fuimus cum ſolito ſemper in omnibus apparatu. In veſtibulo palatij exceperunt nos nomine deputatorum duo Diaki, & totidem in aulâ ante conclavia. In horum verò primo Cancellarius, & in altero ceteri deputati, qui ingreſsûs præcedentiâ nobis conceſsâ priora loca ſua, quomodo nos noſtra, occupavêre. Tunc declaravit Cancellarius, perceptam à Tzare libenter fuiſſe Imperatoris mentem continuandi cum ipſo bonam amicitiam, quam

quam mutuis officijs reciprocè fovere vellet. Deinde agere eum Cæſari gratias pro fraternâ benevolentiâ, quâ nos ad offerendum ipſi pacificam interpoſitionem ſuam inter ipſum, & Poloniæ Regem, Regnumqué, ac Magnum Ducatum Lituaniæ miſerat, quam libenter admittebat.

In tertiâ verò nominarũt pro loco conveniendi Polociam, tempus autem remiſerunt Polonorum arbitrio.

Pridie Nonas Junij cum illis tertiò convenimus. Nominarunt ex mandato Domini ſui pro loco futuri congreſsûs Polociam, quam ante annum placuiſſe Polono Regi, utpote ad Dunam in agro non adeo tunc deſolato, & utriqué parti commodo ſitam aſſerebant. Tempus autem conveniendi pro inchoandis pacis tractatibus remiſerunt Polonorum arbitrio.

Mandaverat nobis Auguſtiſſimus Imperator, ut poſt admiſſam à Moſchis ſuam conciliandæ cum Polonis pacis oblationem eandem illis pro eâ etiam cum Suecis ſanciendâ offerremus. Verùm interea temporis, dum in Moſchoviam proficiſceremur, qui in Livoniam convenerant Suecici, & Ruſſici Legati pacis ineundæ conditiones nullo ſequeſtro adhibito tales exaſciaverant, ut nobis Cæſaream operam offerentibus Tzarei deputati reſponderint, ſtatum rerum inter partium Commiſſarios in eo verſari cardine, ut nullo modo amplius addubitari poſſet, quin honeſta inter eos pax eſſet coalitura; quòd ſi eventus ſpem falleret, eam libenti animo eſſent admiſſuri. Et Tzar ipſe deinde ad octavum Idus Julij per commiſſarios noſtros participes nos de eâdem ſancitâ fecit.

Alexius filio Fedoro augetur.

Ad VI. Idus Junij poſt primam facem acceſſit ad nos jam cubantes multis aſſeclis ſtipatus Diakus Dementi Boſmakow Magno Duci apprimè charus, qui ejuſdem nomine nobis tanquam amantiſſimi fratris ſui LEOPOLDI Romanorum Imperatoris, &c. miniſtris, natum ſibi filium, cui Fedorum dixiſſet nomen, nunciavit. Reſpondimus juxta debitum officiosè, & ad oſtendendum gaudium noſtrum magno inaurati argenti ſcypho nuncium donatum remiſimus.

Conſuevit Magnus Moſchoviæ Dux, quoties prole aliquâ augetur, hoc confeſtim per expreſſos nuncios Moſchuæ exteris Legatis, ac proceribus ſuis, atqué in provincijs Palatinis, perqué hos præcipuis nobilibus, & urbium magiſtratibus ſignificare. Quicumqué autem hoc honore afficitur, aliquo nuncium dono pro libitu munerat. Undè per has legationes, & illas, quas ad eoſdem de valetudine nomine Tzaris interrogandum ex mandato ejuſdem identidem obeunt, aulicorum plurimi non modicâ peculium acceſſione augent.

Hæc lætitia expeditionem curſoris noſtri, quamvis maturato opùs fuiſſet, ad ipſos uſque Idus Junij diſtulit.

De Moſchorum baptiſmo.

Sexto dehinc die immergi in ſacrum regenerationis fontem Fedorulum ſuum Alexius voluit. Moſchovitæ ſiquidem baptiſmum invalidum credunt, niſi baptiſandus ter in aquam vetuſto Eccleſiæ more totus immergatur. Undè ſi homo in Latinâ religione ſacris undis ablutus ad Moſchoviticam transfugiat (quod haud infrequenter ab impoſtoribus atheis avaritiæ ductu, vel à belli captivis, aut criminum reis deportationis, vel pœnæ metu fit) eum quaſi non ritè baptiſatum per trinam immerſionem rebaptiſant, matrimonij, ſi quod antea contraxerat, nexum ſolventes, ceu hominis haud legitimè per januam baptiſmi ad reliquorum ſacramentorum perceptionem introducti. Cùmqué baptiſatum mox chriſmate inungant, confirmationem Latinorum

reſpuunt, ut ſuperfluam. Baptiſati collo crux aurea, vel argentea, vel ſtannea pro parentum facultatibus à baptiſante appenditur, per totum vitæ ſuæ decurſum (excepto conjugatis concubitûs tempore) non amovenda. Quod ſi aliquis improviſo mortis impulſu proſtratus inventus fuerit ſuâ cruce carere, carebit & ſepulturâ. Ut autem hujus feſtivitatis in honorem Imperatoris etiam nos Tzar participes faceret, denuò nobis in noſtris ædibus epulum præberi juſſit. Modiperator fuit idem ille Roſthawski, qui in priori fuerat, & cerimoniæ eædem, additâ tamen appendice quarti ſcyphi pro incolumitate parvuli Fedoruli exſiccati.

Quibus lectis Moſchovitæ utantur.

Cùm verò tædioſam omninò moram Moſchuæ deinde ad duodecim menſes trahere debuiſſemus, curioſè obſervavi, quòd ibi altiorifaſtigij homines, & nobiles opulentiores lectis utuntur mollibus, culcitræ enim, cervicalia, & pulvini ſubtiliſſimis cycnorum, quibus maximè abundant, plumulis farciuntur. Attamen non linteis eos; ſed alij laneis, pars ſericeis telis pro ſuâ quiſquè facultate ſuper adhærente cubiculi parieti ſcamno, cui mobile aliud conjungitur, intrà tripertitò protenſa vela ſternunt. Parietes plerumquè nudi, niſi ingenioſæ araneæ telas attexuerint ſuas. Apud pauculos mundiores inaurato depictoquè Belgici operis corio, incuriè tamen ſatis, obducuntur.

Quâ victûs ratione.

Plebs autem, non proletarij tantùm, & capite cenſi, manuumquè mercede inopiam tolerantes, ſed etiam mercatores à quacumquè vitæ mollitie quàm longiſſimè abſunt. Supra tomenticiam, vel ſtramenticiam culcitram, imò plerumquè ſuper nudum ſcamnum, aut cubiculi, vel vaporariæ fornacis pavimentum ſe proijcientes in utramque aurem dulciſſimè ſtertunt. Modico ditiores vivunt. Reliqui ſolo pane, & allio obſonantur. Omnes autem æqualiter frigidâ purâ, vel per commixtum parciſſimâ manu fermentum vitiatâ ſitim reſtinguunt. Quam tamen numquam in plebeis reſtinctam putes, ſi vinum ſublimatum ad libitum ſubminiſtres. Non enim illud pitiſſando, ut gallinæ guſtant; ſed ſorbendo, ut boves, aut equi hauriunt, & finem bibendi numquam faciunt, niſi facias infundendi. In ganeis autem perpotationem trahunt, donec marſupium uſquè ad ultimum quadrantem fuerit emunctum. Imò non rarò accidit, quòd quis æri deficienti pileum & togam, reliquamquè uſquè ad nuditatem veſtem pacto pretio ad ulteriùs bibendum ſufficiat, ut proterviam quidem facere; ſed non Herculi, at novo ritu Patri Libero velle videatur. Et ab hac labe nequè ſacerdotes, nequè monachi immunes eunt. Sæpiſſimè itaque videre eſt Moſchorum aliquem è popinâ nutanti greſſu exeuntem capite nimio potûs pondere gravato procidere, & in cœno tandiù volutari, donec aliquis ex innumeris aurigis, qui in ſingulis ferè Moſchuæ vicis meritoria ſua locant vehicula, lucrandæ vecturæ intuitu eum ſuſtollat, ac ad ſuos vehat. Evenit tamen frequenter nimis, ut miſeri ſenſu omni carentes à vectoribus ſuis per devios abducti calles, ablatis pecuniâ, & veſtibus, immani latrocinio jugulentur.

Sunt in potando inexplebiles.

Quæ mala inde conſequantur.

De Moſchorum famulitio.

Sed alia plura ab hac malignâ ebrioſitatis radice pullulant atrociſſimorum ſcelerum ſurcula. Famulitium Moſchi, ſervitiumquè alunt ſatis numeroſum; ſed exiguis ſumptibus: illud enim, diſcoloribus omninò neglectis, obſoletiùs veſtiunt. Cùmque duplicarios nullos habeant, multa autem ex lege jejunia, aliquot etiam ipſi ex œconomia ſuperaddentes deterrimo pane, piſcibus ſumo, vel vento duratis, rarò carnibus

bus nutriunt, aſſignato in potum fonte, qui, ſi feſtivitas aliqua ſolennis celebranda intercurrat, modico injecto fermento in kuvas corruptus eidem, ut genio indulgere hilariter queat, liberaliùs propinatur. Merces vel nulla datur, quòd plures ſervi, vel vernæ ſint: vel, ſi liberi, exigua valdè. Hi itaquè à domeſticâ menſâ numquam non eſuriente ſtomacho diſcedentes, & pauperes otioſi, quorum innumeri in foro inertiſſimè deſidunt, ut de pecuniâ ad ſaturandum ventrem, ſed præſertim ad potum comparandum ſibi proſpiciant, cùm bonis artibus ſuâ culpâ deſtituantur, malis nequiſſimè contendunt, & vel clancularijs furtis negligentiùs cuſtoditas domos evacuant: vel ditiorum per excitata ſtudiò incendia auxiliariûm larvâ perſonati diripiunt: vel noctu per urbem apertâ vi graſſantes obvios quoſquè improviſis ictibus voce, ac vitâ priùs, ne vicinorum opem implorare queant, deindè auro, & veſtibus ſpoliant. Temulenti verò ob leviuſculam cauſam, homines alioquí etiam in ſobrietate ad jurgia, & obſcœnas injurias proni, in frequentiſſimas prolabuntur rixas, ſtatimquè evaginatis cultris mutuò ſe crudeliſſimè confodiunt. Conſtituti ſunt quidem in omnibus plateis vigiles, qui quoties noctu ab horologij pulſu horæ indicantur, ligneos tectorum imbrices, ſive ſcandulas, & ipſi concorditer pulſent, ut ab illo ſtrepitu ſceleſti noctivagi de eorundem vigilantiâ moniti, deprehendi timentes, à conceptis facinoribus deſiſtant: vel, ſi malefactores eſſe mavelint, ab illis præhenſi ſub cuſtodiâ aſſerventur, maleficiorum judici, cùm diluceſcet, tradendi. Sed, aut ex compoſito ſpoliorum participes fiant, aut ab illorum truculentiâ inerti pavore ſibi timeant, ita vigiles, quaſi alto ſopiti ſomno, eorum ſceleribus connivent, ut nulla Moſchuæ dies illuceſcat, quæ plura per noctem occiſorum cadavera pertranſeuntium oculis non ingerat. Præſertim quandò ſolenniores celebrantur anniverſariæ feſtivitates, & in ſexageſimæ hebdomadâ, quando Moſchovitæ eſu carnium ſibi interdicto ſolis piſcibus, & lactarijs paſti inſtantis quadrageſimalis jejunij rigoribus præludunt, etenim tum noctes dieſquè potando continuant, & non tantùm pergræcantes; ſed & inſuper perruſſantes, non Chriſti myſteria; ſed Orgia Bacchi recolunt, per inſanam temulentiam veſani adeò, & efferati, ut quid committant, aut admittant, æquè ignorantes, per mutua vulnera mortem inferant, & excipiant.

Moleſtia, quâ author à vigilibus afficiebatur.

Sedebant ad oſtium noſtræ habitationis ſub centurione ſuo ex prætorianis militibus, quos Strelitzios Moſchovitæ nuncupant, quadraginta ſtationarij, quibus ut fieri aſſolet, ſingulis diebus totidem ſufficiebantur, ita ut per quotidianas vices omnes tandem, qui Moſchuæ degebant, ſubintrarent. Ex his quatuor, partitis inter ſe juxta numeri juſtitiam horis, diverſis in locis intra, & extra ædes jugiter vigilabant, ut à furibus ſecuri quietas noctes (ſic Moſchi præferebant) traducere poſſemus: Vel, ut omnes qui clam ad nos accedere (ſic nos certiùs judicavimus) forſitan vellent, arcerentur. Eorum unus juxta locorum partitionem ſub feneſtris cubiculi mei excubias agere tenebatur. Hic æſtivis noctibus incondito cantu, aut inſulſis cum commilitonibus ſuis jocis ſomnum fallebat. Hybernis verò ad repellendum frigus manus invicem pulſando, pedeſquè ſupplodendo exultabat. Continuâ itaquè moleſtiâ ſomnia mea interrumpebantur. Nec proderant depoſitæ meæ ſuper hoc apud commiſſarios querelæ. Etenim cùm Moſchovitæ pomeridiano omnes ſomno indulgeant, ita ut mercatores

Moſchi poſt meridiem dormire conſueverunt.

mercatores tabernas ſuas poſt meridiem occludant, magnates nobileſqué copiam ſui non faciant, omnes matutino tantùm tempore negotijs vacantes, putabant illi, quòd ego etiam ad ſuam conſuetudinem meam jam à vetuſtate induratam flectere, & inde nocturnam quietem inſuper habere deberem. Profectò, niſi edoctus antea fuiſſem, quòd Moſchovitæ, qui annum in biſſenos Latinis nominibus indigitatos dividunt menſes, facto tamen ejus à Kalendis ſept: initio, diei, & nocti vigintiquatuor horas attribuant, pro quarum diſpenſatione à ſolis præſentiâ, vel abſentiâ normam petant, dum ab ejuſdem ortu primam diurnam horologium pulſat, reliquaſqué uſqué ad ejus occaſum multiplicatis ſemper pro more communi ictibus, indicat: & à primâ nocturnâ tunc incipiens, ad reliquas uſquè ad eundem renaſcentem pulſando procedit, diſcere hoc per tot inſomnes noctes potuiſſem.

Diviſio anni, & diei apud Moſchos.

Aditus ad nos, ut Moſchi oſtentabant, cunctis patebat, reapſe autem pauciſſimis. Nam (prætermiſſo, quod ex eis nemo ædes noſtras vel à longé reſpicere auſus umquam fuiſſet) multi peregrinæ gentis homines identidem à prætorianis, ſivè ex mandato, ſivè ex petulantiâ nobis inſcijs ingreſſu prohibebantur, undè ceteros ab hoc tentando ſuæ exemplo repulſæ avertebant. Quòd ſi eorum militaris aliquis vir, ut cautiùs ageret, à Moſchovitâ ſupremo duce ſuo facultatem ad nos inviſendi petebat, negatam ſibi quidem eam non audiebat; ſed ſuggeſtum amicum conſilium, ut hiſce officijs abſtineret, ne ſuſpectum apud Magnum Ducem ſe redderet. Vetarunt autem ſeveriſſimè, ne ulla unquam cujuſcumquè conditionis fœmina in ædes noſtras admitteretur.

Aditus ad authorem nõ erat interdictus per decretũ, ſed per amicum conſilium.

Et profectò ſexus iſte in Moſchoviâ illo non gaudet obſequio, quo plures in Europâ gentes eum venerantur. Nemo ibi dignitatem conditionis virilis ita demittit, ut in tripudijs mulieres genuflexus tanquam Cyprias Veneres alloquatur. Nemo continuatâ ad annos earum ambitæ formæ adoratione eas docet, tumidâ elatione inſolescere, & procantium vota non priùs exaudire, quàm longo ſuſpiriorum fumo vice Sabæi thuris quaſi Numina cultæ fuerint. Subditæ ibi viris, & quidem eas floccifacientibus, ſunt. Tzarearum verò ſororum, & filiarum infeliciſſima conditio eſt. Etenim, licèt olim à ſeniore Joanne Baſilide filia Helena Alexandro Poloniæ Regi, & à Georgio junioris Joannis Baſilidis fratre filia Maria Magno Holſatiæ Duci, & Friderici Secundi Daniæ Regis fratri nuptum traditæ fuerint, nunc tamen earumdem nulla diverſæ religionis homini, quem tanquam paganum averſantur, aut ſubdito, quem dedignantur, matrimonio conjungitur; Cùmque in Moſchoviâ omnes ſint Tzaris mancipia, atqué extra eam nullus liber Princeps Græcos infide errores admittat, conditione carentes, in palatio omnes, vel cœnobio incluſæ, jugiter patientes in virginitate corporis contra mentis deſiderium intacti animæ maritum concupiſcentis martyrium, miſeram ætatem chariorum inter mortales nominum, & affectuum teneriorum ſolatio carentem traducunt.

Sexus muliebris nõ in magnâ apud Moſchos veneratione.

In matrimonijs autem contrahendis Moſchovitæ non ſolùm lege nobiſcum communi cum attinentibus in quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu nuptias ſibi interdicunt; ſed inſuper vetant, ne quis ſororem leviri ſui ducat: ne duo germani fratres duas ſibi copulent germanas ſorores: ne qui ſpiritualem ad fontem baptiſmi cognationem con-

De matrimonio Moſchorum.

ontraxerunt, connubio jungantur: nevè quartam quiſpiam uxorem ad tertiò viduatum thorum aſſumere præſumat. Quod, licèt nunc Moſchis æqué, ac olim per expreſſam ſanctionem Græcis, ſanctum; nihilominus Joannes Baſilides violavit. Etenim non quartam tantùm; ſed, juxta veriſſimam Oderbornij, & Poſſevini aſſertionem, ſeptimam duxit. Nequé in ejus Metropolitâ tantum animi roboris fuit, ut ad exemplum Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani ſacris Leoni VI. Imperatori quartò uxorato conſtanter interdicentis illum anathematis gladio percuteret. Secundam verò ducentes, biennio: Tertiam, viginti annis Eccleſiæ aditu prohibentur. Nulli tamen proſelytorum, licèt decies in Latinâ religione conjugatus fuiſſet, ullæ nuptiæ imputantur, præter eas, quas in Moſchoviticâ celebravit. Conjugia enim Latinorum non matrimonia; ſed concubinatus Moſchovitæ appellant. Unde ſi Latinæ fidei conjuges ab apoſtaſiæ ſpiritu utriquè ſeducti unâ ſimul Moſchico ſe addicant ſchiſmati, & perſeverare in thori communione velint, nuptias denuò Moſchovitico ritu per mutui in facie Eccleſiæ conſensûs expreſſionem contrahere tenentur. Neceſſariò itaqué hinc conſequitur, quòd omnes Latina ſacra profitentes tanquam ex illegitimo coitu nati apud Moſchorum opinionem nothi ſint. Quare haud magnopere mirandum, ſi apud imbutas hoc præjuditio mentes ſummo omnes ſimus deſpicatui.

A divortio ob uxoris non ſolùm infidelitatem, ſed etiam ſterilitatem, imò & nonnumquam faſtidium, dato repudij libello ab Eccleſiaſtici Magiſtratûs auctoritate convalidato non abhorrent, licitum ſibi facientes aliam ſuperinducere. Nec mirum profectò eſt, quòd à magnatibus divortia frequententur, cùm infelices damnabili patriæ more eas ducere ſoliti ſint, quas vix poſt celebratam in templo per mutuum conſenſum à Sacerdote copulationem videre eis eſt permiſſum, ita ut non rarò eveniat, ut pro ſperatâ Rachele obtruſam ſibi ad matrimonij conſumationem Liam pœnitendâ olim utrinqué deceptione excipere teneantur.

De divortio.

Paulò ditiores uxores ſuas ab omnium oculis ſubtractas intrà domeſticos parietes, nullâ ijs rei familiaris curâ concreditâ, ad acum, & colum, tamquam olim apud Romanos in ergaſtulo mancipia, in gynecæo damnant. Exire communi maritalis zelotypiæ lege eis vetitum, cui rariſſimè aut conſanguineas, aut templum adeundi gratiâ derogatur. Tunc verò (ut cujuſcumqué modi genus mulierum in Moſchoviâ omnes copias in uſu quotidiano, & cultu corporis habet) integri patrimonij impendio comptæ, & politæ mundi ſui pompam omnem oſtentant, ipſæ tamen numquam mundæ. Etenim omnes, licèt nullo, quem arte emendent, deturpentur Naturæ defectu, totam nihilominùs cum collo faciem ceruſsâ incruſtant, genaſqué, & labia oſtro adſcititio pingunt. Invaluitqué adeo hæc colores vultûs mentiendi falſa conſuetudo, ut inter ſponſalia dona nuptæ ſuæ etiam fucum, ut ſibi fiat, vecors ſponſus ultrò mittat. Cùm exeundum, ſi nivibus rigeant calles, cameratis, & ex ſpeculari lapide feneſtratis trahis: reliquo verò anni tempore carpentis crebro ſemper ſtipatæ ſervitio vehuntur.

Uxores ditiorum raro exeunt.

At inferioris conditionis fœminæ, cùm non adeò arctè cuſtoditis cancellis domi contineantur, ſexcentas quæſitæ neceſſitatis cauſas in promptu habent, ut quò libet, liceat commeare. Hæ à potu non abhorrent; imò cum procis certatim compotantes haud rarò amplioris.

Inferiores ſemper, & quomodò.

ris capacitatis palmam reportant. In ipsâ tamen victoriâ succumbunt. Etenim refigente ebrietate pudoris seram honestatis thesaurum furaci mœchorum libidini incustoditum exponunt, vel certè vilissimo pretio venalem prostituunt, eò leviori utrinquè sindereſis sensu, quò graviori intellectûs errore sentiunt, uxorati cum innuptâ commixtionem sub adulterij appellatione non contineri, adulterium illud tantum judicantes, quod cum conjugatâ committitur.

Moschorum balneæ.

Balnea ab allio, & cepis semper malè olentes Moschi omnes indifferenter frequentant, alternis immodici æstûs, & frigoris actionibus ab assuetudine indurati sinè valetudinis incommodo ultrò se submittentes. Postquam enim provocato per immoderatum calorem sudore toto corpore maduerint, super scamnis extensi fagineis fascículis diverberari, & fricari se curant, donec irritatus sanguis ad cutim accurrens coccineâ eam suffulturâ subamiciat. Tunc à balneis se propientes ad frigidam semper ex usu proximé fluentem, aut restagnantem nudi omninò currunt, eâque se abluunt. Vel si sæviente hyeme hoc ipsis officium gelu constricta negaverit, ad nivem recurrunt, quâ tanquam smegmate longâ perfricatione mundati, ad balnearum calorem eam extersuri revertuntur, extrema hæc sinè alio intermedio ad libitum inoffensi reciprocantes. In publicis itaque balneis ipsæ etiam plebejæ fœminæ frequentes sunt, ubi sejunctæ quidem per intermedios asseres ab hominibus lavantur; attamen per idem ostium nudæ omninò intrant, in ejusquè liminari, si libeat, prolixis nugis balneantem virum coram alijs alloqui non verecundantur. Quin imò, postquam & ipsæ sanguinem fricatione, & verberibus ad extimam cutim elicuerint, ad proximam frigidam promiscuè cum viris concurrunt, nihil pensi habentes, nuditatem suam procacibus eorumdem obtutibus ingerere concupiscendam.

Moschi sunt firmæ valetudinis.

Mirum dictu: Cùm tam inordinatè uterque sexus in Moschoviâ ætatem agat, plurimi tamen ad longævam senectam nullo unquam morbo tentatam eam producunt. Videre est ibi septuagenarios integris viribus vegetos, robustis lacertis validos ijs se laboribus submittere, quibus apud nos juventam vix excedentes impares essent. Credendum, à salubritate aëris tantæ valetudinis firmitati, in nemine unquam à studijs, uti apud nos, labefactatæ, multum contribui. Moschi tamen dicunt, quòd plùs à neglectu ibi medicæ artis.

Medicos, & pharmacopolas nescíunt.

In totâ Moschoviâ nullus est medicus, nullus pharmacopola, & quamvis in Aulâ suâ tres largâ satis manu Tzar meo tempore aleret, aliorum Principum in eodem æmulationi tribuendum venit, eorum enim operâ nec ipse, nec alius quivis Moschorum seriò utitur. Ægrotantes omnia Hippocratis canonica remedia respuunt, exteriora sibi applicari vix patientes. Ad vetularum potiùs, & Tartarorum incantamenta confugiunt. Pro fastidij verò, & æstus solamine vinum distillatum, & allium admittunt.

Authori ægrotanti copia medici negatur.

Ego tamen vix quatuor post adventum meum hebdomadas Moschuæ expleveram, cùm febrili calore me correptum sensi. Triduo elapso ad Æsculapij artem confugere decrevi. Sciscitanti mihi, an aliquis medicinæ peritus in urbe daretur reperiri? responsum fuit, quod tres. Italus, Germanus, & Anglus. Italo arrisit Italus. Licèt enim de eo additum, quòd propter gravidatum ab eo Polonæ captivæ ad Moschoviticam religionem transfugæ uterum in Sibiriam relegandus,

ut

ut pœnam evaderet, idem & ipse transfugium vel feciſſet, vel simulasset, novo baptismo peccaminosè superadmisso; considéravi tamen, nihil hæc omnia doctrinæ ejus, & praxi detrahere potuisse, posse autem ejus mihi concessionem tanquam hominis apud Moschos minùs suspecti faciliorem reddere. Mando itaqué ut advocetur. Refertur res ad commissarios, ab his ad Cancellarium, ab hoc ad Magnum Ducem, non tamen sinè bidui morâ. Concedit hic, quem petieram, jubeturqué ille ad me accedere. Dum eum præstolor, nunciatur mihi, adventasse doctorem Anglum, qui dicat, se ex mandaro Tzaris ad me venisse. Ego malè ominans de curatione, in cujus initio quid pro quo in ipso medico mihi obtrudebatur, mando famulo ut ei renunciet, quòd me sopitum invenerit, & excitare non audeat. Cùm experrectus fuero, relaturum se mihi de ejus ad me accessu. Abijt itaqué bonus Anglus; sed non ideò Italus venit. Visitant me commissarij, & interrogant, utrum venerit? Respondeo negativè. Abeunt asserentes, eum incontinenti à se missum iri. Sed non præstant, imò eorum alter rediens, eum, nescio quò, profectum fuisse, mentitur, & interrogat, quare doctoris Angli apud Tzarem primarij, & in arte experientissimi, cujus prærogativæ procerum omnium curatio jure deberetur, operâ uti detrectarem? Respondeo, de medico eandem esse rationem, ac de confessario, cùm huic anima, corpus illi concredatur. Numquam autem mihi eveniſſe, ut ab aliquo clausſtralium cœtu talem nomine, & quidem nullius inter eos dignitatis, sacerdotem, qui confessionem meam exciperet, petenti, Abbas potiùs, vel Rector, vel Prior, quia talis, fuerit submissus. Petitum Italum à me fuisse, quia persuasus viverem, quòd unaquæqué natio naturalem popularium suorum corporis constitutionem certioribus, quàm ceteræ, experimentis exploratam habeat, ideoqué aptiora ad expellendum morbum remedia sciat adhibere. Recusatum Anglum, quia ex errore eum ad me venisse putaram, non verò, quod de ejus sufficientiâ addubitassem, sed admissionem jam ejusdem repulsâ meâ offensi à prudentiâ mihi vetari. Hæ rationes, obsecrationes meæ, & febris in dies invalescens permovere potuissent quoscumque alios ad expetitum solatium mihi concedendum; sed inefficacia prorsùs omnia apud lapidea Moschorum corda fuêre. Animum tamen haud despondi ab Ambrosio probè doctus, quòd ubi omne humanum deest auxilium, ibi necesse sit adesse divinum. Deo solo immediatè opitulante pauculos post dies convalui, & tunc causam denegati mihi Itali doctoris percepi.

Causa non concessi Medici.

Custodiebatur tunc temporis inter alios belli jure captivos dux Campestris, & thesaurarius Magni Ducatûs Litùaniæ Vincentius Corvinus Gosievius, omnibusqué ad eum aditus ex Moschovitarum more fuerat interdictus. Is tunc ante annum afflictam sentiens valetudinem copiam sibi alicujus medici fieri petierat. Jussus à Tzare Italus eum invisere in atrio aëris captandi, & corporis exercendi gratiâ deambulantem offenderat. Ibi narraverat is passionem suam & symptomata: remedia alter & quotidiani victûs legem præscripserat. Inter alia usum cremoris tartari impensè laudaverat. Arrectis interim auribus custodum militum centurio eorum sermonem excipiens, frequentem de cremore tartari mentionem subaudierat, & ex nominum similitudine suspicatus, eos de Tartaris Crimensibus fuisse locutos, cucurrerat ad Bojarum Iliam Danilowicz Tzaris socerum, & ordinarium omnium in

Moscho-

Moſchoviâ medicam exercentium artem judicem, & medicum, quòd cum Lituano hoſte de ejuſdem collegatis Tartaris Crimenſibus longos ſermones miſcuiſſet, detulerat. Fortè autem fortunâ pridie ejus diei infauſtus de obſeſſo ab ijſdem Tartaris Tzeremetow nuncius Moſchuam advenerat. Advocatus igitur confeſtim doctor, & coram Iliâ tanquam atrociſſimi criminis reus ſtatutus, interrogatus fuerat cum indignabundâ beneficiorum exprobratione, quòd, nimirum, & ipſe captivus non tantùm ſuæ libertati, ſed etiam in medicum conſtituto liberaliter ſtipendio aſſumptus, & ad veram Chriſti fidem, ſi Dijs placet, per genuinum baptiſmum fuiſſet introductus, quid cum Magni Ducis hoſte de fœderatis ejus Tartaris Crimenſibus tam prolixè tractaſſet. Obſtupuerat ille, & advocati munere fungente conſcientiâ negaverat factum. Productus illicò ad eum convincendum teſtis de auditu centurio fuerat. Tunc reflectens medicus ad omnia cum Goſievio dicta, profectum ab audito à centurione cremoris tartari nomine ſuſpicacis calumniantis errorem agnoverat, & patefecerat. Vix tamen evaſerat, quinimò captioſi verborum ſuorum interpretis titulum retulerat. Cùm itaqué Iliæ menti concepta ſemel de illo ſuſpicio tenaciter adhæſiſſet, quando inaudijt, eum à Tzare ad me curandum deſtinatum, decreto auctoritate ſuâ intercedens inhibuit ei, ne veniret, Anglo ejus vices ſubire juſſo. Nequé per iteratas inſtantias meas, & ægritudinem in dies ingraveſcentem ab obſtinatâ inhibitione potuit dimoveri.

Sanè conſideranti, virtutes morales ſtationem ſuam fixiſſe mediam inter ſibi invicem oppoſita vitia, non adeò mirum erit, quòd rari admodum inter Moſchos in hoc medio calle veſtigia firment. Etenim internæ in homine poſt ejus depravatam à peccato naturam inclinationes ab exemplis ſeductæ, externiqué ſenſus à fallacibus pellecti objectis facilè per declivia errorum ad vitiorum confinia labuntur, niſi à liberalibus diſciplinis, & philoſophiâ ſuâ, vel alienâ animus, quaſi puer à nutrice ſuâ, manuducatur. Quo præſidio Moſchi omnes ſuâ culpâ ſunt penitus deſtituti. Prodigalitati tamen numquam ad eos aditus patuit. Percurre, quàm lata eſt, Moſchoviam, nuſquam prodigum invenies, numquam audies, alicui propter prodigalitatem bonorum ſuorum adminiſtrationem datis curatoribus fuiſſe interdictam.

Moſchi ſunt tenaciſſimi.

Depoſuerat Smolenſciæ obſtetricante Lucinâ gravidi uteri onus uxor Ducis Petri Dolgoruki ex vetuſtâ Rurecowiciâ rerum olim in Ruſſiâ per ſeptem ſecula numquam interruptâ ſerie potitâ familiâ deſcendentis, & provinciæ tunc Præfecti, patrioqué more ſervato illicò primores in urbe gentis ſuæ de felici ſuo puerperio per diverſos nuncios certiores fecerat. Confeſtim itaque omnes conſuetudinem ſecuti ad eam concurrerant, & à ſordibus ægrè lotam, viribuſqué ob dolores in enitendo perpeſſos proſtratam importunis obruerant viſitationibus. Eminebat in ſalutantium turbâ Dux Nikita Juanowicz Odojowski, ex eâdem & ipſe Ruſſorum Principum per Suatoslaum Jaroslai Magni Moſchorum Ducis filium tertiogenitum proſapiâ, tertius inter Tzareos ſenatores, Aſtracani locumtenens, & ad pacem cum Polonis tractandam magnus cum plenariâ poteſtate legatus: & cum eo collega Almaſius Juanow Cancellarius. Cùmqué inolita conſuetudo munuſculum aliquod puerperæ offerri à ſingulis exigeret, ille tot coronatarum imaginum Dux Odojowski in decentem liberalitatem profuſus unico aureo,

reo, ejuſqué collega triginta argenteis copikis, qui medij thaleri pondus nec dum exæquant, eam munerarunt.

Mercatores in contractibus ſemper fraudulenti juramentis, & obteſtationibus dolum fulciunt, fluxæqué adeò fidei ſunt, ut niſi confeſtim per rei venditæ traditionem, ac pretij ſolutionem perficiantur, eos, ſi aliundè pinguior lucellus offeratur, inconſtanter reſcindant. In opificibus autem nulla ſinceritas, nulla fidelitas. Dederat Moſchuæ ſacerdos noſter Ruſſo plumario xilinam ex Perſide polymitam telam cum alia communi pro ſuffulturâ, & goſſipio inter utramqué diſtributè per doctam ejus acum in lodicem conſuendo. Cùmqué talium hominum improbas fraudes probè noſſet, catè omnia ſimul coram eo priùs appenderat. Retulit is ſuo tempore elaboratum ſtragulum pondere integro, imò aliquantulum aucto, quod futuræ additamentis tribuendum eſſe ajebat. At cùm ſacerdos per totam noctem illo coopertus onus quidem ſentiret, ſed nullo unquam foveretur calore, confuſus, & incertus animi monetur à quodam ex prætorianis in ſtatione apud nos illâ die excubantibus, deceptionem in facto ſubeſſe, cujus ſe oculatum teſtem producebat. Lodice itaqué paululum diſſutâ vidit goſſipium madidâ, ut adhæreret, conſperſum minutiſſimâ arenâ in ſupplementum dimidiæ ejus partis furto ſubtractæ ſubſtitutâ. Cùmqué artificem de fraude compellaturus ad ejus acceſſiſſet officinam, audijt illum ad ſeptentrionales Oceani oras profectum ſolum vertiſſe. Sed & hæc fallacia erat, nequaquam enim abierat, ſed latitabat nequam, ſperans noſtrum in dies, ut fama tunc ferebat, Moſchuâ diſceſſum. Qui cùm ultra ſpem ſuam differretur, tædio eum affecit, ita ut ex latebris proſiliret. Undè in judicium à ſacerdote vocatus dolum ſuum non ivit inficias, & tamen nullâ mulctâ emendatus fuit. Haud itaqué mirum, quòd dolis, & furtis id genus homines ſtudeant, cùm ſæpè accidere ijs poſſit, ut feliciter peccent, dum ex celato furto peculium augent, ex patefacto verò nihil eis decedit, cùm nullâ graviori, quàm rei furtivæ reſtitutione, pœnâ corrigantur.

Mercatores fraudulenti.

Etiam opifices.

Regna, Provinciæ, & urbes Moſchico ſubditæ dominatui per Præfectos, quos Vaivodas Moſchi appellant, earum tamen procuratione ultra triennium rarò prorogatâ, adminiſtrantur ad amuſſim ſtatutorum, quæ Anno 1647. ex antiquis non ſcriptis conſuetudinibus Alexius compilari, & typis impreſſa publici juris fieri voluit. Verumtamen, cùm gratioſi apud Principem ejus gratias, quas, tanquam canales aquam, gratis excipiunt, in neminem gratis derivent, neceſſariò contingit, ut, qui pro munijs conſequendis multis muneribus eorundem favorem emere debuerunt, ad reſarciendum cum fœnore damnum poſthabitis ſtatutorum præſcriptis, commiſſos ſibi populorum greges tondere non contenti, deglubere etiam haud vereantur, ſecuri, quòd horum querelæ rauceſcent adeò, ut ab auribus domini excipi nequeant, ſi ab expilatis tantùm corraſerint, quantum avaritiæ ſuæ, & novo pro impunitate patronorum mercando favori ſufficere poſſit. Nec deeſt ijs lepidum ad emungendum longè ab omni clamore paulò pinguiores oviculas ſuas inventum. Convivia enim inſtruunt, ac annuatim ſæpius nobiles provinciæ, & mercatorum opulentiores invitant, ut ij inæſtimabili tantæ dignationis gratiæ honoraria dona juxta patriæ morem largiter retribuant. Sententias ſub haſtâ vendunt, eaſqué partium licitantium plus offerenti addicunt. Emunt ſcelera impu-

Proceres pecuniarum avidi.

impunitatem, Aſtreæqué gladij aciem malefactores obtundunt, ſi ſcuta aurea ictus exceptura ſupponant. Ipſiqué judices, ne tam facilè de iniquitate ſententiæ convincantur, connivent, ut teſtes pretio compar ati eò audaciùs ſivè ad veram accuſationem diluendam, ſivè ad calumnioſam afferendam deponant, quò ditius falſitatis receperint premium.

Mercaturam exercent. Etiam Legati.

Proceres omnes, nemine excepto, imò & ipſi Magni Ducis apud exteros Reges Legati mercaturam ubiqué palam exercent. Vendunt, emunt, permutant ſinè velo, ſinè larvâ, ipſi inſtitores, ipſi proxenetæ, & venerandam Legatorum dignitatem ſordido quæſtui cogunt ancillari. Diffiteri tamen non ſinè indignatione haud poſſumus, quòd ejuſmodi ſordes etiam non nullos ex politioribus gentibus, & potiſſimè ex noſtratibus interdum inquinaverint.

Nefarium quatuor mendicorum factum.

Horrui Moſchuæ audiens ſceleratam in ipsâ mendicitate avaritiam. Quatuor mendici, quorum habendi aviditatem ordinariæ piorum erogationes haud explebant, ut horum animos efficaci oratione ad majores ſibi conferendum eleemoſinas permovere poſſent, initâ inter ſe ſecretâ plagij ſocietate pueris bimis, & trimis inſidiantes eos, ſi quando longè ab oculis maternis à puerili curioſitate ſeductos vagari animadvertiſſent, porrectis pomis, aut avellanis nucibus ad ſe allectos clam ſubripiebant. Inductis verò in habitationes ſuas aut crura, aut brachia, aut utraque frangebant, vel oculos eruebant, vel miſerandos aliquo alio membro mutilabant. Quos martyrium enecaſſet, defoſsâ in infernâ domûs caveâ humo homicidæ veſpillones ſepeliebant. Reliquos, qui dolori ſuo ſupervixiſſent, ſecum ad compita ducentes, tanquam prolem ſuam à novercâ Naturâ in utero materno membrorum vitio innocenter mulctatam ſimulatis queſtubus pertranſeuntibus oſtentabant, rogantes, ut tantæ miſerti calamitatis liberalem ad miſeros alendos ſtipem conferre haud gravarentur. Septemdecim annos Numinis longanimitas ſævam hanc nefariorum avaritiam, eorum reſipiſcentiam præſtolando, toleraverat, intra quos illi quamplurimos furati puerulos martyrio affecerant. Sed, cùm ab impunitate majores ſemper ſpiritus ad perpetuandum ſcelus ſumerent, exeruit tandem DEUS juſtitiæ ſuæ brachium, & ſceleſtos à peccando miti caſtigatione compeſcuit. Sedebat eorum unus in plateâ cum detorto, & manco à ſe reddito puerulo conſueto vacans quæſtui, cùm is pertranſeuntem fortuitò genitricem ſuam agnoſcens, mater, mater, ad eam converſus multis lachrymis clamat. Perculſa hæc à notâ filij voce defixo in eum obtuto, quamvis ab injuriâ plagiarij deformatum, eum agnoſcit, multoqué gemitu adrepentem obvijs excipit ulnis. Attonitus ſceleſtus mendicus ab accurrentibus illicò præhenſus tres criminis ſocios ultrò nominavit, quos omnes in vincula conjectos; ſed nullum ex ijs unquam pœnâ aliquâ affectum fuiſſe audivimus.

Ad tertium Kal: Aug. dum Tzar ad templum Divo Heliæ haud longè à noſtris ædibus dicatum ſe conferret, ut memoriam ejus anniverſariâ ſolennitate recoleret, miſit ad nos confidentem ſuum Diakum Dementi ſciſcitatum de valetudine Imperatoris ſui chariſſimi fratris, & deinde de noſtrâ.

Ædium ſacrarum in Moſchoviâ deſcriptio.

Ædes ſacræ in Moſchoviâ capacitatis ſunt intra mediocritatem. unius archetypi formam omnes referentes. In ijs horas ſuo modo canonicas ſtato tempore, etiam nocturno, ſacerdotes, & diaconi cum ceteris

ceteris miniſtris ſubmiſsâ voce vernaculo idiomate pſallunt. In ſingulis è conſpectu januæ principalioris paries laterales ſuos utrinqué pertingens trinis oſtijs pervius aſſurgit. Apud illius oſtij, quod reſpectu conſpicientium lævum eſt, poſtem dextrum pendet affixa Salvatoris imago, & apud ſiniſtrum ejus Virginis Genitricis. Reliquum parietum totius templi ſpatium diverſis circumquaqué obducitur iconibus, quæ juris ſunt privatorum, ante quas illi cereos ſacrificij tempore accendunt. Intra oſtium medium parvula viſitur menſa linteamine, & antipendio veſtita altaris officio deſtinata, in cujus medio ſub ſeraphino calix: in dextro latere crucifixi ſimulachrum, non erectum, ſed jacens: in lævo Evangeliorum liber collocantur. Apud hanc ſingulis diebus tribus ante meridiem horis prævio longo æris campani pulſu unicum ſacrum Moſchoviticâ linguâ peragitur rarò profeſtis diebus auditore, feſtivis verò frequenti, pneumatici organi & quorumcumqué muſicalium inſtrumentorum uſu penitùs eliminato. Sacerdos ſuper albâ pluviali, diaconus Dalmaticâ in utroqué latere conſutâ, ſtolâqué deſuper à ſiniſtro humero ad latus dextrum tranſversâ induuntur. Fœminæ nobiles, quæ maritos paulò minùs moroſos, & zelotypos ſortitæ facultatem adeundi templa ab ijſdem interdum impetrant, per januam peculiarem à parte cœmeterij apertam ſepta, quæ cancellis cuſtodita in ſingulis (excepto cathedrali) ad lævum latus ſunt conſtituta, ingrediuntur, ibiqué ab hominibus non viſæ conſiſtunt. Cùmqué ſacer myſta odorem adolens Sabæum ad eas accedit, dum verſus eaſdem thuribulum motu obſequentis manûs leviter ad fumum proferendum de more impellit, oculos humi dejectos tenet, ne earum aliquam intuitu ſuo per tranſennam violet. Ignobiles verò aut nullatenùs, aut horis ſolitarijs caput imaginibus inclinaturæ fana ſolent viſitare. Adſtat, ſi ſolennior aliqua feſtivitas celebretur, ad dextrum intrantibus templi latus ſub umbellâ Magnus Dux regiè paludatus, & coronatus, atque è regione ejuſdem ad lævam pariter ſub umbellâ (niſi ipſe faciat) tiarâ, & pedo conſpicuus Patriarcha. Utrique ſella flexilis apponitur, ut conſidere, dum epiſtola legitur, queant. Reliquo tempore ſtant. Ceteri verò ſemper. In templis enim ſedere Moſchis illicitum, ideoqué nulla in ijs ſedilia; ſed ſcamna circumquaqué parietibus affixa, uſurpata ſedendo dumtaxat, dum homilia in matutinis legitur officijs. Poplitibus autem flexis DEUM adorare, deteſtandam eſſe ajunt Prætorianorum Pilati militum imitationem, qui ponentes genua ſua Salvatori illudebant. Nemo orando muſſat; ſed nequé labia movet, niſi velit pro incantatore magica proferente carmina haberi. Totaqué oratio publicanum imitatur Evangelicum per millena crucis ſigna toties ingeminans. Goſpodi pomilui: Domine miſerere. Evangelium Tzar coronâ per aliquem ex proceribus è capite detractâ audit, quæ eodem abſoluto rurſus ei per eundem imponitur. Cùm oblatio panis à ſacerdote facienda eſt, diaconus eum capiti ſuo ſuperimpoſitum ex lævo chori oſtio in templum exiens per medium ad altare portat. Dum pertranſit corona iterum Tzari detrahitur, ipſequé & ceteri omnes proſtrati præpoſterâ adoratione panem venerantur. At poſtquam depoſitus ſuper altari à diacono fuerit, clauduntur valuæ, & reliquum ſacrificij ſacerdos abſolvit, ita ut dum conſecrat, jam Tzar iterum coronatus, ceteriqué adſtantes erga imagines quiſque ſuas ſuo Goſpodi pomilui vacantes nullam erga jam ſecundum eorum fidem.

Et quomodo in ijs ſacra habeantur officia.

Mulierum ſepa, rata ſedes.

Sedere illicitum

ſacra-

ſacramentatum panem exhibeant adorationem. Si Tzari communicare libeat, depoſitâ coronâ ad altare ingreditur, quod ceteris omnibus eſt inconceſſum. Ad limen enim oſtij dumtaxat accedunt, ubi ſacerdos obvius Euchariſtiæ eos participes facit. Tandem ſub miſſæ finem regalem Tzar capitis ornatum deponens ad imaginum oſculum procedit, & initio facto ab eâ, quæ Salvatorem repræſentat, ad Deiparæ, Nicolai, reliquorumqué juxta devotionem ſanctorum icones gradatim tranſit, ſignum crucis, Goſpodi pomilui, & cervicis inclinationem per ſingulas prolixâ pietatis oſtentatione tertiò iterans. Abſoluto ſacro abeunt omnes, & nobilium ordo commeſſationibus, mechanicorum verò, & mercatorum reſeratis officinis, & tabernis labori, & commercio ſuo vacant. Conciones nullæ habentur, ne depravatis ingenijs (ut Moſchi præſeferunt) anſa detur, populum hæreticâ doctrinâ imbuendi. Sed quis unquam apud eos concionatoris partes explere valeret, ſi Moſchicos characteres commodè combinare, & pingere, ſummus eſt Moſchovitici ſtudij apex?

Alexius devotionis ergò ad Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis viſitaturus Sergij oſſa ſe transfert.

Pridie Kal: Octobris proficiſcens Magnus Dux ad celebre Sanctiſſimæ Trinitatis monaſterium, ſexaginta ab urbe Moſchuâ verſtas Pereaſlaviam versùs diſtans, ut ſanctorum ſuorum Sergij ibi olim Prioris, & diſcipuli ejus Niconis corpora viſitaret, miſit ad nos ſæpefatum Ducem Alexium Juanowicz Boinoſow Roſthauski, qui hoc nobis ſignificaret, & quomodò valeremus, inquireret. Cui actis per eundem humillimè gratijs, ut votorum ſuorum compos proſpero itinere ſoſpes reverteretur, precati ſumus. Pertranſiens vidit in aliquâ plateârum urbis aliquot ex domeſticis noſtris, qui ipſum reverenter inclinati ſalutabant, miſitque ad eos, qui percontaretur, utrum ex noſtris eſſent? Quod cùm affirmaſſent, interrogavit eos ulteriùs nuncius nomine Tzaris, an benè valerent? & ad Dominum ſuum cum eorundem reſponſo, & gratiarum actione reverſus eſt.

Sanctorum interceſſio apud Moſchos recepta eorum in hâc error.

Sanctorum interceſſionem Moſchovitæ admittunt, verumtamen, cùm judicium animarum particulare confeſtim ac ſeparantur à corpore minimè credant, neceſſarium eſt, ut concedant, neminem (niſi velint abſurdiſſimè inter hunc & illum ſuâ ſolâ opinione freti diſtinguere) ex ſanctis poſt Chriſti in Cœlum aſcenſionem mortuis, quia nondum judicati fuerunt, eò veniſſe. Cùm autem ſancti de noſtris ad ipſos directis precibus nullam poſſint habere notitiam, niſi per viſionem DEI, quâ beati ſunt, & per quam quaſi in ſpeculo ipſis omnia, quæ ad ipſos pertinere poſſunt, ne aliquid ad plenam beatitatem deſit, oſtenduntur, & revelantur, quomodò poſſunt ij, qui hac viſione juxta Moſchorum fidem nondum fruuntur, preces eorum noſſe, ijſqué ſuas apud DEUM addere? His non attentis Divam Virginem, & Nicolaum Mirenſem Moſchovitæ magnoperè honorant. Imò hujus translationis feſtum Anno 1096. ab Urbano II. Rom: Pontifice inſtitutum receperunt, hodiequé retinent, etiamſi Græci illud nunquam admiſerint. Sed inter reliquos, an omnes, quos invocant, ſancti DEO ſint, hærere aliquis poſſet. Hoc certum, quòd Martyrum catalogo aliquot adſcripſerint, de quibus, cùm cauſa, non pœna martyres faciat, dubitandum, utrum ſub Stephani vexillo militent.

Poſt mortem nothi Uolodimiri primi inter Moſchorum Duces vivifici lavacri myſterijs initiati, quem hoc capite Moſchovitæ, & Menologium Græcum ſanctum vocant, etiamſi polygamus fuerit, ac per multi-

multiplicatas cædes & rapinas in Ruſſiæ Monarcham evaſerit, neminiqué, vel poſt baptiſmum, aliquid unquam ex raptis reſtituerit, ejus liberi de imperio decertantes mutuis ſe ſe inſidijs appetebant. Horum Suatopolchus Kyoviâ yi occupatâ fratres ſuos Boriſſum Chriſtiano nomine Romanum, Ducem Roſthovienſem, & Chlebum poſtea Davidem, Ducem Polocienſem immiſſis percuſſoribus interemit. Hos Ruſſi in martyrum album retulerunt, eorumdemqué memoriæ diem Julij vigeſimumquartum conſecrarunt. Corporum autem Moſchuam deinceps translatorum, templiqué ijſdem dicati feſtivitas VI. Non: Maij celebratur. Non me latet quorundam ſententia, qui, ut hos in martyrum chorum intrudant, ſubnixi doctrinâ Doctoris Angelici aſſerentis, eſſe inter martyres connumerandos non tantùm qui pro Chriſtianâ fide occiduntur; ſed etiam qui ob amorem alicujus ex moralibus virtutibus occidunt, ajunt, cauſam martyrij fuiſſe in Boriſſo, & Chlebo ſufficientem, quòd maluerint vitæ & regni jacturam facere, quàm ad utraqué conſervandum, bellis & ſexcentis, quæ bellis conſectanea ſunt, malis ſubditos ſuos vexari. At ego Divi Thomæ doctrinâ reverenter admiſsâ conſidero in facto, Boriſſi & Chlebi vitam à fratre inſidijs, quibus eorum alter fugâ ſe proripere fruſtrà conatus fuit, appetitam, & fraudis, à quâ fuêre intercepti, prorſus ignaris per conſtitutos ſicarios ereptam fuiſſe, ideoquè ſancti Doctoris doctrinam nequaquam poſſe ijs commodè aptari. Sed quid? Numquid non fuit David homo ſecundum cor DEI? & tamen is, cùm dilectiſſimus filius Abſolon rebellaſſet, non jugulum parricidio præbuit; ſed arma armis oppoſuit, & (invitus licet, & gemens) rebellem punijt. Peſſimè profectò conſuleretur probis Principibus, imò & ſubditis tutelæ eorum legitimè à DEO commiſſis, ſi laudabile faceremus, ut nullo modo impiorum in ſe conatibus ipſi reſiſterent: & martyrum laureâ donaremus eos, qui neglecto bello pro ſui ſuorumqué ſubditorum defenſione planè neceſſario ſceleſtorum injurijs opportunos ſe præberent, & ita, quantùm in ipſis eſſet, facerent præmium ſceleri: orbarent ſubditos ſuos legitimo, & probo Principe: & in eorundem perniciem facinoroſi tyranni intruſioni locum darent. Quamvis autem cauſa martyrij in Boriſſo & Chlebo alicui probaretur, adhuc tamen eos martyrum cœtui cunctaretur aſſociare, ſi Cyprianum audiret dicentem, inexpiabilem eſſe diſcordiæ Eccleſiaſticæ culpam, ejuſqué maculam nec ſanguine ablui, nec paſſione purgari: ſique poſthabitis alicujus contra ſentientis parùm ſolidis conjecturis crederet cum Poſſevino, ceteriſqué ferè omnibus, qui de Ruſſorum ad Chriſtum converſione ſcripſerunt, eos cum baptiſmo Græcum hauſiſſe ſchiſma in poſteros ad hunc uſqué diem pertinaciter propagatum. Sed quid credendum de ijs, quos jam referam? Cùm Boriſſus Hodunus ſimplicitate Theodori Juanowicz Magni Moſchoviæ Ducis, & ſororis ſuæ mariti abutens Regno inhiaret, ut quæcumqué ambitioni ſuæ obſtantia tutiori dolo per intervalla ſcelerum ſenſim removeret, puerum novennem Demetrium ejus germanum per ſicarios ſuſtulit. Hunc Moſchovitæ martyrem vocant, ejuſque ferias Idibus Maijs quotannis celebrant. Quotquot ex Moſchorum Ducibus à Tartaris bello petiti perierunt, tanquam martyres ferijs, ſacris, & invocatione à Ruſſis coluntur. Imò cùm Anno 1659. Dux Simon Romanowicz Pozarski à Joanne filio ſecundi Sevoldi Magni Moſchoviæ Ducis ortum ducens, homo flagitijs, & facinoribus coopertus, & recenter

occisæ uxoris suæ infamiâ laborans, sub Ducis Trubetzki directione inter Potiwulum, & Konotopum in Ducatu Severiensi contra Polonorum, Cosacorum, & Tartarorum exercitum pugnando in primo agmine cecidisset, martyribus confestim adnumeratus à Tzare Alexio fuit, peculiari nunc cultus officio. Prædicata autem Sergij miracula apud nunc viventes, quia nulla jam eduntur, fidem vix inveniunt. Et cupreæ ollæ coctum olus unicuiqué venienti sufficienter sinè portionum monasterij familiæ debitarum diminutione submini strare solitæ nulla penitùs vivit memoria. Nisi dicamus, genuinum ollæ miraculum hoc esse, quòd nimirùm peregrè proficiscentibus, & templum bis quotannis in Trinitatis,& Michaelis festivitatibus visitare solitis monasterij olla coctum olus, pauperrimum, nempè, monasticæ culinæ cibum, suppeditet; sed liberales adeò ab ijsdem largitiones consequatur, ut olla numquam possit evacuari. Fama est ab omnibus in Moschoviâ verax credita, quòd supra quater mille argenteorum rublorum myriades à Magnorum Ducum, aliorumqué pietate erogatæ in illo monasterio sub Plutonis custodiâ defossæ latitent.

De Sergio.

Obiter autem hîc adnotare haud pigebit, quòd Sergius juxta fidem Moschicorum annalium hominem exuerit Anno Mundi creati 6897. qui fuit redempti 1388. dominante in Moschoviticâ Russiâ Basilio Demetrowicz. Erravit itaqué Possevinus (nisi error typo sit adscribendus) Anno 1581. ad Gregorium XIII. scribens illum ante tunc undeviginti annos mortuum fuisse. Olearius verò, dum hujus fidem secutus est, non animadvertit,quòd ille ipse Herbersteinius,quem uti mentionem Sergij facientem ipse laudavit, postquam primâ in Moschoviam legatione cum collega Vito Streinio Maximiliani Primi Orator Anno 1517. & secundâ Anno 1526. Caroli Quinti, ejusqué germani Ferdinandi cum Leonardo Comite de Nagarolis caduceator functus fuisset, suos rerum Moschoviticarum commentarios Anno 1549. edidit, undè nihil tunc de sepulto in monasterio Sanctissimæ Trinitatis Sergio, deque ejus miraculis referre potuisset; si is anno demum 1562. vitam cum morte commutasset.

Moschorum confessio.

Tabulam naufragij, confessionem, nempè, auricularem, Russi habent, quam Eucharistiæ sumptioni semper ex lege præmittere tenentur. Rarò tamen citra Paschatis festum eam edunt, & tunc pauci, hiqué perfunctoriè, & mutilatam. Rustici ferè omnes, & urbium plebs eam ad proceres, & opulentiores viros pertinere arbitrantur, ideoqué ad illos eam reijciunt. Illi autem, ne salutarem pœnitentiam, quam ipsis patres spirituales ex antiquo Græcorum usu gravem & diuturnam solent injungere, subeant, ab eâ edendâ sibi dispensant. Quod diffiteri nequaquam potuit alter ex nostris Moschuæ commissarijs, qui perfectionem religionis suæ ab austeritate legis evincere contendens, severas prolixæ pœnitentiæ conditiones adulterio pollutis ab audientibus ipsorum confessiones præscribi solitas extollebat. Cui ego; si res ita se habet,vos Moschovitæ in continuo impositæ pœnitentiæ exercitio numquam solvendo pares vivatis, necesse est, etenim scimus,quàm frequenter in alienos thoros irrepere consueviſtis. At ille; Ecquid nos stultos putatis? Nihil horum sacerdoti revelamus.

Et communio.

Communicant sub utraque, si non trinâ, simul sumptâ specie, sacerdotes enim panem fermentatum à provectæ ætatis mulieribus sacerdotum plerumqué viduis confectum frustulatim in rubro vino aquâ tepi-

tepidâ diluto intinctum, postquam eum verbis consuetis more nostro adhibitis consecraverint, cochleari ex calice sumptum communicantibus, quibus eâ die esu carnium abstinendum, distribuunt, pueris minimè rejectis, si septennium excesserint.

Quomodo ægros post hanc sumptam habeant.

Hoc ægros in agone extremo cum morte luctantes muniunt, sacroqué oleo inungunt, & nullo ulteriùs cibo, nisi meliorem sui spem fecerint, pascunt. Aquam tamen, vel vinum sublimatum, in quod sanctorum lipsana immerserint, sitientibus haud negant. Si verò aliquis eorum in illo feralis terroris articulo monasticum habitum,ut nonnulli ex cordis compunctione assolent, detonsus & unctus induerit, is toto octiduo, tanquam inter Angelos connumeratus, nequé alimento refici, nequé pharmacis poterit sublevari. Sed si morbo remittente tam longo jejunio supervixerit, voti reus monasterium ingredi relictâ uxore, licèt invitâ, tenebitur.

De mortuorum sepulturâ.

Mortuos autem suos Moschovitæ, aliàs in publicis functionibus ostentationi haud parcentes, non adeò magnifico funere multâ licèt superstitione, solent sepelire. Cadaver à pollinctoribus lotum, & linteis involutum arcâ ligneâ conditum, præcinentibus, sivè ejulantibus incondito clamore, crinibus passis præficarum vice cognatis fœminis lugubres nænias, ac sacerdote sacram iconem, quam vivens venerari solitus fuerat, præferente, atqué subsequentibus ex clero aliquot, consanguineis, & amicis quamplurimis accensos cereos gestantibus, effertur. In cœmeterio, extra quod Russorum nemo, nisi repentinâ morte correptus, vel per Ecclesiæ sententiam aliorum communione privatus fuerit, sepelitur, arca recluditur, cui comitatus omnis plura figens oscula mortuo vale ultimum dicit, moxqué à libitinarijs terræ mandatur, vultu soli orienti obverso.

Ridiculum autem supinæ Moschorum ignorantiæ deliramentum est illud, quòd, antequam loculus claudatur, sacerdos sepeliendi digitis codicillos inserit, à clero loci, in quo ille vitâ functus est, auro mediante subscriptione signatos, sigilloqué munitos, quibus cum attestatione asseritur, eum Græcæ fidei sectatorem vixisse, siquid vivens peccaverat, per confessionem, absolutionem, & sacram sinaxim expiasse: jejunia servasse: orationi vacasse; DEUM, & Divos omnes decenti honore affecisse; Datas itaqué ei illas Divo Petro ostendendas literas, ut sinè remorâ per Paradisi portas ad beata gaudia intromittatur. O puerilem implicantiam! Moschovitæ à Græcâ seducti doctrinâ expiatorium animarum ignem, & particulare animæ judicium, ut superius innuimus, nequaquam credunt; Petrus itaqué, secundùm erroneam hanc doctrinam nondum judicatus,in Paradiso ad referandam ejus januam esse nequit, & cùm ibidem post universale judicium adesse poterit, aderunt etiam unâ simul ceteræ electorum animæ, quæ ministerio janitoris pro ingressu non egebunt; sed eodem momento cum ipso in paradisum intrabunt, undè supervacaneè rogatur de officio, quod præstare nunc minimè valet, & olim necessarium non erit. Inofficiosa similiter justa omnia, quæ defunctis consanguineis, & amicis persolvunt: inofficiosæ preces, largitiones, viscerationes, sacrificia, & feralia, quibus illis parentant, si ante universale judicium aditus in Cœlum nulli animarum patet: si nulla à pœnali carcere est redimenda. Verumtamen, cùm abyssus abyssum invocet, in alium miseri prolabuntur errorem, dicunt enim, inferias mortuis ideo à se fieri, quia

Purgatorium.

duo

duo ſint loca, ad quæ animæ poſt ſolutam cum corpore ſocietatem ferantur. Alter, ubi illæ, quæ innocentiam conſervarunt, vel amiſſam pœnitentiâ, aut martyrio recuperarunt, cum bonis Angelis deliciantes expectant beatam ſpem. Alter, ubi improbæ impœnitentes in miſeris tenebris cum perverſis ſpiritibus finalis diei adventum horrentes ſemper pavent. Parentalia itaqué animabus facta aut poſſe illas, quæ in itinere à demeritis ſuis per ſiniſtrum damnationis callem ad locum horroris abducebantur, ad rectum ſalvationis reducere: aut, ſi illum jam ingreſſæ fuerint, continuâ præce, & jugi ſacrificio iram DEI ita placare, ut tandem earum miſertus libro vitæ eas inſcribat, & judicium univerſale exercens clementer ſe erga eas oſtendat.

Exercitiũ religionis Catholicis Moſchuæ denegatur, Lutheranis & Calviniſtis conceditur.

Cùm itaqué tam denſis ignorantiæ tenebris idiotæ Moſchovitæ, & plerumquè analphabeti cœcutiant, & ſenſu palpabilibus eorum fides ſcateat erroribus, ſe tamen ſolos Chriſtianos jactare, omneſqué Latinæ Eccleſiæ aſſeclas paganos appellare audent. Tantoqué à Græcis accepto in Romanum Pontificem feruntur odio, ut Catholicis Moſchuæ degentibus liberum ſuæ religionis exercitium permittere numquam voluerint; Lutheranis verò, & Calviniſtis, qui ea, quæ apud Moſchos in ſummâ ſunt veneratione, nempe imagines, crucis ſignum, ſanctorumqué invocationem, contemnunt, quia ab illo defeciſſe norunt, facilè concedunt. Operante mali dæmonis aſtutiâ, ne aliquod ſanæ doctrinæ lumen per uſum Catholicæ religionis in Moſchoviam inferatur, quod tenebras Ruſſicæ diſcutiens veram fidei ſemitam Moſchis oſtendat, per quam incedentes ab ejus ſe ſubtrahant poteſtate.

Vices interea illorum Catholicæ profeſſionis hominum dolendæ veniunt, qui ſperati ſivè à mercaturâ, ſivè à militiâ exigui lucelli gratiâ ultro in Moſchoviam cum uxoribus, & liberis numquam indè (hoc nimis verum) dimittendi tranſeunt, tacitè renunciantes non tantùm omni ſolatio, quod piæ animæ ex frequenter repræſentatis ſuæ religionis myſterijs, & prædicatâ doctrinâ percipiunt; ſed etiam incomparabili illorum ſacramentorum beneficio, quæ ad ſalutem eſſe præcisè neceſſaria ſunt edocti. Licèt enim hujus neceſſitatis legi legislatoris bonitas deroget cum eo, cui petenti eorundem copia fieri nequit, non derogabit tamen cum altero, qui ſciens prudens eò ſe contulit, ubi ea habere non poſſe ſciebat, niſi in illo extremæ neceſſitatis articulo etiam hujus ſtultitiæ ſuæ eum ſeriò pœniteat. Quod utinam clemens DEUS cunctis Catholicis, qui in Ruſſiâ mortem obeunt, gratioſè concedat. Sed vidi ego Moſchuæ haud ſinè Chriſtianæ compaſſionis mœrore aliquot à noſtræ fidei exercitio ita diſſuetos, ut, etiamſi quotidiè apud nos ſacerdos faceret, ægre bis ipſi, vel ter, cùm ſemper poſſent, & tunc perfunctoriè, ſacrificio interfuerint: & conſcientiam ſuam depoſitis apud eum per confeſſionem peccatorum ſordibus purgare planè neglexerint. Reſcij autem, quòd liberos ſuos vel domi in ſummâ literarum ignorantiâ deſides educare, vel Lutheranis, & Calviniſtis eccleſiaſtis literis imbuendos concredere cogantur, in quos hi tanquam in mollem ceram cum literis dogmata ſua ſignaculo deinceps indelebili ſenſim imprimunt.

Qui imperaverint Ruſſis uſque ad Alexium.

Rexere olim Ruſſos Rurichus, Sinaus, & Truvorus fratres, ex Waregis, ſivè Wagrijs Slavicâ gente ad ſinum Codanum dynaſtis prognati, qui Ruſſiæ imperium ultrò ab indigenis conſilio, & impulſu Magnæ Novogardiæ civium bellum ſibi à Kyovienſibus illatum vix ſuſtinen-

ſtinentium, ut ab ipſis defenderentur, oblatum, adſcito ſobrino Oleko, anno (juxta Græcorum à Ruſſis approbatam ſupputationem, quæ hoc anno, qui eſt à Chriſto nato 1663. poſt Auguſtum menſem 7172. ab orbe condito computat) 6370. Chriſti verò 861. inter ſe diviſerunt. Utriqué verò fratri improli mortuo Rurichus ſucceſſit, qui fato deindè concedens unicum filium Igorem nondum imperio maturum ſub Oleki tutelâ Regni hæredem reliquit, quâ ei, & quidem ampliatum, ſtetit. Ab hoc genitus Suatoslaus parens nothi Volodimiri, Volodimiriæ urbis ad fluvium Cleſmam, in quam ſedem Ducalem Kyoviâ tranſtulit, conditoris. Is poſtquam nefariè occiſis Jeropolcho ex legitimo matrimonio fratre, & Varego, ſivè Vagrio, Rochvologdo Pleſcoviæ Principe, univerſam Ruſſiam ſibi ſubjeciſſet, anno Mundi 6496. Chriſti verò 987. ſacro baptiſmo poſt aviam paternam Olham, quæ Conſtantinopoli anno 6463. Chriſti 954. imperante Octavo Conſtantino eodem tincta fuerat, initiatus, Baſilij nomen à Baſilio cum fratre Conſtantino Imperiale Orientis ſceptrum tum regente aſſumpſit, ductâque eorundem ſorore Annâ naſcendi infamiam præclaris facinoribus abolevit. Cùm verò anno 1005. in vivis eſſe deſijſſet, filij ejus, & ceteri uſquè ad Georgium, & Jaroslaum germanos ſextâ ab eo ſobole deſcendentes, dum diviſum in plures imperium ad ſe trahere ſinguli conantur, mutuis vulneribus cadentes bellis externis (ſi ejus pronepotem Volodimirum Monomachum exceperis) parum inclaruere. Ipſi autem Georgius, & Jaroslaus à Bato Tartarorum Rege bello petiti averſam adeò fortunam ſunt experti, ut illi cum filio Volodimiro interempto ſuccedere iſte nequiverit, quin Ruſſiam à majoribus ſuis liberam acceptam Tartarorum inſolentiæ ſubderet tributariam. Hi ſui ex ſuperbiâ rerum proſperè fluentium impotes non ſolum pro arbitrio Ruſſis ambientibus Ruſſiæ Principatus, ut debilioribus faciliùs imperarent, diviſos deferebant; ſed etiam faſtuoſo vilipendio eoſdem adigebant, ut legatis ſuis, imò & veredarijs, obvij plenam equino lacte pateram offerrent, quicquid ex eo ab ebibentibus in equi jubam diffluëret, catillaturi: & in palatium introductis ſolium Ducale cederent, ipſi ſedentibus aperto capite reverenter adſtarent: legentibus autem Principis ſui literas pretioſiſſimas Scythicarum ictidum exuvias ſubſternerent, ipſi verò flexis eas poplitibus audirent. Pudendum hoc jugum, poſtquam Daniel Jaroslai nepos Ducalem thronum Volodimiriâ Moſchuam jam diù ante tranſtuliſſet, ejus atnepotis Baſilij cœci filius Joannes, hortante, & aſtuto invento coadjuvante uxore Sophiâ Paleologâ tandem excuſſit, & Ruſſiæ in unum denuò corpus quamplurimis ex agnatis Ducibus varijs artibus è medio ſublatis conglutinatæ Monarcham ſe appellavit. Eo autem anno 1504. fatis concedente filius ejus, & ſucceſſor Gabriel, qui ſub Baſilij nomine poſteritati innotuit, reliquis ferè omnibus ex Moſchoviæ Ducum proſapiâ oriundis in ordinem redactis, Smolenſciâqué retractâ, tantis acceſſionibus auctus auguſtiores ſpiritus gerens Tzaris, ſivè Regis, titulum ſibi (Herberſteinio apud ipſum Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris Oratore teſte) uſurpavit, cujus numquam poſtea ſucceſſores obliti ſunt. Etenim anno 1533. eo fatis defuncto ejus filius Joannes, crudelitate nimium forſan à ſcriptoribus exaggeratâ orbi notus, Tartarorum Regnis Caſanenſi, Aſtracanenſi, & Sibirienſi ſubactis, eum, ſi in patrimonio haud inveniſſet, hinc ſibi aſſumpſiſſet. Succeſſores ve-

rò non minores majoribus ſuis videri voluerunt. Reliquit is anno 1584. ad V. Kal: April: moriens regnum Theodoro filio, per data dejecti infra fortunam animi experimenta æditui muneri longè aptiori, ideoqué injuriæ opportuno. Cui ſcelere Boriſſi Hoduni leviri ſui, cujus nomen ſupra ſuum attolli imprudenter paſſus fuerat, ſinè prole anno 1597. defuncto is ipſe, primus, qui Rurichoviciæ ſtirpis Duces à gentilitio excluderet throno, per ſummum aſtum, & nequitiam ſucceſſit. Quamvis autem malè quæſitum Regnum benè adminiſtraſſet, nihilominus anno 1605. percipiens odium in ſe populi ex applauſu, quo impoſtorem Demetrium ex Poloniâ venientem excipiebat, & deſtitutus illo animi robore, quod homines ad omnia fortiter patienda format, & firmat, dum ab illo extrema timet, ignavâ deſperatione mortem ipſe ſibi hauſto veneno conſcivit, filioqué Theodoro ſedecim annorum adoleſcenti in malè decurſis regni vulcanalibus lampada tradidit. At brevi hujus gaudio. Intra trimeſtre enim ſui regni ab innatâ Moſchorum inconſtantiâ reprobatus, mandato Pſeudo-Demetrij laqueo cum matre Mariâ gulâ fractâ die decimâ Junij mortem invenit. Verumtamen nequé hic præeſſe diù inſtabili genti potuit; ſolutè enim, & contra patrios mores vivens, deſpicabilis, & odioſus factus, opportunitatem inſidiantibus præbuit. Decimum intra menſem, nempè, ad XVI. Idus Maij anno 1606. procerum conſpiratione à Duce Baſilio Suiſco inſtigatore promotâ dilaniatus huic locum fecit. A Ruricho is per Susdalienſium Ducum lineam deſcendebat. Verum, cùm fortunâ parùm favente uteretur, brevì Moſchos ejus tæduit. Quarto regni ſui anno invitum, & fruſtrà reluctantem cum Mariâ uxore tondent, & hanc in ſanctimonialium, illum in monachorum cœnobium detrudunt. Nec adhuc ærumnarum finis. Electo enim ſub hâc inter alias cum ejus parente pactâ conditione, ut Moſaiſci à Moſchorum Patriarchâ præſentibus clero & Regni primoribus Moſchovitico more rebaptiſaretur, in Tzarem Uladislao Sigiſmundi III. Regis Poloniæ filio cum duobus fratribus, alijſquè conſanguineis captivum tranſmiſerunt. Qui in arce Goſtinenſi Palatinatûs Ravenſis nondum exacto anno cum fratre Demetrio carceris ærumnis confectus fatis conceſſit. Sigiſmundus autem Rex, ne tam glorioſum trophæum ſibi à morte eriperetur, exſtrui in ſuburbano Varſaviæ, quod Cracovienſe nuncupatur, ſphæricæ figuræ ſacellum, in eoqué utrumqué tumulari voluit, additâ in teſtimonium ſuæ felicitatis tabulâ marmoreâ, quæ inſcriptum miſerorum fratrum caſum apud poſteros perennaret. Per ſubſecutam tamen inter Uladislaum Regem, & Magnum Ducem Michaelem Fedorowicz anno 1634. pacem licuit Moſchis eorundem oſſa in Moſchoviam avehere, & Michaeli marmor illud, ipſi per Adamum Kiſielium Caſtellanum Kyovienſem ab Uladislao tranſmiſſum, cum ſuâ epigraphe ſepelire. At dum Uladislaus cunctantis parentis conſilio ab implendâ tam iniquâ conditione meritò abhorrentis, ſivè pro ſe ſceptrum illud affectantis, Moſchuam ad Regnum capeſſendum ſe conferre diù deliberat, Moſchovitæ moræ pertæſi Michaelem Theodori Mikitowicz Romanow Metropolitæ tum Roſtovienſis, & deinde Patriarchæ filium, à Boriſſo Hoduno in monaſterium Ipathianum primo ab urbe Caſtromoviâ lapide cum genitrice Marthâ Juanovâ olim relegatum, ibiqué jugiter ætatem agentem, anno 1613. ſibi elegerunt. Grave itaqué bellum inter utrumqué electum exarſit, quod per varios inconſtantis Martis eventus

tus protractum anno tandem 1634. pace mutatum fuit, Michaële per Uladislai abdicationem in pacificâ Regni poſſeſſione perſeverante. Huic autem IV. Idus Julij anno 1645. ætatis ſuæ undequinquageſimum agenti improviſâ morte correpto ſucceſſit Alexius filius ſedecim annorum adoleſcens, altero ſtatim ab illius obitu die ſolertiâ Chyronis ſui coronatus.

Ex quâ familiâ Alexius ortus.

Si concedamus, eò nobiliora eſſe flumina, quò ab occultiori fonte promanant, idemqué de familijs judicium eſſe velimus, quarum originem neſciri antiquitatis indicium ſit, Romanoviam gentem nobiliſſimam eſſe, fateamur, neceſſe eſt. Exquiſivi diutiùs de ejus ſtemmate; ſed in obſcuro verſanti, Moſchovitis cunctis ejus ignorationem cum homine extero affectantibus, nullus unquam paulò illuſtrioris cognitionis radius, ſaltem fulguralis, affulſit. Libenter equidem aſſentior, quòd Theodorus filius Joannis ultimus ex antiquorum Ruſſiæ Ducum per rectam lineam maſculam progenie in ferali lecto Theodorum Mikitowicz Romanovium, tanquam propinquum ſibi proximiorem, & arctiori neceſſitudine junctum, in ſucceſſorem nominaverit: Compertum etenim habeo, Joannem Baſilidem, qui tyranni prædicato ab avo ſuo diſtinguitur, cum Anaſtaſiâ filiâ Georgij ex Zachariâ Romanovio nati primum matrimonium contraxiſſe, atqué ex eâ Joannem, & Theodorum filios ſuſcepiſſe. Anaſtaſiæ verò fratrem fuiſſe Nikitam Præfectum Novogrodienſem patrem Theodori, quem conſobrinus Theodorus ſucceſſorem ſibi deſignavit, quiqué deindè à Moſchoviæ Tzare Hoduno timente, ne regnum, quo dignus habitus fuerat, jure cognationis affectaret, poſt ſublatos violentâ morte germanos Alexandrum, Baſilium, Leonem, & Michaelem in cœnobium Sancti Antonij ad oceanum ſeptentrionalem apud fluvium Syskagum deportatus, invituſqué detonſus, & monaſticam profiteri coactus, Filaretus vocatus fuit. Undè tamen brevi in Metropolitam Roſtovienſem, & Jaroslavienſem conſecratus emerſit: dumqué Moſchorum procerum nomine cum collegis Duce Baſilio Baſilowicz Galiczino, Duce Daniele Juanowicz Miczeskio, & Thomâ Lugoroski à ſecretis legatione apud Regem Poloniæ Sigiſmundum III. Smolenſciam tunc oppugnantem fungeretur, perſuaſurus ei, ut Principem Uladislaum filium in Magnum Moſchoviæ Ducem electum Moſaiſcum ad Moſchoviticæ fidei juxta pacta profeſſionem quantocyus mitteret, ab hoc ſub cuſtodijs indè Kamioncam amandatus, & Marieburgi in Pruſſiâ detentus audijt ad Moſchorum thronum aſſumptum proprium filium ſuum Michaelem, ſub quo ad Ruſſiæ Patriarchatum evectus fuit. At diſſentio ab aſſerentibus, quòd is ex proſapiâ, & agnatione tyranni fuerit, etenim nec ipſe, nec ejus aſcendentes titulo Kneſiorum, ſivè Ducum, unquam gaviſi ſunt, prout cæteri omnes, qui à familiâ Magnorum Ducum Moſchoviæ per agnationis lineam ortum ducunt, adhuc hodiè gaudent, & ad filios ſuos illum tranſmittunt. Sanè ſi Romanovij ſereniſſimo ſtemmate ſplenduiſſent, Moſchi ex innatâ jactantiâ res ſuas ad ſidera uſqué extollere ſoliti non tantùm hoc celare nollent; ſed potiùs vel non percontantibus ultrò ingererent. Hoc certum, quòd ex hâc gente ſolus nunc cum prole ſuâ Alexius Michaelis filius ſuperſit. Niſi opinari libeat, quòd agnatos habeat Swircios de Romanow (oppidum hoc eſt ad Kaminczam fluvium in Ducatu Kyovienſi) & Swiertz in Ruſſiâ rubrâ ab antiquo clariſſimos, quorum Theodorus Palatinus Kyo-

viæ

viæ fuit, plurimiqué deinceps ad hunc usqué diem bellicâ fortitudine excelluere.

Moroso-vius fit Alexij educator.

Hunc pater puerum ad mores, & artes Moscho Rege dignas instituendum commendaverat Bojaro Borisso Juanowicz Morosow, qui tamen in illâ puerilis animi rasâ tabulâ eas haud potuit depingere imagines, quas ipse in idæâ non habebat. Etenim doctrinæ omnis, & eruditionis expertes Moschovitæ unius tantùm ætatis homines sunt. Præterita ignorant penitùs omnia, præter ea, quæ suo tempore acciderunt, & hæc intra solam sphæram Moschovitici Regni, cûm externorum sint supinè incurioſi. Carentes itaqué exemplis, & documentis, quæ sunt politici hominis conspicilia, non adeò longè eorum naturalis prudentiæ lumina prospiciunt. Undè erudire alios ipsi rudes, & providentiæ digito commonstrare ijsdem navigationis vias, portum, & syrtes nequeunt, quas ipsi non vident. Quòd autem scientias exulare à Russiâ suâ tam longâ, & obstinatâ proscriptione Moschovitæ velint, imputandum est primò ipsis Principibus, qui eas cum Licinio tanquam pestem publicam oderunt, verentes, ne subditi cum illis spiritus hauriant libertatis, per quos ad despoticum, quo premuntur, jugum excutiendum insurgant. Spartanorum ad instar eos esse volunt, qui literas ad usum saltem discebant, reliqua omnis disciplina erat, pulchrè parêre, labores perferre, in pugnâ vincere. Quod ultimum vix præstabit plebeius animus, si nimis exacuatâ ex scientijs ingenij acie pericula penetrabit. Secundò adscribendum est Ecclesiasticis, qui cognoscentes eas esse Latino traditas sermone, & non posse admitti nisi cum suis præceptoribus, timent, ne per hanc tam amplam portam, si patefiat, ritus Latinus simul ingrediatur, cujus magistri ipsorum ignorantiam populo deridendam propinent, & dogmatum falsitatem, quibus ejus credulitati illudunt, in apertam protrahant lucem. Et tertiò ætate provectis proceribus, qui junioribus donorum, quæ ipsi consequi neglexerunt, acquisitionem invident, per quam ipsi à possessione, quam injustè præscripserunt, sapientium justè cadant, & à gerendâ republicâ excludantur.

Cur nullæ in Russiâ Scientiæ?

Morosovij artes.

Callidus tamen Principis institutor Morosovius sceptrum adolescentis manibus nimis grave pro libitu tractans consuetâ gratiosorum cautelâ proceres omnes favore defuncti Tzaris in aulâ prævalidos ad lucrosas nobiliorum provinciarum præfecturas speciosò exilio amandavit, substitutis ad aulica munia, qui factio haud dubia ejus essent, cujus beneficio in palatium venissent. Non ex grati affectu animi, hospes enim iste planè ignotus, & peregrinus à Moschovitico pectore numquam admittitur; sed ex cognitione, quòd interſit vitium, inconcussum stare ulmum, cui innituntur. Sic igitur contradictoribus omnibus amotis, ut Alumni sui animum sibi firmiùs devinciret, multiplicare nexus statuens, duarum ei Iliæ Danilowicz Miloslawski nobilis aulici filiarum formâ impensè laudatâ facilè persuasit, ut ex ijs alteram præsumptâ optione duceret. Anno itaqué 1647. cum grandiore natu Mariâ, quæ genio suo blandiùs arriserat, nuptias Alexius celebravit, octiduoqué post Morosovius alteram connubio sibi junxit, factus audaci attentato Domini sui affinis.

Fit Domini sui affinis.

Uxor, & liberi Alexij.

Nec habet Alexius, quòd fœcundiorem uterum in uxore desideret. Etenim, cùm ego Anno 1661. Moschuam venissem, præter filium Alexium, sextam jam susceperat filiam, Tatianam, Eudociam, Annam,

Annam, Catherinam, Mariam, & Sophiam appellatas, quarum tamen postrema jam mortem obierat. Cùmqué ibi degerem, ad VI. Non: Junij ejusdem anni alterum illa filium, cui Theodoro nomen, enixa ejus desiderijs plenè satisfecerat. Etenim Alexius cupidus, ut multiplici fulcro spes perpetuandi per subsidia dominationis in posteritate suâ Moschoviticum Regnum, quod pluribus munimentis insistat, & dandi olim vicino Poloniæ juxta spem sibi à Republicâ injectam ex lumbis suis Regem sustentetur, magno interni doloris sensu afficiebatur, cùm ex utero uxoris toties prægnante masculam expectans prolem, per degeneratum semper in fœminam partum frustratum se expectatione suâ videbat. Undè eidem, quasi conceptus embrionem effingere in matrice, quomodo in pistrino pistrix farinæ massam in diversas panis formas, pro libitu posset, seriò comæ abscissionem, detrusionemqué in monasterium ad exemplum repudiatæ à Basilio Salomeæ intimaverat, nisi jam octavò fœta masculum peperisset. At VII. Id: Junij anno 1662. dum Smolensciæ hæreremus, Theodosiam nonum fœcunditatis suæ testem in lucem emisit.

Morosovius verò patrem se quidem, & pluries vidit, at (Numine fortassis ambitionem in eo dominicæ affinitatis vindicante) prole omni suâ brevi orbum se luxit. Et vix elapso à nuptijs suis anno à concitato ob avarè ab eo, & assecliſ administratam rempublicam populo ad necem expetitus, ægrè ab hoc per exactam à correis pœnam nonnihil emollito enixis Tzaris mortem ejus deprecantis precibus lacrymisque donatus evasit. Deindè à podagricâ passione, & aquâ intercute lecto affixus, ideoqué ab omni ministerio semotus; aurum tamen æqué semper, ac aquam sitiens, tandem, dum ego adhùc Moschuæ essem, à potione decocti telephij à rustico quodam medicastro ei propinatâ voce, motu, omniqué sensu privatus, ægrè post triduum ad mentem suam reversus, post longam in ferali palestrâ cum morte luctam III. Idus Novemb: animam exhalavit, audituram ab Evangelico exprobratore, hæc omnia, quæ parasti; cujus erunt? Et profectò non adeò exigua fuere, ut scriptum ab eo hæredem tam pinguis hæreditatis pœnitere deberet. Etenim post erogatam adhuc eo extremum ducente spiritum ipsius mandato in mendicos, & monasteria maximam signati æris vim, adhuc inæstimabilem argenteorum rublorum, solidorum aureorum, dalerorumqué Joachimicorum summam, nec non & fundos immensos à binis subditorum myriadibus habitatos in eâ nactus fuit.

Morosovij obitus.

Vir est Alexius justâ staturâ quadratus, vultu placidus, cute candidus, genis rubicundus, subflavis comâ, & barbâ decorus, viriumqué corporis firmitate robustus, quam tamen fractura sit per omnia jam membra circumfusa obesitas, si cum crescente ejus ætate, quæ hodiè trigesimum sextum haud excedit annum, per consueta abdominis augmenta ipsa quoqué crescat.

Alexij corporis.

Animum verò tam præclaris dotibus à naturâ efformatum sortitus est, ut dolendum sit, quòd liberales disciplinæ ad poliendum ab eâdem primo scalpro ruditer effictam statuam haud concurrerint. Mansuetus, & clemens, quiquè magis peccari nollet, quàm animum ad vindicanda peccata habeat. Propensioni autem suæ si relinquatur, pacificus est. Religionis erroneæ suæ placitis obsequentissimus totâ animâ pietatem colit. In templis frequens multâ cordis devotione

Et animi forma.

sacris interest officijs, & haud rarò in conticinio Davidis ad instar cubile deferens humi prostratus preces vel placando, vel invocando, vel laudando Numini usqué ad matutina crepuscula continuat. Quodqué mirere, in summâ potestate inter gentes totam à dominis suis servitutem pati assuetas nullius facultatibus, nullius vitæ, nullius honori unquam insidiatus est. Etenim quamvis ab irâ, ut omnes delicati sensûs heroes, aliquandò abripiatur; ultra pugnos tamen, & calces numquam se finit asportari.

Ejusdem titulus.

Titulus, quo tempore legationis nostræ utebatur, talis erat. Dominus Tzar, & Magnus Dux Alexius Mihalowicz totius Magnæ, Parvæ, & Albæ Russiæ autocrator. Moschoviæ, Kyoniæ, Volodimiriæ, Novogardiæ, Tzar Casani, Tzar Astracani, Tzar Sibiriæ, Dominus Plescoviæ, & Magnus Dux Lituaniæ, Smolenſciæ, Tuveriæ, Voliniæ, Podoliæ, Jugoriæ, Permiæ, Viatkæ, Bolgariæ, &c. Dominus & Magnus Dux Novogardiæ inferioris, Czernichoviæ, Rezaniæ, Polociæ, Rosthoviæ, Jaroslaviæ, Bielosteræ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, Vitepsciæ, Mistislaviæ, omniumqué septentrionalium regionum Dominator. Dominus Jueriæ, & Tzarûm Cartaliniæ, ac Grusiniæ, & Cabardiniæ regionis, nec non & Principum Circassorum, & Montanorum, ac quam plurimorum aliorum Orientalium, Occidentalium, & Aquilonarium Dominiorum, & Regionum per longam atavorum seriem legitimus hæres, Dominus, & Dominator.

Magnus sanè titulus; sed cui Moschovitico more inania, non vera, caduca admiscentur.

Quâ ratione vocetur Dominus.

Dominus sinè dubio est, imperat enim omnibus pro more antiquo despoticè. Ejus voluntas lex est cunctis subditis inappellabilis. Ille in omnes, uti Dominus in servos, habet jus pro arbitrio vitæ, & necis. Si ab eo vapulent, si ejus mandato virgis, aut flagris cædantur, ei gratias agunt. Facultatum suarum non se dominos vocant, sed Deum & Tzarem. Pauperes ad templorum limina, vel in compitis mendicantes eleemosynam sibi erogari obsecrant pro amore DEI & Tzaris. Si quis de re aliquâ sibi incompertâ interrogetur, respondet illicò, hoc me latet; soli DEUS, & Tzar norunt. Breviter: omnes de eo tanquam de Numine loquuntur, multi sentiunt. Libellos supplices, quos ei porrigunt, omnes indifferenter subsignant nomine ad diminutivum humiliato, ita ut, si quis Stephanus vocetur, Stephanulus subscribat. Patriarcha autem, ceteriqué ex clero, ac sanctimoniales addunt Boghomoletz tuoi, vel Boghomolitza tuoia, tuus, vel tua apud Deum precator, vel precatrix. Senatores, cunctiqué nobiles, & exteræ nationis militares viri, Chlop tuoi, mancipium tuum. Mercatores primæ classis, quos Gosti vocant, Musick tuoi, subditus tuus. Inferioris, & peregrini, Szirota tuoia, Orphanus tuus. Fœminæ nobiles, Rabitza tuoia, servula tua. Rustici, Cherstiani tuoi, Christianus tuus. Famuli Senatorum Czeloweck tuoi, Homo tuus. Detur tamen suus veritati locus. Cùm heri potiùs in servos, quàm patris familias in liberos Moschorum Principum imperium sit, subditi, qui patrem in Tzare suo non agnoscunt, nequé filios erga eum se exhibent. Metus itaqué ijsdem obedientiam, non filialis reverentia exprimit. Quapropter altero absente, vel remittente, reluctatur altera, & recalcitrat, & quamvis immitis dominus in eorum terga vulgatis etiam cum proceribus flagris sæviat, nihilominùs canum ad instar excusso

cusso post verbera dorso, si flagellum tortor amoverit, refractarij esse pergunt, parati animo iterum corpus servili patientiâ flagris subijcere. Turcos, qui similiter in virgâ ferreâ reguntur, vidi ego longè alacriori promptitudine Imperatori suo obtemperantes. Crediderim, quòd obstinata, & contumax Sclavorum natura à turbulentis epoti quotidie vini adusti vaporibus concitata Moschos calcitrosos reddat. Et è contra, quòd in Turcorum minùs ferâ gente, & ex lege abstemiâ ratio sui compos magis se exferat ad ipsis consulendum, ut hilariter dent, quod vel invitis extorqueretur.

De Titulo Tzaris.

Tzaris titulum Basilius Joannis filius, & alterius parens primus, uti scribit Herbersteinius, assumpsit. Cui adstipulatus est ejusdem Basilij filius Juanus, dum anno 1552. Sigismundi Augusti Regis Poloniæ legatis dixit, à summo Pontifice Clemente, Romanoqué Imperatore Maximiliano parenti suo tributum fuisse. Cùmqué supremus sacrorum in Moschoviâ Antistes alijs ejusdem Regis legatis biennio post literas ejusdem Maximiliani, & Solymanni Turcorum tyranni, quibus Basilium Basilides hoc titulo dignati fuerant, ostendisse dicatur, errare videntur ij, qui postquam hæc omnia sinè contradictione narrarunt, asserunt, hunc titulum ab Juano post debellatos Casanenses primùm usurpari cœptum.

De hoc vocabulo monuerunt jamdiu tam ipse Herbersteinius, quàm Gaguinus, nuperqué Olearius linguarum interpretes, ut ab errore consuetæ translationis respiscerent, perspicuè demonstrantes, quòd Russico idiomate Tzar non Imperatorem, ut ipsi vertere solent, sed Regem significet, dum ipsi Moschovitæ à sacrâ paginâ Sclavonicâ linguâ loquente, Regibusq; semper Tzaris nomen tribuente edocti, cùm de Romanorum Imperatore & Domino suo unico orationis contextu loquuntur, hunc Tzarem, illum Cæsarem, ut ego pluries audij, notabili differentiâ appellent. Ipseq; Magnus Dux se non Russorum, non Moschorum Tzarem; sed vel indistinctè Tzarem, vel distinctè Tzarem Casani, Tzarem Astracani, Tzarem Sibiriæ vocet, quæ certè nullo modo Imperia nec Regna (Sibiriâ exceptâ) vocari merentur, cùm præter urbes, undè denominantur, vix aliquot in jurisdictione suâ oppidula numerent. Interpretum tamen aliquot amicâ monitione posthabitâ vocabulorum voluntariè falsi inversores puniendâ Imperatorij nominis dejectione in incœpto pervicaciter pergunt. Si in exteras gentes tanto studio feruntur, ut eas ornare ampullosis titulis velint, & nomen Tzareum propter affinitatem soni cum Cæsareo aliquid supra Regium augustius spirare credunt, Principes earum Tzares dicant, non Imperatores. Sic in falsi crimen non impingent, & adulationi suæ facient satis. Optarem tamen, ut semel Cartaliniæ, & Grussiniæ Regulorum, quos noster Tzar in suis titulis Tzares appellat, personas, & ditiones oculis usurparent, persuasus etenim vivo, quòd videntibus intra montuosos Georgiæ fines tot Tzares Moschis, vel Persis, vel Turcis tributarios longé ab omni principali splendore vitam multarum rerum indigam vivere, Tzaris nomen vilescеret adeò, ut illud in Imperatorium vertere imposterum erubescerent.

Tzar. Regem significat ipsi h. dicunt Tzar David Tzar Salomon. Tzar. Herodes.

Magni Ducis titulus.

Magni Ducis titulum Volodimirus Suatoslai filius nothus prior usurpavit, & ad posteros transmisit.

De nomine Alexij.

Alexius nomen est inter mihi compertos à Ruricho descendentes in Russiâ Dominos inusitatum, ac planè peregrinum. Adorant Moscho-

Moſchovitæ Alexium Metropolitam Kyovienſem Joannis Danilowicz Moſchorum Principis tempore natum, circa annum 1364. conſecratum, & quarto decimo poſt anno regnante in Ruſſiâ Joanne Juanowicz vitâ functum, cujus anniverſarium diem III. Kal. Octobris, corporis verò Moſchuam translationem XIII. Idus Maij perquam ſolenniter celebrant. Conſuluit iſte popularibus ſuis, ut poſthabito contra Tartaros Crimenſes bello pacem potiùs ab ijs certâ aliquâ annuâ penſione redimerent. Conſilijqué ſui executor ab horum Chamo Berdegereio pacem Ruſſis ſuis emit.

Cur dicatur Mihalowicz.

Mihalowicz eſt nomen paternum juxta ſuperiùs indicatum Moſchovitarum morem proprio additum.

Ruſſiæ extenſio.

Ruſſiæ nomen latiſſimé patet, comprehendit enim quicquid à montibus Sarmaticis, & fluvio Tyrâ, incolis Niſtro, per utramqué Volyniam ad Boriſthenem, & Polocenſem agrum aſcendendo Poloniæ minori, antiquæ Lituaniæ, Livoniæqué conterminum uſqué ad Finnicum ſinum protenditur, & quicquid indè à Carelijs, & Lapponibus, Oceanoqué ſeptentrionali longo finitimæ Scythiæ tractu ad Tartaros Nagaienſes, Volgacenſes, & Præcopenſes excurrit. Sub magnæ autem appellatione comprehendunt Moſchovitæ tractum illum, qui intra Livoniæ, albi maris, Tartarorum, & Boriſthenis limites continetur, & ſub nomine Moſchoviæ vulgò venit. Sub parvæ Bratislavienſem, Podolienſem, Halicienſem, Sanocenſem, Præmislienſem, Leopolienſem, Belzenſem cum Chelmenſi, Volynienſem, & Kyovienſem inter Scytharum deſerta, Boryſthenem, Pripetium, & Veprum fluvios, Poloniam minorem, & juga Carpathia ditiones. Sub albæ verò inter Pripetij, Boryſthenis, & Dunæ fluenta Novogrodekum, Minſcum, Micislaviam, Smolenſciam, Vitepſciam, & Polociam cum ſuis ditionibus. Quæ omnia Ruſſorum quidem juris olim fuêre; ſed per bellorum caſus Polonorum, & Lituanorum fortunæ, & fortitudini varijs deindè temporibus ceſſerunt.

Primus, qui ſe totius Ruſſiæ Monarcham ſcripſit, Magnus ille Joannes Baſilij cœci filius in literis ſuis ad Alexandrum Lituaniæ Magnum Ducem anno 1492. datis fuit, qui excuſſo Tartarico duorum cum dimidio ſeculorum jugo, ſuoqué Magnæ Novogardiæ impoſito, ac ejectis ex avitis ditionibus quamplurimis ex agnatis Ducibus majorem Ruſſiæ partem ſub imperio ſuo conjunxit. Hunc titulum ſucceſſores poſtmodum uſurparunt ſemper, & precisé ejus nepos Juanus in literis ſuis ad Senatum Poloniæ anno 1572. poſt mortem Sigiſmundi Auguſti. Verùm diſtinctè magnæ, parvæ, & albæ autocratorem, ſivè conſervatorem, præter Alexium, nemo.

Moſchovia.

Quòd Moſchoviâ inter titulos præmittatur, non antiquitati, ſed dignitati tribuendum venit. Poſtquàm enim Daniel Alexandrowicz duodecimus juxta eos, quibus ego ſum uſus, Moſchorum annales à Ruricho per rectam dominantium lineam ſucceſſor Ducalem ſedem è Volodimiri urbe Moſchuam commodiſſimo conſilio tranſportaſſet, ibi ſemper fixa permanſit, majoribus in dies ornamentis auguſtior reddita. Imò & ipſa urbs nomen à fluviolo per ſinum ſuum â Tuverenſi regione decurrente mutuatum univerſæ Ruſſiæ, cunctiſqué populis eam incolentibus tanto applauſu communicavit, ut ea multis ab hinc retrò luſtris Moſchovia, hi verò Moſchovitæ communi in orbe vocabulo vulgò appellentur. Ipſi tamen priſco nomine, ſivè à Ruſſo fratre,

fratre, aut nepote Lechi Polonorum Ducis primi: ſivè à vetuſtiſſimo oppido Ruſs ſexaginta à Novogardiâ magnâ verſtis poſito: ſivè à capillorum ſubflavo colore, qui Sclavonico idiomate Ruſs dicitur: ſivè à populis Roxolanis: ſive ab antiquo vocabulo Roſſcia, diſperſionem, vel diſſeminationem indicante, aſſumpto, novi vel ignari, vel contemptores, Ruſſos ſe ſemper appellant. Provincia quidem Moſchoviæ ſub intemperie aëris frigus, & æſtum per exceſſum haud rarò alternantis agrum propter viciſſitudines nimiæ ſiccitatis, & humiditatis in arenoſo ſuo ſolo facilè ſegetes enecantis haud fertilem, & fines non adeò amplos habet; ſed, quòd nulla intrà eos vivat, præter lepores, fera, nulla mellificet apis, pace eorum, qui hoc ſcripſerunt, haud concedam. Quicquid enim olim fuerit, nunc ſanè & vulpibus, & lupis, & urſis, apibuſqué & melle abundat. Fabulas autem illas de animantibus propter frigus in eâ minimè cornutis, ac de equabus ſterilibus contrarius cum alijs pluribus de viſu teſtis explodo. Sed nec admittenda eſt illorum aſſertio, qui regionis illius Cœlum adeò ſalubre eſſe ſcripſerunt, ut nullo unquam ad clavum contra peſtem figendum dictatore, prout olim ſæpiùs Roma, opus habuerit, cùm nulla ibi unquam ſævierit. Quia ab annalibus Moſchorum refellitur tradentibus, quòd anno 6930. Chriſti 1421. dominante Baſilio Demetrowicz, & ſexto deinceps elapſo ſub ejuſdem liberi Baſilij primordijs peſtilentia eam tam graviter afflixerit, ut exindè, quaſi univerſa Ruſſorum naturalis conſtitutio debilitata fuerit, eorum pauciſſimi ſeculare vivant annum, ad quem tamen antea plurimi multos inſuper addere vivendo ſoliti fuiſſent. Anno autem 7109. Chriſti 1600. & per biennium ſubſecutum Boriſſo Hoduno principante graſſantis in Ruſſiâ peſtis tanta fuit Moſchuæ ſævitia, ut inquilinis ferè omnibus eam exhaurierit. Annoquè 1654. & ſequenti imperante præſenti Alexio ab eâdem lue ſeptingentis utriuſqué ſexûs millibus aſſumptis eam tantùm non evacuaverit. Urbs Moſchua ampliſſima olim, & populoſiſſima fuit; ſed multoties fortuita paſſa incendia, & anno Mundi 7079. Chriſti 1570. die 24. Maij à Tartaris Præcopenſibus, atqué anno 1611. à Polonis omninò exuſta, nunc intra anguſtiorem undeviginti verſtarum ambitum à longè minori, eoqué majorem partem Lituano, & Polono in captivitatem abducto, incolitur habitatore. Imò cùm ſingulæ in eâ ædes, ut à quamplurimis ante me obſervatum fuit, ſpatioſas areas, & atria comprehendant, multiſqué earum adjaceant horti, & pomaria: Cùmque præter plura identidem interjacentia haud exigua prata, innumera (ferè dixerim) templa, & ſacella ijs ſint intermixta, eam non continet populi multitudinem, quam nonulli amplitudinis ejus ſpecie decepti ſunt opinati. Arcem habet, cui Kremelinæ nomen, Magnorum Ducum ſedem mediocri urbe haud minorem, muro â Joanne exoculati Baſilij filio primùm circumdatam, & jam per meliora augmenta additâ foſsâ longè munitiorem. Tanta autem Moſchuæ eſt rerum omnium ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, & luxum, & quidem honeſto parabilium pretio, affluentia, ut nullæ orbis plagæ aut clementius cœlum, aut fœcundiorem agrum, aut ditiora terræ viſcera, aut induſtrioſiores hominum genios debeat invidere. Licèt enim à quocumqué mari quàm longiſſimè abſit, multorum tamen beneficio fluminum cum remotiſſimis provincijs opulentiſſimo commercio communicat.

De urbe Moſchovâ.

Kyovia. Kyoviam manuſcripti Ruſſorum annales aſſerunt urbem eſſe poſt magnam Novogardiam in Ruſſiâ universâ ceteris omnibus antiquiorem. Narrant enim, quòd Kyeu, Iſſock, & Koriw fratres ex Poloniâ egreſſi in monte ad dextram Borijſthenis oram conſederint. Kyeu in ipſo vertice, Iſſock in eâ parte, quæ ab eo Sokowica vocata fuit, & Koriw in alterâ, cui indè Korowicæ nomen. Cùmque eos electionis minimè pœniteret, urbem condiderint à majore natu ſinè augurio, ſinè fratricidio, ſolâ ætatis verecundiâ operante, Kyoviam denominatam. Hanc Olechus Rurichi ſobrinus, ejuſque filij Igoris tutor infeſto exercitu, antiquas ejus in Novogrodienſes injurias ulturus, aggreſſus, ſecundâ uſus fortunâ occupavit, conſtituitque totius Ruſſiæ metropolim. Quâ tamen prærogativâ nothus Volodimirus Igoris nepos eam privavit, dum Voldomiriam urbem à ſe ad Cleſmam amnem conditam eâ donavit. Ejus filius Jaroslaus, poſtquam à Boleslao Chobri Poloniæ Duce anno 1009. acie victus eam exuli, & exuto fratri ſuo Suatopolcho reſtituere adactus fuiſſet, per impium hujus fratricidium ejuſdem poſſeſſionem denuò arripiens, quamvis ab eodem Boleslao ingenti ad Bugum prælio decimo poſt anno ſuperatus eidem ſe tributarium feciſſet, eam ampliatam vallo circumdedit. Et nihilominùs anno 1070. Polonus Boleslaus audax devicto ejus Duce Sevoldo eam ad deditionem coegit, Iſaslao in eâ regnare juſſo. At malo ſuo fato, renovato enim Hannibalis apud Capuam ſucceſſu urbis delicijs, & voluptatibus ipſe, & exercitus corrupti, & enervati pœnitendam ſibi victoriam ſuam reddiderunt. Qui verò ſub Poloniæ obſequio deinceps in Ducatu ſucceſſerunt, mutuis ſeſe inſidijs invicem appetentes alternâ extruſione à Ducali ſe exturbare ſolio numquam ceſſarunt, donec Roſtislao Miſtislai filio eidem incubante Batus Tartarorum Rex anno à Mundo creato 6748. à redempto verò 1239. in Ruſſiam torrentis ad inſtar impetum faciens urbem Kyoviam funditùs deletam ſolo æquaret. Sedato deinceps aliquomodo ſævæ hujus procellæ impetu Ruſſi locum conſentientibus Scythis Bati ſucceſſoribus ſub tributo rursùs incoluerunt. Gediminus verò Magnus Dux Lituaniæ anno 1320. devicto ingenti pugnâ, qui rerum ibi tunc potiebatur, Stanislao, eoque exturbato, urbem, totamque ad Czerkaſſios uſquè ditionem adeptus, Ducatum illum in provinciam redegit, quam Mindopho Holſano Duci adminiſtrandam commiſit. Anno 1390. cùm Volodimirus Olgerdi Magni Ducis Lituaniæ primogenitus Ducatum hunc poſſideret, eum decreto fratris Jagellonis jam tunc Poloniæ Regis communi fratri Caſimiro Skirgelloni cedere damnatus. & acquieſcere detrectans, anno 1395. à Vitoldo triennio ante Magno Lituaniæ Duce renunciato armis expulſus cum filio ſuo Olelkone, ſivè Alexandro, fuit, & Skirgellone haud diù poſt monachi cujuſdam ſcelere per venenatam potionem ſublato idem Vitoldus ex Ducatu provinciam iterum fecit, & Joannis Algimundi Ducis Holſanenſis adminiſtrationi conceſſit: Anno autem 1416. dum Jagello nuptias cum Eliſabethâ Pilecîâ Sanoci celebraret, Ediga Tamerlanis Præfectus innumerabili Tartarorum exercitu urbem Kyoviam obruens eam fœdè adeò vaſtavit, ut numquam ampliùs priſtinum ſuum ſplendorem recuperaverit. Novis nihilominùs apud fluvium in radice montis excitatis ædibus tertiò reparata proprios habuit Principes. Etenim anno 1421. Andreæ Juanowicz Druki Ducis Kyovienſis filia Zonca, poſtea

ſtea Sophia dicta, Jagelloni nupſit. Anno 1435. Joannes Volodimiricz Kyovienſis à Michaële Sigiſmundi Magni Ducis Lituaniæ filio in pugnâ captus, ab hoc occiſus ſcribitur. Cumque ſeptennio elapſo idem Michaël eam Alexandro Duce exacto occupaſſet, à Caſimiro Jagellonide Poloniæ Rege ejectus malè partam juſto poſſeſſori reddere invitus debuit. Quo anno 1455. mortuo idem Caſimirus eam filijs ejus Simoni & Michaëli ademit; ſed ita, ut eam ſoli Simoni cum toto Ducatu fiduciario jure permitteret. Et anno 1471. licèt is moriens filium Baſilium reliquiſſet, expuncto Ducis titulo provinciam tertiò fecit Martino Gaſtoldo commiſſam. Ita magnus ille Ducatus, quem cuncti Ruſſiæ Duces ſuſpicere conſueverant, amplumque terrarum ſpatium in parvâ Ruſſiâ ambibat, in Palatinatum degeneravit. In hoc Coſacorum ortus, agreſtis olim circa Kyoviam gentis, quæ in Borijſthenis deſerta dulcedine prædæ ex Tartaris cum liberis, armentiſque ibidem vagari conſuetis agendæ illecta tranſmigravit, ac deinde plurium concurſu nobilium, vel exulum, vel prædonum aucta Sigiſmundi Regis ſenioris ævo clareſcere incipiens, meruit poſtea à Stephano Bathoreo urbe Trethymiroviâ quinquaginta infra paſſuum millibus donari. Undè felici audaciâ Tartaros undiquè ſubmovens Boryſthenis inſulas occupavit, præcipuamque earum Tomakowkam ſemper retinuit ferocioribus eam inſidentibus, & multitudine, quæ in dies creſcit, per diffuſa in Volyniam uſquè oppida latè diſpersâ. Apud has inſulas Boryſthenes inter aſpera, deruptaque rupium ſæpiùs ex alto dejectus cataractarum, Polonis Porohi dictarum, quas ſuperavit, nomen Coſacis relinquit, ita ut cùm, quod ultra eſt Za Porohi dicatur, ij etiam Zaporovienſes denominentur. Vocantur tamen etiam aliquando Niſovienſes, ſumpto ex depreſſiore illâ terrâ, & ulteriore Volyniâ, quas inhabitant, & promiſcuo nomine Nis appellant, vocabulo. Gens hæc, dum injurias ſuas contra dominos nimis impotenter in ſua terga ſævientes ulciſcitur: Dum Ducum ſuorum Juani Podkowæ à Stephano Rege Leopoli, Pauluki ab Uladislao IV. Varſaviæ violatâ utrobiquè fide publicâ capitis ſupplicio affectorum indignam mortem: Dum Bogdano Chmielnicio contumeliam in uxore, & filio à Czaplinſcio magni Coronæ vexilliferi Koniespolſcij vices gerente irrogatam vindicat, Poloniam ſtrenuâ conſtantiâ, & ſelicibus armis adegit, ut in ſui favorem vindicias ſecundùm libertatem daret. Cùm nothus Volodimirus Kyoviæ Dux Chriſtianæ militiæ nomen dare decreviſſet, & Baſilium Imperatorem Conſtantinopolitanum in ſucceſſorem de ſacro fonte ſibi elegiſſet, Nicolaus Chryſobergus Conſtantinopolitanus Patriarcha Michaelem, ut jam dixi, natione Græcum metropolitam Kyoviæ conſtituit, ut eum, ejuſque ſubditos ſacris undis ablueret. Exindè alius poſt alium plures in Metropoliâ ſucceſſere, nunc ex unitis, nunc ex ſchiſmaticis, prout dominantium zelus hinc, aut illinc efferveſcebat. Hos inter eminuerunt, conſecratus circa annum 1374. Alexius Ruſſus, de quo (ſi famæ rerum ſtandum eſt) fertur, quòd ob ſuam celebrem ſanctitatem ab Amurathe Turco evocatus ejus filiæ cœcæ viſum à DEO precibus ſuis impetrarit: Iſidorus Bulgarus, qui Concilio Tridentino interfuit, unioni ſubſcripſit, & promotus in Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, renunciatuſque Legatus à latere ſummi Pontificis, anno 1440. unionem per Ruſſicas ditiones promulgavit: Et Jonas Moſchus ſchiſmaticus circa annum 1520.

De Coſacis.

qui

qui apud ſchiſmaticos ſuos ſanctitatis opinione ſupra omnes effertur. Poſtquam verò Uladislaus IV. Coſacis indulſit, ut ſchiſmaticum Metropolitam à Conſtantinopolitano Patriarchâ electum unito ejecto Kyoviam introducerent, is Vilnæ meliora tempora à Dei benignitate expectat. Viſuntur ibi in Monaſterio Pieczerſcenſi ſubterraneæ cryptæ, quas aſceta Antonius illò ex monte Atho profectus ſub Iſaslao Magno Duce fodere cœpit. Plura in ijs jacent integra adhuc corpora, quæ Ruſſi pro ſanctis venerantur, nulla tamen Eccleſiæ Romanæ, ſed nec Græcæ, approbatione. Inter hæc unum Divæ Barbaræ martyris eſſe priſcâ freti traditione Kyovienſes aſſerunt.

Volodimiriæ Ducatus.

Volodimiriæ inter Occam, & Volgam Ducatus uberrimâ glebâ, urbequé agnomine commendatur. Hanc nothus Volodimirus, poſt baptiſmum Baſilius, apud fluvium Cleſmam, qui ſexaginta inde verſtis navium patiens Occæ conjungitur, ædificavit, & ligneo caſtro munitam Magnorum Ruſſiæ Ducum ſedem eſſe, relictâ Kyoviâ, voluit. Sed ejus atnepotis pronepos Daniel decreto tandem interceſſit, Moſchuam eidem urbem ſubſtituens. Illa autem à Tartaris ſub Bato Rege vaſtata magnitudinis ſuæ miſera inditia ſola nunc magna rudera oſtendit. Adjacet huic Ducatui Muromenſis Principatus, à Jaroslai Magni Ruſſorum Ducis per filium Suatoslaum deſcendentibus olim hæreditario jure poſſeſſus; ſed nunc dirutâ urbis ſuæ à Tartaris, & Ruſſis promiſcuè habitatæ arce Moſchoviticum cum reliquâ Ruſſiâ ſceptrum adorans. Ab hâc per Occam aſcendendo oppidum Caſſimogrodia aſſurgit, à Tzare Hoduno Tartaro Regulo fiduciario jure conceſſum, quod ejus filius nuper apud Moſchos ſacro tinctus lavacro poſſidet, & tantulus dynaſta auguſto Tzaris prædicato appellatur. Eant nunc adulatores gnatones, & ſi placet, etiam hunc Imperatorem vocent.

Novogardiæ Magnæ Ducatus.

Novogardiæ Magnæ Ducatus Rurichi quondam portio verè magnus olim fuit, quippe qui ad Livoniam, Finlandiam, Sueciam, & Norvegiam uſquè excurreret. Nomen habet ab amplâ ſuâ metropoli, omnium in Ruſſiâ urbium juxta annalium aſſertionem antiquiſſimâ, à Slavis Danubianis eò commigratis bis mille paſſibus à lacu Ilmenio, qui Cheſinum fluvium, Ruſſis Lowat, exceptum, navigabilem deindè, & piſcoſiſſimum; ſed mutato in Wolkow nomine, è ſinu ſuo ad eam interluendam emittit, ædificatâ. Hanc Alexander Vitoldus Magnus Dux Lituaniæ anno 1414. diùſoppugnatam ad annuum ſibi tributum pendendum, præfectoſqué à ſe accipiendum adegit; Simone Algimundo Holſano Duce ex tunc eidem impoſito. Cùmqué quartodecimo poſt anno recalcitraret, contumacem ad obſequium denuò reduxit, in quo florentiſſima perſeveravit, uſquè dum Moſchorum Dux verè Magnus Joannes Baſilij cœci filius eam ſeptennali Marte ſubactam Caſimiro III. Polonorum Regi, & Magno Lituaniæ Duci anno 1477. eriperet, & omnis in eam juris abdicationem ſucceſſori Alexandro genero ſuo anno poſtmodum 1493. exprimeret. At anno 1611. patuit, quòd magnæ moles, ſi ſemel ruerint, vel à proprio oppreſſæ pondere, reſurgere deinceps nequeant. Etenim Jacobus de la Garde copiarum auxiliarium à Carolo IX. Sueco in Ruſſiam contra nepotis Sigiſmundi III. Poloniæ Regis conatus ſubmiſſarum ductor Moſchorum fallacijs irritatus eam per unicam ſtrenui aſſultus impreſſionem ab exiguâ ſuâ quinque

quinque millium bellatorum manu factam vi expugnavit. Sedes eſt Metropolitæ inter Ruſſicos primarij.

Juanogrodia.

Ejus ditionis fuêre arx Juanogrodia, ab eodem Joanne, & non, ut aliqui autumant, à Tyranno ejuſdem nepote, ad fluvium Nervam anno 1495. ex ſecto lapide exſtructa. Jamma, Coporium, & Oreſchakum, ſivè Noteburgum in Ingriâ, quæ omnia vel ab ipſo Carolo, vel ab ejus filio Guſtavo Adolpho Martis violentiâ Moſchis erepta, cum Kexholmiâ in Careliâ, eidem Carolo à Baſilio Suiſco ob ſubmiſſa ſibi ab illo contra Polonos auxilia dono datâ, per pacificam inter eundem Guſtavum Adolphum, & Michaëlem Fedorowicz Magnum Moſchoviæ Ducem anno 1617. Stolbovienſem tranſactionem, à puero Sueciæ Rege Carolo XI. & Tzare Alexio Mihalowicz anno 1661. & ſequenti confirmatam, in Suecorum dominium ſtabilito per novum titulum armorum jure tranſierunt.

Jamma

Coporium.

Noteburgum.

Volochda.

Fuit & Volochda provincia, à flumine eam interluente nomen ſortita, difficillimi ob crebras paludes, & denſas ſylvas acceſsûs, ideoqué tutiſſimam in metropoli ſuâ ad Suchanam fluvium à firmiſſimæ munitionis caſtro protectâ Principibus ſuis reconditi theſauri cuſtodiam promittens, & Archiepiſcopo ceteris prælato ſedem præbens.

Uſtiuga.

Fuit Uſtiuga, ab oſtio Jugæ fluminis denominata, ubi caſtrum cum Oppido Uſtiugâ nunc paulò ſuperiùs reædificatum olim aſſurgebat.

Duina provincia.

Et tandem Duina fuit, ampla cum Colmogoriâ, & Vagæ fluminis populoſo tractu provincia, quæ propter agri ſterilitatem haud multos olim incolas recenſens, nunc ob commoditatem celeberrimi ſui Michaëlis Archangeli emporij habitatoribus æquè, ac mercimonijs floret. Nomen habet à fluvio Duinâ, qui eam interluit, & ſuum à Suchanæ, & Jugæ confluxu derivat, cùm vox Duina Ruſſico idiomate duo exprimat. Oritur Suchana ex lacu Koinski ditionis Volochdienſis, flumenqué Volochdam quadraginta infra hujus nominis urbem paſſuum millia influens ejus nomen ſuffocat, & alienis opibus locuples malè partas divitias patrimonio ſuo permixtas tanquam proprias ultra quinquies centena millia paſſuum, oppida Suchkum, Totmam, Browſenskum, Bobroweskum, & Strelnam poſt ſe relinquendo, alioſqué vulgares amnes excipiendo, orientem versùs deducit. Vix tamen Uſtiugam Oppidum præterfluxit, cùm in Jugam ex adverſo fluentem incidens talionis pœnâ mulctatur. Etenim confuſis inter ſe undis nomen ambo amittunt, ita ut ex binis fluvijs jam unus Duinæ nomine indigitatus rectâ Septemtriones versùs ſe evolvat, auctuſqué ex itinere copioſiſſimis Permianæ, Witzogdæ, Vagæ, & Pinegi humoribus quinquies centenis per frequentes in utrâqué ripâ populoſos pagos, perqué oppida Duinam, Jempſam, Colmogoriam, & Michaëlis Archangeli fanum verſtis emenſis unius ſemper Domini ſubditus ſinum ſubeat Granuicum. Vacuo tamen vix unquam dorſo, etenim crebrâ gravatus vecturâ nunc elaborata bovum, nunc elaboranda alcium tergora, nunc cannabim, nunc reſinam, nunc lini ſemina, nunc ſevum, nunc ceram, nunc confectum apud Volgam ex belluginæ, accipenſeris, aliorumqué piſcium ovis icarij, nunc tiliæ, fraxini, ulmi, & ſalicis ad fullonicam, & ſaponariam artem cluvellatos cineres, & nunc urſorum, vulpium, luporum, lyncium, aſpreolorum, muſtelarum alpinarum, ſylveſtrium, & ſcythicarum, aliorumqué animalium

Duina fluvius.

malium pelles Batavis, & Anglis eò quotannis ſtato æſtatis tempore navigantibus defert. Qui ijs omnibus cum lapide ſpeculari ex rupibus ad ejus ripam exciſo, & oleo ex phocarum aruinâ cocto, vel ex præcedenti permutationis compacto, vel præſenti emptionis conventione receptis, Moſchis viciſſim tradunt allata ex Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Britanniâ, Belgio, & Orientalibus plagis omnis generis aromata, zacharum, crocum, ſale conditos haleces, malvaticum, Hiſpanicum, & Gallicum ex mediterraneo, & Oceano vinum: uniuſcujuſqué coloris, & generis pannos: Batavica lintea, ſpecula, cultellos, enſes, fiſtulas, tormenta manualia & muralia: æs, plumbum, ſtannum; telas ſericeas, raſas, holoſericas, ſcutulatas, undulatas, auro, argenteoqué intextas: tibialia lanea, xilina, ſericea: aurum in fila deductum: margaritas, uniones, adamantes, pyropos, ſmaragdos, ſaphyros, chryſolitos, ametyſtos, topatyos: auri tandem, argentiq; ſignati vim maximam. Quæ omnia adverſo flumine Volochdam usq; delata trahis tandem per hyemales nives octidui itinere Moſchuam invehuntur.

Caſanum. Caſanenſe Tartarorum olim Regnum nomen duxit ab urbe ſuâ metropoli, hæcqué à fluvio Kaſanskâ, à quo flexuoſo ambitur ſinu. Conditores habuit Præcopenſes ex Tauricâ fugitivos Baſilio Baſilowicz in Magnâ Ruſſiâ imperitante. Eam Baſilius Juanowicz adegit, ut Reges à ſe acciperet. Rebellem deindè ingenti belli mole preſſit, ſed non oppreſſit. At anno 7061. Chriſti 1552. ejus filius Joannes eam poſt ſemeſtrem obſidionem vi expugnatam Moſchorum ſceptro ſuperbas unâ cum Ceremiſſis ſuis ſubmittere cervices coegit. Cui tamen, quaſi injuriam compenſaturus, vicinam Bulgariam ſibi, quòd parère indocilis ſubindè rebellaret, exoſam, ut jugum ferre doceret, poſtmodum ſubdidit, eamqué Metropolitâ, qui in ipsâ reſideat, conſtituto decoravit.

Aſtracanum. Aſtracanenſe Regnum aduenas Volgæ aquas lato alveo excipiens, & in mare Caſpium per plura divortia deducens Tartarorum ex Nagaienſi cœtu per longam Regum ſeriem vetus patrimonium fuit, quod ab ijs Joannes Baſilides cum urbe Aſtracano celeberrimo totius regionis ad lævam Volgæ ripam ſexaginta ab Hircano mari paſſuum millibus emporio anno 1554. Kal. Auguſti per vim extorſit, Tartariſqué omnibus ab urbe ejectis eam lapideo priùs muro muniens Ruſſico dumtaxat habitatore implevit, & Archiepiſcopali ſede honoravit. Affluit optimo ex lacubus ſale, ex Volgâ piſcibus, ex juncis, & virgultis avibus, ſolumqué habet non fructuum dumtaxat; ſed etiam vini haud inſuavis ferax, quod in Moſchoviam, tanquam ſinè ullâ mixturâ ſincerum, ad ſanorum in ſacrificijs uſum emittit.

Sibiria. Sibiria à ſeniore priùs Joanne Baſilide tributaria facta, & deindè à juniore ſubacta ampliſſima regio eſt, miſero innocentium æquè ac nocentium relegatorum exilio infamis, quæ finitimos Tartarorum Duces ſingulatim carpendo, ſibiqué in dies vectigales faciendo, erraticos limites ſuos populabundis hùc illùc excurſionibus ad Imaum uſqué (ſi Moſchi vera narrant) prolatos etiam ultrâ tranſtuliſſet, niſi nuperi conatûs ejus audaciam Mars adverſus repreſſiſſet. Metropolis ejus eſt Tobolia, à Moſchovitis juxta ipſa Irtiſchij amnis Toboliæ illabentis oſtia in montis edito ædificata, & ligneo ſepimento ſub præſidio adnexi lignei caſtri circumdata, Archiepiſcopatus dignitate, monachorumqué cœnobio honeſtata, quam ſoli incolunt Moſchi, ceteris advenis

venis omnibus in ſubditum ad ripam Toboliæ oppidum amandatis. Confluunt eò ſtatis anni tempeſtatibus undiquaqué ex Regnis ſuis mercaturæ gratiâ Tartari, qui tamen merces ſuas nullo pacto pro pecuniâ diſtrahere volunt; ſed tantùm pro alijs ex Archangeli ſano adductis permutare. Ditionis Tobolienſis eſt Tumenium magnum quaternis & ſexagenis à Tobolia Auſtrum versùs verſtis intra lignea ſepta apud fluvium agnominem exurgens oppidum à ſolis Moſchis habitatum, cùm Tartari ædiculis ſuis trans flumen poſitis contenti eſſe debeant. Eſt & Virchaturia, ligneum oppidum amplitudine Tumenio paulò minùs, ab eo ducentis & vicenis pariter ad meridiem paſſuum millibus in rupe apud Turam fluvium, qui deindè à Toboliâ abſorbetur, conditum. Inter hoc, & Tumenium altiſſimi aſſurgunt montes cedris frequentiſſimi, undè ingens ex hoc ampliſſimo Regno pretioſiſſimarum omnis generis pellium Magnus Dux tributum quotannis exigit. Indigenæ ſunt Tartari, idololatræ, proprio loquentes idiomate, panis usûs uſqué ad hæc tempora neſcij. Non quòd ager à frigore, ut quidam ſcribit, ſegetes ad maturitatem perducere prohibeatur; ſed conſuetudine populis illarum regionum ferè communi, qui ferinâ carne, piſcibuſqué, quorum ibi copia ingens, contenti panis negligunt uſum. Moſchorum certè coloniæ illò tranſmigratæ, relegati, milites, ac Præfecti agros naturâ ſuâ, & præſertim apud Tumenium, feraciſſimos ad uſum ſuum colunt, creditumqué ijs ſemen cum pinguiſſimo ſupra fidem fœnore ſuo tempore maturum metunt. Eorum potus eſt cerviſia, kuvas, & vinum aduſtum. Hydromeli carent, quia nullæ ibi apes. Nec vini ſunt curioſi, cùm tamen facillimè ex albi maris ſinu illò poſſit importari.

Pleſcovia. Dominium Pleſcovienſe trini illi Varegi, ſivè Vagrij fratres Rurichus, Sinaus, & Truvorus haud poſſedere; ſed Principes, quos liber ille populus à vicinis ad libitum aſſumebat. Horum Rochwologdum Varegum, ſivè Vagrium, nothus Volodimirus Rurichi pronepos ob negatas ſibi filiæ Rochmidæ nuptias bello petitum unâ cum duobus filijs interemit, & amatam invitis genialibus Dijs reluctantem in matrimonium ſibi copulavit. Urbs deindè, quæ nunc Archiepiſcopi ſedes, anno 1241. à Livonienſibus capta, perqué Alexandrum Jaroslai filium Magnum Moſchoviæ Ducem auxiliarijs Scytharum armis haud multò poſt in priſtinam vindicata libertatem à legibus ſuis ſub patrocinio electorum à ſe Ducum à civico magiſtratu protectis cuſtodita, candidis moribus, & innocuâ libertate feliciſſimè floruit. Cui tranquillitati Magnus Dux Lituaniæ Vitoldus anno 1414. interceſſit, diuturnâ namquè oppugnatione eam ad deditionem coegit, & tributo impoſito Georgij Ducis Noſſæ adminiſtrationi commiſit, ac duodecimo exacto anno refractariam ingenti pecuniâ mulctavit. At anno 1509. à nefariâ quorundam ſacerdotum conſpiratione Baſilio Joannis filio prodita, & ab hoc civibus ſuis in exilium pulſis exuta, in corruptiſſimos advenarum Moſchorum ſubintrantium mores peſſimè degeneravit. Hæc lapideis quadripertito opere interjectis mœnijs munita anno 1581. Stephani Regis Poloniæ, & anno 1614. Guſtavi Adolphi Regis Sueciæ conatus eluſit. Sola tamen non eſt, quæ nunc, ut Piaſecius perperam ſcripſit, in totâ Moſchicâ ditione, præter ſedem Ducalem Moſchuam, & Smolenſciam, muro ſit latericio cincta, etenim præter Boriſſoviam arcem ſeſquimilliari à Moſaiſco dextrorſum diſtantem è muro, ſa-

Piaſecij error.

ro, saxisqué fabricatam, anno 1617. à Lituano Chodkievicio irrito conatu invasam, Columnam ad Occam, & Novogardiam inferiorem turritis ambas ex lapide mœnibus circumdatas, præterqué Casani arcem simili muro septam, & urbem Astracanensem à Joanne Basilide crassissimis lapideis mœnibus firmatam, occurrunt nobis Novogardiæ Magnæ, Tullæ, Mosaisci, & Vologdæ castra lapideo partim, partim crasso & alto latericio muro munitæ.

Lituania. Lituania ad instar Nemeni; sivè Chrononis sui varias in decursu absorbendo aquas increscentis ab exiguis profecta initijs successu temporis ad maximam excrevit amplitudinem. Etenim à sinu Curonensi inter Prussiam, & Samogitiam adverso Chronone se exserens, licèt properante ad finem decimo seculo, & principante in eâ Italo Palæmone ex gente Columnâ in fortunam Kyoviensis Volodimiri Suatoslawicz magnâ sui concussione libertatisqué jacturâ impegerit, brevi tamen post eluctata sub Palæmonis liberis Borco, Cunone, seu Cunasso, atqué Sperâ excitatis in ipso confinio Juriæ, & Nemeni Jurborco, & quà hunc Vilia subit, Caunâ, ac in lacu inter Niewiazam, Swientam, & Tzerwentam amnes Sperâ, atqué dein sub Kierno Cunassi filio Kiernoviâ ad Viliam per longa lustra Lituanorum postmodum Ducum sede, nutans novæ molis ædificium robustè adeo firmavit, ut per mutua inter Russiæ ex Jaroslao Kyovienſi Duces fraterna odia ulteriùs glisceus, Braslaviam ducibus eodem Kierno, & Gimbuto fratribus occupaverit, semperqué retinuerit. Hanc quidem audaciam Romanus Micislai Volodimiri atnepotis filius, cùm Ducatum Halicienſem, quo avus à Pannonijs exutus fuerat, Leski albi Cracoviæ Ducis beneficio anno 1198. recepisset, adeò non tulit, ut tertio decimo oriente seculo pluries victor vindicaverit, Lituanis haud minimâ ditionis acquisitæ parte mulctatis, & in verba sua sub vili tributo jurare adactis. Sed post ejusdem elapso lustro ad Zawickwostum cædem successorum ambitio privatas discordias vel in propriam perniciem revocans Ziwibundo, & Montwiloni Gimbuti filijs animos reddidit, ut populares suos à servitute subducerent. Erdivilum itaqué Montwilonis filium selecto milite spectatisqué bello ducibus instructum in Russiam anno 1217. emiserunt, qui Novogrodeko priùs instaurato, ac permunito, Grodnam, Brestiam, Drohyczinum, & quicquid inter Viliam, & Pripetium fluvios comprehenditur, occupavit, & præsidijs impositis firmavit. Biennio post Mingailo ejus filius Novogrodeki Dux Pologiam libertate tunc fruentem, & ad vicinorum injuriam abutentem expugnatam oppressit. Anno autem sequenti hujus filius Skirmundus Pinsco, ac Turoviâ, nec multis interjectis mensibus, profligato, interfectoqué Balaclajo Scytharum ultra Volgam Rege, Mozyro, Starodubo, Czernicoviâ, totaqué planè Severiâ ab illo detentatâ potitus est. Sic auctis Lituaniæ rebus ejus Princeps Ringoldus Gimbuti filius titulum Magni Ducis primus assumpsit. Cujus apud vicinos invidia acre contra eumdem bellum concitavit, quod fuso Suatoslai Kyovienſis Ducis, & fœderatorum exercitu feliciter confecit, novo titulo suo fortiter asserto. Quem deinceps exaltavit filius ejus Mendogus, sive Mindanus, qui præscriptis sibi à Magistro equitum Livoniæ Andreâ de Stuckland pacis conditionibus coacto obsequio deferens sacris undis in campis Novogrodensibus per Culmensem, & Rigensem Antistites anno 1252. ablutus, ab eoqué auctoritate Innocentij

centij IV. Romani Pontificis in Regem Lituaniæ Romanæ sedis beneficiarium inauguratus Regiam dignitatem in successores transmisisset, ni mox depositâ, quâ se ob metum induerat, larvâ Christianam religionem palam ejurasset. Nam ulciscente injuriam suam Numine brevi ipse, & ejus filij Ruclius, & Repicus suorum conjuratione obruti interiere. Per multos deindè annos Lituania à Livoniæ & Prussiæ crucigeris incursionibus, & regionum vastationibus exercita eos vicissim alternis agrorum populationibus, & vicorum pagorumqué incendijs nihil unquam de audaciâ remittens exercuit. Principesqué ejus mutuis se insidijs appetierunt. At Gediminus anno 1319. biennale otium per pactas cum illis inducias sibi faciens odia, & arma in Russos convertit, & sub ipsis Volodimiriæ mœnibus cum Volodimiro ejus Duce congressus eum acie victum prostravit, urbemqué cum provinciâ adeptus est. Dein fugato Luceorienſi Leone hanc etiam suam fecit, Volyniamqué universam Lituaniæ adijciens Præfectis tradidit custodiendam. Vix autem transactâ hyeme Kyovienſem ditionem aggressus totam cum metropoli urbe expulso Stanislao Duce subegit. Moxqué eodem victoriarum cursu Branskum Romano, & Pereslaviam Olego Ducibus extorquens Lituaniæ terminos Putivulum usqué protulit. Trocos porrò haud procul Kiernoviâ: &, quà amnis Vilna Viliæ, seu Neridi, illabitur, binis arcibus munitam Vilnam excitavit. Olgerdus verò ejus filius anno 1331. cæsis ingenti clade ad Siniavodam Præcopensibus Tartaris Podoliam ab ijsdem post Batianam irruptionem infestam sibi vendicavit. At secuto statim anno Moschuam urbem cum infesto exercitu advolans, dum ageretur ipse Dominicæ resurrectioni sacer dies, in eam ingressus Magnum Ducem Demetrium Juanowicz sibi supplicem adegit, ut inter alias pacis conditiones Lituaniæ fines Mosaiscum usqué, & ad Ugram fluvium proferentur. Anno autem 1386. filius ejus Jagello Cracoviæ XVI. Kalendas Martij Christianis initiatus mysterijs, & Uladislaus appellatus Hedwigim Ludovici Regis filiam Guilhelmo Austriaco à vivente patre consentientibus ultrò Regni proceribus jamdiù desponsam, ideoqué ad has nuptias coactam potiùs, quàm persuasam sibi in uxorem copulavit, accepto in dotem Poloniæ Regno, & dato vicissim in donationem propter nuptias Magno Ducatu Lituaniæ cum Samogitiâ, ceterisquè provincijs, quæ sub ejus erant imperio. Fratrem tamen suum Casimirum Skirgellonem Magnum Lituaniæ Ducem in obsequio suo futurum renunciavit. Sed is ignavus, ebriosus, violentus brevi suis despicatui, & odio fuit. Ita ut Vitoldus patruelis ei rebellaret, & Marianorum equitum armis adjutus eum anno 1390. adegerit, ut Ducatu Kyovienſi contentus reliqua ipsi cederet tanquam Jagellonis beneficium possidenda. In comitijs autem Hrodlensibus anno 1413. decretum fuit, ut post Vitoldi obitum Magnus Lituaniæ Ducatus Poloniæ Regno semper conjunctus permaneret, & æquato nobilitatis jure eum solum Principem agnoscerent, quem ei Jagello dedisset. Vitoldo itaqué anno 1430. ad VI. Kalendas Novembris Trocis improle defuncto Jagello fratrem suum Boleslaum Suidrigelonem Magnum Lituaniæ Ducem esse voluit. Cui expulso Vitoldi frater Sigismundus se substituit. Qui anno 1440. die palmarum nefariè à suis Trocis è vivis expunctus locum fecit Jagellonis tertio filio Casimiro. Is autem post sexies septem annos moriens filio suo Alexandro, cui anno 1506. ad XIV. Kalendas Septembris Vilnæ ob-

eunti ſuffectus ibidem ad XIII. Kalendas Novembris frater Sigiſmundus fuit, qui eum adhuc vivens Vilnæ pariter XV. Kalendas Novemb. anno 1529. filio ſuo Sigiſmundo Auguſto tradidit, à quo anno 1569. in Comitijs Lublinenſibus Poloniæ Regno, cui Kyoviam, Volyniam, & Podlachiam ceſſit, agglutinatus tandem tenaciter fuit. Ex hoc ampliſſimæ magnitudinis Ducatu nuper ab Alexio armis occupato Vitepſcia, Polocia, Smolenſcia, & Severia adhuc ab eo detentantur.

Smolenſciæ Ducatus.

Smolenſcenſis Ducatus, ut manuſcripti Ruſſorum annales affirmant, ab Olecho Rurichi Sobrino, dum Igoris tutorem ageret, Slavis Kriwitzijs ereptus, à Primo Volodimiro Stanislao filio ſuo inter duodecim antepenultimo, & deindè à Jaroslao ejuſdem Volodimiri filio liberorum ſuorum natu minimo Venceslao in portionem hæreditariam aſſignatus fuit, cui ſucceſſit filius Boriſſus. Sed hoc imprule mortuo ab ejus patruele Volodimiro Monomacho, ſub quo Ruſſiæ ditiones omnes in unum denuò corpus coaluerunt, Micislao octavo filio ſuo fuit attributus, qui eum in Georgium Hlebi atnepotis ſui abnepotem tranſmiſit. Is à Vitoldo in prœlio, in quo pater Suatoslaus occubuit, captus Principatum amiſit, Hlebo ejus fratri à victore conceſſum, & eodem adhuc anno contumaci aſtu ademptum, ac in provinciam Lituaniæ converſum. Quem cùm anno 1403. ſoceri ſui Ducis Rezanenſis inſtigatione, & auxiliarijs armis Georgius iterum occupaſſet, ulciſcente Numine crudelitatem, quâ in omnes ſævierat, Vitoldi illo cum validis copijs illicò accurrentis vi cedere debuit, ipſe Moſchuam, juxta eorumdem annalium fidem, ad Baſilium Demetrowicz cum filio ſuo Theodoro confugiens: vel, ut Polonicarum rerum ſcriptores memoriæ conſignarunt, in Hungariam profugus Sigiſmundi Regis miles in pugnâ cadens. Secundo deindè ſupra ſeptimum luſtrum volvente anno oppidani Smolenſcenſes rebelli manu arce potiti accitum è vicino Drohobuſo Ducem Andream Demetrowicz ei præfecerunt. Et mox eo repudiato cum Ducis titulo Georgium Linguienium à Caſimiro Jagellonide Magno Lituaniæ Duce è veſtigio expulſum. Exindè ſemper cum Ducatu univerſo Lituanis paruit, qui exeunte decimo quinto redempti orbis ſeculo, biniſqué poſt conſecutis annis eam ab acri Moſchorum Principis Demetrij Magni Joannis filij oppugnatione ter ſubciſivè inſtauratâ egregiè propugnarunt. Verumtamen anno 1514. regnante in Poloniâ Primo Sigiſmundo Baſilius Demetrij frater operâ Michaëlis Linczkij ex Ruſſicis Severiæ Ducibus deſcendentis ad ſe transfugæ eam recuperavit, à poſteris deindé ſuis vel contra conatus ferocientis poſt cæſum ad Kropiwnam Celadinum Conſtantini Oſtrogij ſtrenuè ſemper conſervatam, donec anno 1611. die 13. Junij alius felicior Sigiſmundus electionem filij ſui Uladislai in Moſchoviæ Tzarem propugnans eamdem vi expugnatam à Lituanis rursùs accipere leges coegit. Nequé deinceps poſt tentatam anno 1616. & 1633. à Michaële Fedorowicz Magno Duce irritis votis & armis ejus oppugnationem pax inter ipſos Uladislaum, & Michaëlem coaleſcere potuit, niſi hic quicquid juris ad eam habere poſſet Lituaniæ in perpetuum cederet, titulòqué Ducis Smolenſcenſis ſe abdicaret. His tamen omnibus ſusdequé habitis Alexius confirmans, pacem non commodam haud diuturnam eſſe poſſe, anno 1654. tempori inſidiatus, dum ſervili rebellium Coſacorum tumultu Polonia urgeretur, munitiſſimâ Smolenſcenſi arce per ignavam Philippi Caſimiri Obukowicij Palatini

Palatini traditionem, quam ei, apoſtata Albertus Golimont pincerna Lidenſis avaritiæ impulſu proditoriè perſuaſit, brevi oppugnatione IV. Nonas Octobris potitus Ducatum totum, ejuſqué titulum poſtliminio retraxit.

Tuveria. Tuveriam urbem nunc Archiepiſcopi ſedem Jaroslaus Sevolodicz Magnus Moſchorum Dux poſt vaſtationem à Bato Tartarorum Rege Ruſſiæ illatam Novogardiâ Magnâ, quò ſe receperat, Moſchuam redux è conſpectu Tuverzæ amnis fluvio Volgæ ſe miſcentis ædificavit, caſtroqué ligneo ad ripas congredientis Tuverzæ fauces excitato munijt, eamqué dimidiâ Tuverzakij oppidi parte, & amplâ ditione dotatam Jaroslao novem filiorum ſuorum penultimo cum titulo Magni Ducis attribuit. Ab eo tempore Ducatus ille proprijs legibus, & monetâ utens inter Ruſſicos omnes florentiſſimus fuit, cujus Ducum proſapia in diverſis nunc privatis Ducibus avitâ hæreditate ſpoliatis, & mutatis nominibus adhuc vivit. Verumtamen Joannes cœci Baſilij oculata proles ductâ Mariâ Boriſſi Magni Ducis Tuverenſis filiâ ejus fratrem Michaëlem per ſeptimam generationem à Jaroslao deſcendentem eo exuit. Qui anno 1486. ad Caſimirum Jagellonis filium Vilnæ agentem confugit. Exindè Ducatus Moſchoviticis dominis ſubactus flacceſcere incipiens, per inſecuta deindè Ruſſorum inteſtina bella nunc à Polonis, nunc à Suecis ſe invicem extrudentibus peſſumdatus, ægrè modò ſpretas aliquas obſoletæ gloriæ ſuæ reliquias oſtendere poteſt. Adeò volubili rotâ etiam urbes & Regna per inconſtantes viciſſitudines à ſummo ad imum fortuna vertit.

Volynia. Volyniæ in ulteriorem, & citeriorem diviſæ latiſſimam, & fertiliſſimam provinciam à Tyrangitis, ſivè Tyritis, olim habitatam, ac multorum deindè Ducum nobiliſſimam ſedem ampliſſimos Cremenecenſem, & Luceorienſem diſtrictus comprehendentem anno 1319. Lituaniæ Gediminus adjunxit. Etenim tunc ſub ipſis Volodomiriæ urbis muris Volodimiro Ruſſo ejus Duce in pugnâ acriter prœliante interempto, & eodem plaudentis fortunæ impetu Leonæ Luceoriæ Principe in Severiam abacto utramqué urbem cum ditionibus ſubegit, præſidijſqué ac Præfectis Lituanis commendavit. Et quamvis Magnus Caſimirus Poloniæ Rex anno 1349. univerſam ferè provinciam armis occupaſſet: & anno 1365. urbem Volodimiriam Kyeſtuto Gedimini filio cum libertate extorſiſſet, is tamen hanc fugâ, illam armis brevi recuperavit. Controverſa itaqué provinciæ hujus poſſeſſio alternante viciſſitudines Marte nunc apud Polonos, nunc apud Lituanos fuit. Etenim anno 1437. Lituanus Suidrigelo Uladislao, cui à clade ſuâ Varnenſi nomen, ſupplex ei Luceoriam cum magnâ Volyniæ parte ceſſit, iſqué eam illius æmulo Sigiſmundo attribuit poſt ejuſdem mortem ad Regnum recaſuram. Impletâqué conditione Caſimirus Jagellonides Uladislai in Regno ſucceſſor patruum ſuum Suidrigelonem eà rurſus donavit. Quæ anno demum 1596. per unionem Lituaniæ cum Poloniâ illius ceſſione huic accrevit. Regionem hanc Alexius immiſſo numeroſiſſimo Moſchorum ſuorum examine infeſtis incurſionibus longè, latequé prædatus eſt. Sed anno 1660. amiſſo ſeptuaginta millium bellatorum ſub Baſilij Boriſlowicz Tzeremetow ductu propè Lubartoviam exercitu illatæ vaſtationis pœnas luit.

Podolia. Podolia ferociſſimæ ſupra fidem glebæ regio, marmoribus, & alabaſtro abundans, quam inhabitarunt olim Baſtarnarum pars Peucini, à Sarma-

Sarmatis deindè ejecti, & tandem à Polonis, ut ipsi asserunt, vectigalis facta, dein à Bato Scythâ subacta diu sub jugo Præcopensium Tartarorum postmodum gemuit. Olgerdus Gedimini filius Magnus Dux Lituaniæ anno 1331. cæsis immani clade ad Siniavodam Katlubako Sultano, Kaczybeyo Giereyo, & Dimeytero Sultano eos inde fortiter ejecit, nepotesqué suos ex Coriatho fratre Alexandrum, Constantinum, Theodorum, & Georgium cum validissimis præsidijs, in fide tamen ac potestate suâ interposito jurejurando futuros, provinciæ imposuit. Sed anno 1339. cùm Theodorus totius regionis possessionem solus nactus patrui imperium refractarius aspernaretur, is celeri illatâ vi universam cepit, & in provinciam redactam Gastoldi Palatini fidei concredidit. Eam Jagello Rex Poloniæ fratri suo Boleslao Suidrigeloni, prævio Vitoldi, ut Lituani auctores tradunt, consensu; ut verò Poloni, eo irrequisito attribuit. A quâ tamen anno 1404. per Polonos exactus, cùm confugisset in Prussiam, meruit eâ à fratre denuò post biennium exui. Attamen post Vitoldi obitum Magnus Dux Lituaniæ renunciatus eam ab eodem rursùs obtinuit; sed restituendam post sua fata Poloniæ, ni priùs aliâ ratione Poloni & Lituani de eâ inter se convenissent. Quâ etiam lege in Sigismundum Magnum Lituaniæ Ducem dicitur postmodum transivisse. Juris itaque semper controversi fuit à Lituanis tanquam propria pluries petita, à Polonis toties negata, donec tandem confusis per consummatam sub Sigismundo Augusto anno 1569. Poloniæ, & Lituaniæ unionem juribus eidem uni utriusqué domino pacatè obsequi disceret. In eâ rupi imposita suspicitur urbs Camenecia, quam aliqui priscam esse Clepidavam volunt, situ magis, quàm munitionibus conspicua.

Jugoria. Jugoria, sivê Jugra, aut Juhra, regio est haud magnæ amplitudinis Sibiriæ adjacens, cujus incolæ Tartari duram, & agrestem vitam ducentes Moschorum dominium à tempore Senioris Joannis Basilidis pretiosarum tributo pellium agnoscunt. Ab illâ prodijsse olim gentem. quæ cæsis ac funditus deletis Avaris atqué Hunnis Daciâ, Pannonijs, Noricoqué ab ijsdem possessis potita per multa virtutis bellicæ specimina Orbi terrarum glorioßissimè innotuit, nonnulli argumento esse ajunt sermonis identitatem, cujus rei libentissimè Moschuæ experimentum capere voluissem, si alicujus ex illâ regione hominis copiam sæpiùs expetitam habere potuissem. Hoc tantummodò ab homine Germano, qui in Sibiriam relegatus in Jugoriam aliquandò excurrere debuit, audivi, quòd Jugri proprio utantur idiomate à Sibirienßibus Tartaris minimè intellecto, quodquè his oris habitudine præstent, cùm nec magno, ut illi, capite, nec compressâ facie deformentur.

Permia. Permia è contra magnæ provincia amplitudinis est; sed à crebris paludibus & fluminibus impeditæ. Peramplam habet apud Vischoram fluvium sui nominis urbem Archiepiscopatu insignem, cujus curam & titulum Volochdensis gerit. Proprio loquitur idiomate, & propriis scribit characteribus ipsi olim à Stephano Episcopo suo traditis, pellium tributum Moscho Tzari pendere & ipsa à seniore Joanne Basilide adacta.

Viatka. Viatka Tartarorum olim ampla provincia pluribus oppidis culta, à Basilio Juanowicz devicta, & ejectis antiquis Dominis Moschoviticum jugum subire coacta illud numquam ampliùs exuit; sed suorum aspreolorum, sivê sciurorum Ponticorum, tributo quotannis coluit.

Paludi-

paludibus, nemoribusqué fœda est, & intricata; sed melle, feris, piscibus, ex quibus panis usu neglecto contenta vivit, apprimè dives.

Bolgaria. Bolgaria regio ultra Volgam inter fluvios Kamam, & Samaram Jaikum, olim Rhymnum, versùs extensa ab amplâ urbe suâ nomen ducit. Hanc à Tartarorum Rege Bato anno 1235. occupatam possederunt Kalmuki, donec Basilius Demetrowicz Magnus Moschorum Dux anno 1398. ijsdem martiali vi expulsis eam Russicæ ditionis accessionem faceret. Sed cùm frequenter rebellaret, ejus abnepos Joannes Basilowicz eam Casanensis Regni à se devicti jurisdictioni in contumaciæ pœnam subjecit. Jamqué in vicum degenerata ab ipsis Kalmukis, Mordwinis, & Russis promiscuè incolitur.

Novogrodia inferior. Novogrodiæ, sive Novæ urbis, inferioris Ducatus agri fertilitate, rerumqué abundantiâ cum Volodimirienßi lite adhuc indecisâ contendit. Urbem, quæ nomen ei dedit, Basilius Juanowicz anno 1509. ad ipsa Occæ amnis Volgæ illabentis ostia ædificavit. Cincta est turritis ex lapide mœnibus, protegiturqué à castro pariter ex lapide in rupe exstructo. Ad fluvium verò Suram, qui Casanense ab eâ Regnum disterminat, Wasilogrodia ab eodem Basilio anno 1523. condita assurgit.

Czernikovia. Czernikovienßis Ducis titulum contra leges pacis inter Uladislaum Regem Poloniæ, & Michaëlem Fedorowicz parentem suum anno 1634. sancitæ, quomodo & ipsum Ducatum Alexius usurpat. Provincia hæc in amplißimo olim à Boryßthene ad rudera castri Mscenek arcium & oppidorum frequentiâ conspicuo Severiæ Ducatu comprehensa, nunc sub Palatinatus titulo eum comprehendens à Jaroslao Volodimiricz quinto Moschorum Magno Duce Suatoslao filio suo tertiogenito in hæredes transmittenda priùs concessa fuit, qui multorum in Russiâ Ducalium nominum auctores extiterunt. Cùm tamen eam Russis exturbatis Scythæ occupassent, eandem ijs Skirmundus Novogrodeki in Lituaniâ Dux fuso, trucidatoqué Ballaklaio Ultravolgenßium Tartarorum Regulo totam detraxit, liberisqué suis Lubarto, & Pissimundo distribuit. Horum verò posteris expulsis Demetrius Juanowicz Magnus Moschorum Dux eâ Georgium, & Andream filios suos donavit; donatione tamen brevi per Olgerdum Magnum Lituaniæ Ducem inofficiosâ in parte redditâ, cùm illum ex illatâ Scythis immani clade superbientem improviso Moschuam usqué adventu ita terruit, ut Lituaniæ terminos ad Ugram flumen, & Mosaiscum usqué proferri per indecoras pacis conditiones pateretur. Olgerdus itaqué Demetrij filios Lituaniæ vectigales reddens filio suo Demetrio Korybutho Novogrodiam similiter Lituaniæ tributariam cum titulo Ducis Severiæ attribuit. Quam ei frater Jagello juramento fidelitatis ab ejus legatis accepto confirmavit. Sed, cùm deindè tributum Vitoldo solvere renueret, victus acie, & captus libertatem suam perpetuâ provinciæ cessione redemit, cui Theodorus Sangusko præfectus fuit. Nihilominùs Andreas Vigundus spoliati Demetrij frater Starodubum deincèps in eâ obtinuit, & post eum frater Boleslaus Suidrigelo, qui ejus arce, pluribusqué alijs exustis primariam Severiæ urbem Novogrodekum Moscho Basilio prodidit, & in Moschoviam aufugit. Regnante autem in Poloniâ Jagellonis filio Casimiro Michaël Sigismundi Magni Ducis Lituaniæ filius Dux Starodubi, & Branski renunciatus fuit; sed rebellans Kyoviam Moschorum auxilijs occupavit. A quâ ejectus, reliquisqué exutus in Moschoviam profugus in-

pane Euchariſtico venenum ſumpſit. Poſt caſum verò Magnæ Novogardiæ aliqui ex Severiæ Ducibus ab Alexandro Poloniæ Rege ad Joannem Baſilowicz Moſchorum Monarcham ejus ſocerum transfugerunt. Cumqué is poſtmodum generi ſui exercitum à Conſtantino Duce Oſtrogio ductum anno 1499. ad fluentum Wiedruſam profligaſſet, reliqui Severiæ Duces, qui in Alexandri perſtiterant obedientiâ, victori ſe tradiderunt; ſed infauſto exitu, nam hujus filius Baſilius omnibus Severienſibus Principibus inter ſe priùs, ut colliderentur, commiſſis familiari ſibi fictæ in ijſdem perfidiæ commento ditionibus ſuis exutis tandem ſe ſubſtituit. Cùm verò tragicæ illæ Demetriorum fabulæ in Ruſſico theatro agerentur, per quas novis ſemper peripetijs ſcenæ toties mutatæ apparuerunt, Sigiſmundus III. Poloniæ Rex univerſo potitus Ducatu per inducias anno 1618. cum Tzare Michaële Fedorowicz ſtabilitas in ejus poſſeſſione perſeveravit. Cum quâ ejus filius, & ſucceſſor Uladislaus per pacem cum eodem dominium etiam cum titulo Poloniæ ceſſum conſolidavit. Verumtamen hunc contractum Alexius deindè acinace reſcidit, totumqué Ducatum ad ſe retraxit.

Rezania. Rezanenſis inter Occam, & Tanaim Ducatus tellure tam feraci, tam piſcoſis aquis, tam populoſis, ſivè feras, ſivè aves, ſive apes conſideres, ſylvis dives eſt, ut Rezanenſibus, Strubenſibus, Tullenſibus, Corſirenſibus, Odoiowenſibus, & Vorotinenſibus Principibus, quorum aliquot adhuc vana nomina apud eorum deſcendentes in Ruſſia audiuntur, intra terminos ſuos libero ſceptro partitos populos regentibus, antequàm à nefariâ ejuſdem Baſilij tyrannide fictis criminibus falsò inſimulati opprimerentur, abundè ſufficeret. Metropolim habet Rezaniam Archiepiſcopi ſedem, amplam olim urbem; ſed poſt vaſtationem à Tartaris Crimenſibus anno 1568. ei illatam in pagum diminutam, ex cujus ruderibus Pereslavia Rezanenſis quadraginta ab eâ verſtas exſtructa. In hoc Ducatu apud fluvium Bogdanum Boriſſus Hodunus Tzar Boriſſam ad nominis ſui famam anno 1598. condi voluit. Ultra Tullam versùs Tauricam Cherſonneſum immenſi excurrunt inculti campi arboribus æqué ac habitatoribus vacui, planequé ſolitarij, niſi ab innumerâ onagrorum multitudine habitarentur, qui capti ſylveſtrem ſuam moroſitatem tam obſtinatè retinent, ut mori malint, quàm cicurari. Fluit in hoc Ducatu Tanais, à Ruſſis Don

Tanais fluvius. nuncupatus, qui antiquis Aſiam inter, & Europam limes fuit, & rectè, ſi eo dumtaxat, donec poſt paludem Meotim adverſo amne ad ejus flexum, oppidumqué Tuiam pervenias, utare, & indè eo relicto per tranſverſum jugum Perowlock, Tumenium, & Obij, olim Carambucis, fluminis oram ad Tartaricum uſqué Oceanum, & antiquæ Celticæ promontorium Lytarmin, nunc Obium nuncupatum, procurras. Fluvius iſte omnes, qui ejus originem à Riphæis, qui Obij ſunt, montibus derivarunt, mendacij arguens ex ingenti Odoio lacu, populariibus Juanowoſero, nobis autem Joannis lacu dicto, profluit, & curſum in ortum directo propè rudera vetuſti oppidi Donch primùm navium patiens factus Volgam versùs, quaſi ei ſe conjuncturus, oppidum interim Lechi in coitione Mezij contingens, & dein Soranum flumen admittens, tendit. Verùm ad viginti verſtas inter arenoſum ad Volgam Strelne montem, & oppidum Zarizam illi jam appropinquans, velut pœnitudine ductus, curſum ab ortu æſtivo in occaſum reflectit, eumqué quinquies ſeptem verſtas Tuiam præterfluendo parallelo

rallelo paſſu comitatus, recta demum in occaſum ſinuoſo cubito converſus omninò deſerit, fluminibuſqué Schamenâ, ſivè Soſnâ, Herodoto Hyrge, minori è Severiâ Tanai, Samaraâqué, & Sargâ inſimul confluentibus hauſtis majore vi, ac mole undans agens poſt viginti dierum iter Exapolim, Naubarim, Magnum ad minorem Tanaim Trajectum, ſive Welikiprewos, Achas, & Aſophum, priſco nomine Tanas urbem à Genuenſibus olim poſſeſſam, & Thracio tyranno nunc vectigalem, præterlapſus putri lacui, ſivè Meoti, nunc Temerindæ, paludi aquarum ſuarum vel filiæ, vel alumnæ inſinuatus immoritur. Sed immori non eſt viſus, antequam Mahometes expugnatâ Conſtantinopoli Capham, nobiliſſimam apud Boſphorum Cymmerium in peninſulâ ab ipſius quondam poſſeſſoribus Tauris gente Scythicâ Tauricâ dictâ Genuenſium coloniam, anno 1475. violenter eis per Machmutum Purpuratum extorqueret, & Tartaros ex Javolgenſibus ortos totius Cherſonneſi dominos pacem cum ijſdem, & amicitiam mutuâ pactione colentes ad pacta libertati detrahentia adigeret: ejuſdemqué ex Bajazeto filio nepos Selymus devicto Mechmeto Gereyo Chamo reliquis ad Gazariæ litora oppidis vi illatâ potiretur. Concurrebant enim undiqué ad celeberrimum illud Theodoſiæ rerum omnium venalium forum mercatores, quorum numerum non modicum ex Ruſſicis provincijs Tanais deferebat.

Polociæ in Albâ Ruſſia ad Dunam Ducatus conditorem ſuum ſæ- Polocia.
pememoratum Olechum agnoſcit. Iſoslaus, ſivè Viſeslaus primi Volodimiri Ruſſorum Magni Ducis ſecundogenitus eum Rochwologdo Pleſcovienſium Principi cum vitâ, & filiâ Rochmidâ à parente ſuo extortum in partem hæreditariam obtinuit, & in genus ſuum ad abnepotes uſqué tranſmiſit. Sed, cùm hi per varia bella omnes ferro abſumpti defeciſſent, & juſto DEI judicio eorum poſtremus Rochwologdus appellaretur, Polocienſes hortatu Antiſtitis ſui rempublicam ipſi lectis ad hoc ex ſuo numero triginta adminiſtrarunt, donec Mingailo, ſivè Michaël, Erdivili ex gente Palæmoniade filius Novogrodeki in Lituaniâ Dux eos acie victos, & libertate mulctatos cum ditione totâ ſibi ſubderet, & in ſecundogenitum ſuum Ginwilonem eodem anno hominem exuens tranſmitteret. Huic ſucceſſit filius Boriſſus Boriſoviæ ad Berezinam fluvium conditor, qui luſtrico ſacramento primus inter Lituanos Principes initiatus in ipſo ætatis flore lucis, & Principatus uſuram amiſit. Succeſſorem habuit Baſilium Rechwoldum, hic filium Hlebum, qui ætate immaturâ improlis mortuus. Polocenſes denuò ſuæ reddidit libertati; ſed brevi. Etenim vix exacto luſtro Cieuciwilo, qui poſtmodum ſacra Chriſtiana profeſſus Theophili nomen aſſumpſit, Mendogi Lituanorum Regis ex fratre nepos ad dominici jugi patientiam eos rursùs adegit. Verùm hoc à conſanguineo Troynato Magno Lituaniæ Duce anno 1264. per ſcelus oppreſſo urbs Polocia per immiſſum ab eodem exercitum occupata Lituaniæ cum universâ ditione in provinciam acceſſit. Hanc Daumandus exilium apud Pleſcovienſes gravatè tolerans urbe à Ruſſis proditâ potitus Troideno fratri Magno Lituaniæ Duci anno 1281. armatus eripuit, & per ſubſecutæ reconciliationis pacta aliquot dumtaxat menſibus retinuit. Etenim ſequenti ſtatim anno à monacho nepote Rimundo, ſivè Lauro, aut Laurentio, qui paternæ necis ultor ſepoſito ad tempus cucullo in fratricidam armatus inſurrexerat, fortuitò inter

prœli-

prœliandum è vivis expunctus, & malè partâ provinciâ exutus fuit. Quæ, etiamsi postmodum ab Andreâ Vigundo Jagellonis jam Poloniæ Regis fratre intercepta; brevi tamen à Vitoldo Jagellonis auspicijs recuperata Lituanici juris ad annum usqué 1564. semper permansit. Circa finem autem anni 1563. Junior Joannes Basilides ingenti instructus exercitu Polociæ urbi appropinquans præsidiarios omni prompti subsidij spe destitutos ita terruit, ut non ultra XV. Kalendas Martij ejus deditionem distulerint. Verum anno 1579. Rex Poloniæ Stephanus eam fortiter oppugnans defensoribus quantumvis strenuis ultimo Augusti mensis die extorsit, Lituaniæqué iterum dato Palatino submisit. A quâ tandem Alexius anno 1654 circa Junij finem eam connivente ex conspiratione supremo Magni Ducatus Lituaniæ exercituum Duce Jano Radzivilio avulsit. Alluitur à fluvijs Dunâ, & Polotâ: propugnaculis, & arce egregiè munitur: pedoqué Archiepiscopali Russici ritus sub obedientiâ Romani Pontificis splendescit. Nunc tamen schismaticum ab Alexio intrusum cum servitute tolerare cogitur. Ibi Stephanus Rex Collegium Patribus Societatis JESU excitavit.

Rosthovia. Rosthoviæ Ducatus antiquissimus est, in cujus urbe agnomine à Tartaro Bato olim destructâ Metropolita residet. Ducatus iste cum urbibus Pereaslaviâ, & Uglitzâ, quæ peculiarem quondam constituebat Principatum, cumqué nundinarum frequentiâ non minus, ac Novogardensium fugâ servorum notâ Chloppigrodiâ altero ex Magnorum Ducum liberis juxta antiquam consuetudinem adhuc attribueretur, nisi eam jamdiu bini Joannes avus & nepos eorumdem stirpe sublatâ antiquassent.

Jaroslavia. Jaroslaviæ Ducatus ab amplâ ejusdem nominis ad Volgam urbe, cujus titulo Metropolita Rosthoviensis insignitur, ejusqué ligneâ arce nomen trahit, eâdemqué cum Rosthoviensi sorte & Ducalium in Moschoviâ secundogenitorum olim portio, & ejusdem Joannis Basilij cœci filij oblatis falsis criminibus insontium oppressoris rapina deinceps fuit.

Bieloiesero. Bieloiesero antiquissimus Russorum Ducatus Sinau ex ternis Wagrijs fratribus olim sorte concessus fuit. Nomen suum ab albo lacu ducit, in quo munitissimum, lociqué naturâ ferè inexpugnabile ejusdem nominis oppidum cum arce fidele Moschoviæ Dominis thesaurorum præbet reconditorium, & si vis hostilis ingruat, tutum latibulum.

Udoria. Udoria, quæ & Obdoria, regio ob fabulosum aureæ anûs idolum nota est. Huic fluvius Obbi, olim Carambucis, ex lacu Kitaisko emergens, perquè eam decurrens octuaginta alicubi in latitudine passuum millia extensus nomen fecit. Populi cum circumvicinis longè ab omni cultu vivunt. Ferinâ carne vescuntur, & pellibus Magno Moschorum Duci tributa persolvunt.

Condinia. Condinia, sivè Condora, Obdoræ vicina regio est sylvis & fluminibus obsita, cujus indigenæ vago lare venantes victum sibi ex occisarum carne ferarum, & tributum Moscho Tzari ex earumdem pellibus parant.

Vitepscia. Vitepsciæ Ducatus pars est Albæ Russiæ. Primaria ejus urbs Vitepscia cum arce ad Dunam fluvium à Vikindo Mendogi Lituanorum Regis ex fratre nepote anno 1240. Russis extorta suos habuit deindè Duces Lituaniæ vectigales, donec Olgerdus Magnus Dux Lituaniæ ductâ Mariâ ejusdem Ducatûs hærede, in cujus gratiam Christo nomen dedisse fertur, ejus possessionem cum dominio consolidaret.

Anno

Anno 1396. à Boleslao Suidrigelone capta longâ debuit à Vitoldo oppugnatione recuperari. Eam tamen idem Suidrigelo anno 1413. æmulum in Lituaniâ Sigismundum impugnans denuò expugnavit, Holsanumqué Ducem ei præfectum impotenti irâ ex editâ rupe in subjectum flumen præcipitem egit. Sed à Sigismundo postea retracta diuturnâ sub Lituanico dominatu pace fruens anno 1655. per longam obsidionem viribus, & viris exhausta Moschis se dedidit, inspectantibus, quasi ad actum tam solennem vocatis testibus, Lituanicis copijs à supremo exercituum duce Jano Radzivilio submissis cum fœno mandati, ne se inscio cum hoste confligerent. Ibi Alexander Gosievius Palatinus Smolenscensis Collegium Patribus Societatis JESU ex Moschicis manubijs à fundamentis excitaverat. Et ibi Episcopus Russici ritûs cum Ecclesiâ Romanâ communicans federe consueverat, quamvis à multis incoleretur schismaticis, qui anno 1622. Josaphatum Episcopum, & Archiepiscopum simul Polocienſem odio religionis efferati martyrio affecerunt, cujus corpus Polociæ in cathedrali Sanctæ Sophiæ templo asservatur. Vitepsia verò jure civitatis exindè mulctata in pagum redacta fuit, solâ arce Regiâ cum jurisdictione relictâ.

Micislavia. Micislavienſis Ducatus Borystheni & Prepetio fluminibus adjacet. Eum Simon Linguienius Jagellonis frater ad descendentes suos transmittendum obtinuit. Cùmqué metropolim ejus Micislaviam Suatoslaus Smolenscensis obsideret, à Vitoldo cæsus occubuit. Anno 1432. Simonis filius Georgius pro patruo Boleslao Suidrigelone contra ejus patruelem Sigismundum Magnum Lituaniæ Ducem ad Osmianam infeliciter pugnans libertate, ac patrimonio à victore mulctatus longas in carcere Trocensi malè assertarum partium pœnas luit. Cujus frater Jaroslaus tertio post anno, dum easdem partes armatus propugnat, à Michaële Sigismundi filio in prœlio captus hujus mandato occisus fuit. At Sigismundi à conjuratis anno 1440. Trocis nefariè sublati successor Casimirus Jagellonis filius Georgium pristinæ restituit libertati. Qui maleficium pro beneficio rependens Ducatum Smolenscensem à rebellibus subditis acceptum Casimiro reddere recusavit, donec inde vi armatâ ab eo expelleretur, tam clementem nihilominùs victorem expertus, ut patrimonij sui possessionem ejus postmodum dono recuperaverit, & filio suo Joanni post sua fata reliquerit. Hujus natus Michael, cùm arcem Micislavienſem à Moschis anno 1500. sub auspicijs Principis sui Joannis Basilowicz senioris oppugnatam strenuè tutatus esset, eamdem tamen ejusdem filio Basilio cum toto Ducatu anno 1508. alterius Michaëlis, nempè Klinskij transfugæ, vestigia sectatus inconsulto dedecore prodidit. Per Demetrianas verò turbas à Polonis iterum occupata, & per pacem cum Michaële Fedorowicz retenta, per bellum cum ejusdem filio Alexio amissa fuit. Et anno 1660. à Moscho Palatino Smolenscensi Duce Juano Borissowicz Repnino à frequenti ejus rebellione irritato incendio deleta.

Omnium verò septentrionalium regionum dominatorem se scribere elatæ nimis jactantiæ est. Præter eas tamen, quibus titulos suos Alexius auget, aliæ etiam in borealibus plagis Moschos Tzares Dominos suos esse tributo profitentur.

Lucomoria. Et primò Lucomoria inter Sibiriam, & lacum Kitaiskum extensa regio, montibus aspera, sylviſqué densa, de cujus incolis fabulantur otiosi, quòd singulis annis ingruente hyeme hyrundinum ad instar ab

intenſo frigore omni vitali actione priventur, cui deinceps à placidâ ſupervenientis veris temperie reſtituantur.

Petzora. Secundò Petzora longiſſimi ad Sarmatica Cronij, ſivè glacialis, maris litora tractûs regio à magno eam alluente flumine denominata, pretioſis pellibus, nigerrimis præſertim zebellinis circa cedros in vicinis

De hierofalchis. admirandæ altitudinis montibus, quos incolæ Kameny poyas, ideſt, lapideum cingulum, appellant, excreſcentes frequentiſſimis abundans. Et hierofalchos acerrimos ardearum hoſtes à Ruſſis Kretzet nuncupatos, aves audaciâ, & mole corporis inter ceteros falcones præcellentes; ſed vitæ vix quadriennalis, Tzareæ voluptati ad aucupium, & venationem emittens. Harum unam collegæ mei curioſitas videre, ejuſque imaginem penicillo effingi deſiderans copiam ſibi ejus fieri à commiſſarijs noſtris repetitâ ſæpiùs per integrum ſemeſtre inſtantiâ efflagitaverat, quæ, quamvis ſemper promitteretur, numquam tamen producebatur. Tandem, cùm deſiderium ejus per longas moras defatigatum adeò elanguiſſet, ut parum abeſſet, quin oblivio ejus in animum induceretur, ecce, ipsâ Ruſſicorum Bacchanaliorum die, dominicâ, ſcilicet, in quinquageſimâ, perſonatorum ſpectaculum nobis improviſò exhibetur. Nobilis enim commiſſarius noſter nobis cum aliquot convivis menſæ adhuc accumbentibus ſuperveniens, gravitatem, quaſi de re maximè ſeriâ nobiſcum acturus, affectans, jubet, ut indè ad interius conclave noſtrum ipſum audituri nos recipiamus. In illud poſt nos illicò ſucceſſerunt pretioſis ex veſtiario Magni Ducis amicti tunicis ſupremus apud eum aucupij curator, atqué ſex accipitrarij ſuſtinentes ſinguli dextrâ à chyrothecis auro recenter fimbriatis protectâ ſingulos hierofalchos novis ex veſte Attalicâ galerulis petaſatos, ac longo aureo funiculo in lævo crure compeditos, quorum dignioris, qui herodius guttatis pennis candidus erat, dextrum circumdabat aureus annulus pyropum includens magnitudinis excellentis. Tunc commiſſarius depoſito pileolo, extractâqué è ſinu ſuo chartulâ in volumen complicatâ tenorem legationis ſuæ ex eâ nobis ſtantibus expoſuit. Quòd videlicet, Magnus Dominus, & Tzar Alexius Mihalowicz (omnes ejus titulos per extenſum de more recitavit) percepto deſiderio noſtro videndi aliquam ex ſuis avibus Kretzet ſex nobis ob amorem, quo chariſſimum fratrem ſuum Leopoldum Romanorum Cæſarem proſequitur, viſendas mittebat. Commoverat riſum tam inanis ſolennis illius apparatûs functio, animuſqué à jucundo illo ventoſæ oſtentationis ſpectaculo titillatus in cachinnos erupiſſet, niſi à reverentiâ ejuſdem exhibitori à gravitate legatorum debitâ cohibitus excitatos motus compeſcuiſſet. Serio itaqué vultu, verbiſqué ampulloſis erga legatum commiſſarium converſi alites impensé laudavimus, & quaſi in earumdem magnitudinis admirationem raperemur percontati ſuimus, ubi terrarum nidificarent? ille autem Harpocratis digitum, ne ſecretum Domini effutiret, labijs ſuperimponens tantùm ſiccè reſpondit, quòd in regionibus Magni Domini. Peractis itaqué gratijs pro eâ, quâ ſingulariter æſtimabili nos honorare Magnus Dux dignatus fuerat, fabulæ actoribus modo eis gratiori, muneribus, nempè, plauſimus, eoſqué dimiſimus.

Samojedæ. Tertiò Samojedarum, ſivè gentium ſe invicem comedentium ab Oleario luculenter deſcriptarum Petzoræ conterminus diſtrictus pretioſas pelles Tzareo gazophylacio contribuens.

Et

Et quartò tandem ille terræ cubitus, qui in Oceano aquilonari ſub ipsâ propemodum arcto curvatus mari albo ſinum præbet, quemqué Lappones incolunt in tria diviſi territoria Moſcho hi, Norvego illi, ceteri Sueco ſceptro obſequentes. Gens fera, ſylveſtris, & rudis, quam licèt vicini manſuefacere jamdiù conentur, numquam tamen cicurare potuerunt. Lappones

Jueria. Jueria, ſive Iberia, quæ Georgia, ſivè Turcico nomine Gurgiſtania nunc dicitur, ad Zephyrum Mengreliam, olim Colchidem: ad Eurum Sirvaniam, olim Mediam Atropatiam: ad Boream Caucaſeas rupes, veteriſqué Albaniæ, quam nunc Circaſſi incolunt, partem: ad Auſtrum verò Armeniam majorem, ſivé Turcomaniam attingit. Plures habuit quondam Regulos Chriſtianis ſacris à tempore naſcentis Eccleſiæ (prout Ruſcida Regina, ejuſqué natus David anno 1240. ad Gregorium IX. ſummum Pontificem ſcripſerunt) initiatos. Sed à diſſeminatis ab Eutiche de unicâ poſt unionem in Chriſto naturâ erroribus à Jacobo Baradeo Syro deindè acerrimè propugnatis ſeductos, ideoqué Jacobitas nuncupatos. Bello hi ſuperiori ſeculo inter Turcorum Imperatores Selymum, Solimanum, & Amurathem hujus nominis tertium, & Perſarum Reges Iſmaelem, Tamaſum, ac Machometem Hodabendum atrociſſimo exorto, ſæpiuſqué reſumpto diviſis ſtudijs his, vel illis, majorem tamen partem Perſis, quibus tributa pendebant, adhæſerunt. Totqué ex eis, ut parti, cui ſe addixerant, per gratiora fidelitatis obſequia ſe probarent, ad Mahometicam ſuperſtitionem infami apoſtaſiâ transfugerunt, ut modò inter Georgianos Principes vix unus aut alter ſuperſint, qui fidem Chriſto ſervatori promiſſam ſervaverint. Hi præter Gori, Grim, Caiham, Somka, aliaqué oppidula, poſſidebant Tiflim, olim Jur, urbem diù à Turcis, multâ licet ſanguinis auriqué profuſione pertinaciter inſeſſam, quam alluit Cirus, ab incolis Chiur vocitatus, qui ex montibus Armeniæ delapſus ipſam interſecando Georgiam per Sirvaniam prope urbem Ciavat Araxem, à quo in mare Caſpium deducitur, influit. Hos Cartalinios, & Gruſinios Tzares Moſchi vocant. Cùmqué ſuperioribus annis à Perſarum Rege, cujus ſunt vectigales, cujuſqué ſub ſigno monetam ſuam ferire tenentur, gravibus ſupra tributariorum patientiam premerentur oneribus, Moſchovitici Tzaris in Circaſſiâ ſibi collimitanei patrocinium implorarunt, cujus beneficio per amicam legationem Perſico Regi commendati reſpirare aliquantisper ſibi ſunt viſi. At anno 1654. eorum ditionem immiſſis ille Kumukis, qui à Ponto Euxino illuc olim profecti occupatos inter eamdem, & Mediam Atropatiam procurrentes ab Armeniâ montes inhabitant, fœdè depopulatam miſerè devaſtavit. Quapropter David Temraſciowick, qui ad regiminis clavum tum ibi ſedebat, filium ſuum Nicolaum in Ruſſiam ad Alexium properare juſſit, patroni ab eo officia contra Perſicam violentiam exacturum. Is politico transfugio ſpirituale inſuper adnectens, ut Alexio placeret, abdicato patriæ religionis ritu Ruſſicum voluit amplexari. Ab illo tamen Lituaniam tunc bello impetente nihil aliud impetrare valuit, quàm ſacerdotes quamplurimos, qui plebem in illis ditionibus Ruſſico ritu DEUM adorare docerent, & proceres Mahometanam religionem Perſico profitentes ad Chriſtianam convertere conarentur. Quæ omnia in perniciem impetrantis ceſſere. Etenim irritatus inde Perſarum Rex ditiones illas armatus invaſit, captoqué

Alexan-

Alexandro Davidis germano, qui poſt hujus mortem eas abſente nepote Nicolao moderabatur, eoquè in Perſidem abducto, huic reditum in eas adeò intercluſit, ut nunc protoparentis ad inſtar ab hortis Edenis ejecti in urbe Terki ſtatione fixâ amiſſum Principatum multis ſeræ pœnitudinis ſuſpirijs contempletur. Cùm verò genus ſuum hi Principes ad Davidem Hebreorum Regem vanâ jactantiâ referant, ideoquè Reges audire velint, Tzaris prædicato donati à Moſcho libenter fuerunt, ut ſtrepitoſi tituli honos in ſe redundet, dum per imaginariè acquiſitum in eos advocatiæ jus Tzarûm Tzar vocari geſtit. Hinc patet, quàm nullo jure Alexius Iveriæ, & Tzarûm Cartaliniæ, & Gruſiniæ, quomodò etiam Cabardiniæ regionis, quæ à Cabardinienſi Tartarorum hordâ, ſivè cœtu, habitata Meoti incumbens Turcorum tyrannidi ſubeſt, dominum ſe ſcribat.

Circaſſi. Circaſſorum verò Principum jure meritò, non quidem illorum, qui Ponti Euxini inter Phaſidis, & Meotidis aquas accolæ Chriſtiano tincti baptiſmo, hocquè abjurato, & Mahometico cultro circumciſi Ægyptiorum ſeminarium Mamalucorum quondam extitêre; Sed eorum, qui genere Scythæ circumciſionem, & idololatriam mixtim ſimul admittentes inter deſertum Nagaicum, & flumen Biſtrum, Ptolemæo Gerrum, priſcam Albaniam à Caſpij maris litore ad Caucaſeas usquè rupes incolunt, & ſub auſpicijs Theodori Ivanowicz à Coſacis Aſtra canenſibus Martis vi adacti fuerunt, ut Moſchis primariâ urbe ſuâ Terki cederent, ipſiquè in vicis, & oppidulis diſperſi eoſdem Dominos tributo, & obedientiâ, venerentur.

Montani. Veruntamen minùs veraciter Montanorum Principum dominum ſe jactat, etenim populi illi à Perſis Lesgi, ab Oleario verò Dageſtani, ſive Montani appellati, qui, ut is aſſerit, genere Tartari, & fortaſſis ex ijs, qui Georgiam circa annum 1240. invaſerunt; Sed, ut alii auctores paſſim poſteris tradiderunt, Georgiani, religione verò Mahometani aſperrimum montem à Turcis Brus dictum incolunt, ditionemquè ſuam ab urbe inter anguſtias Caucaſi cum maris Hircani litore coeuntis ab Alexandro Magno exſtructâ, conditorisquè nomine diù; ſed dein à ſui arctitudine ſitûs Derbentho, & Turcico vocabulo Demircapi, quod ferream Portam ſonat, vocatâ usquè ad Circaſſorum Terki extendunt, plenâ ibi libertate ſub plurium dynaſtarum gentilium ſuorum adminiſtratione, & ſupremâ Schemcalis, ſivè Lumenij ſui inſpectione fruuntur. Et Petigorienſes, ſeu Quinquemontani Cabardæ contermini priſcæ Colchidis incolæ Ottomanicam Lunam ſubditâ veneratione adorant.

Poſtrema autem titulorum generalis clauſula nequaquam otioſâ profectò eſt, præter enim eas, quas innuimus, regiones, & gentes alias Bielskia. Alexius poſſidet, & regit, inter quas præcipuæ numerantur Bielskiæ Ducatus Bielâ urbe cum caſtro inter vaſtiſſimas ſylvas ad fluvium Opſcham ſitâ nobilis, cujus Princeps Baſilius non meliori, ac vicini Severienſes, fide; ſed nec diſpari fato à Jagellonis liberis ad Magnum Moſchoviæ Ducem Joannem Baſilij cœci filium transfugit. Etenim hujus natus Baſilius trinam ejusdem prolem Principatu deinceps injurius exuit.

Reſchovia. Reſchoviæ latis finibus Ducatus urbibus Roſowâ Demetrij, Woloko, Toropecio, & Weliki Luko Stephani Poloniæ Regis olim trophæo, & alborum venatione leporum celebris.

Et Sus-

Et Susdalienſis cum urbe Archiepiſcopi ſede, & arce inter Roſthoviam & Volodimiriam Ducatus, quem Jaroslaus Sevolodicz Moſchorum Magnus Dux, antequam à Tartaris venenato convivio adhibitus vitæ ſuæ periodum in Eccleſiæ Romanæ obſequio, cui ſe operâ Joannis de Plano Carpino Ordinis Prædicatorum paulò ante addixerat, clauderet, Andreæ undecim liberorum ſuorum ſexto attribuit. Ab hoc originem duxerunt per Baſilium Baſilij ejus abnepotis pronepotem Duces Suiskii Scopinorum auctores, quorum tandem deſcendens Baſilius trucidato tragico Demetrio Tzareum ſceptrum tragicus & ipſe actor invaſit. Attamen poſteritas Susdalienſis unâ cum vicinis Galiczinis à Magno Moſchoviæ Duce Demetrio Domskoi deſcendentibus Principatibus ſuis expulſa vidit eos ab avidiſſimo alienarum ditionum helluone ſeniore Joanne Baſilowicz Magno Moſchoviæ Duce devoratos. Susdalia.

Senatum, quem in arduis Regni negotiis conſulerent, Magni Duces ſemper præſtò habuere; ſed eorum plurimi tantùm ad amoliendam à ſe perperam factorum invidiam ejusdem ſententiam in ſpeciem exquirere conſueverunt. Quorum veſtigijs Alexius egregiè inſiſtit omnia ſuo marte adminiſtrans, vel potiùs adminiſtrare ſe putans, à gratioſis enim ſuis obſeſſus, & deceptus rerum faciem aut omninò non, aut ab eorumdem præſtigijs larvatam videt. Conſtabat autem ejus ſenatus, cùm Moſchuæ degerem, ex Bojaris bis tredecim, Ocolnicijs ter decem, Dumni-Duoraninis ſeptem, omnibus ex nobilitate ei aſſidentibus, & tribus Dumni-Diakis ex populari ordine adſtantibus. Magni Ducis ſenatus.

Diviſa eſt inter eosdem arbitrariâ ejus diſpoſitione cura omnis quorumcumquè negociorum Regni cùm ad publicum ſtatum, tum ad privatum ſubditorum pertinentium. Etenim, cùm ter undecim conſtituti ſint Moſchuæ principaliores Magiſtratus, quas Pricazas vocant, ad quas tanquam ad primas inſtantias ſuas juxta diſtributionis præſcriptum omnia ſivè juſtitiam, ſivè ærarium, ſivè bellum concernentia deferantur, earum ſingulis, aliquandò & pluribus, unus ex ijſdem præeſt, qui ſummâ cum auctoritate ſubjectas ſuæ jurisdictioni cauſas dignoſcit, deſuperquè decernit majori vel minori patrimonij ſui augmento, prout ipſe magis, vel minùs favoris ſui auctionator fuerit. Sic Tzar, qui vim omnem Principatus ſibi ſervat, imaginem ejus aliquam cum Senatu ſuo communicatam illi præbet, poſtulata populorum ad diſquiſitionem Senatorum mittendo. In ſingulis autem Pricazis ſcribæ munere funguntur ſinguli Diaki, ex quibus aliquem ſemper legatis ſuis ad exteros Principes collegam Magnus Dux adjungere ſolet. Et Magiſtratus.

Gratioſorum apud eum non eſt diuturnitas, non tantùm communi cujuscumquè Aulæ vitio, per quod horum ſtatus in rerum humanarum lubrico ſemper nutans ad quemcumquè vel levem impulſum facilè prolabitur; ſed etiam quia illi homines ſunt nullius virtutis roborati fundamentis, quibus dominicæ gratiæ moles innixa eorum fulta meritis perennet. Ac gratioſi.

Præcelluerat inter omnes nuper defunctus Moroſovius ejus pueritiæ educator, nam, licèt, poſt populi in eum ſeditionem viſus fuiſſet potentiâ excidiſſe, vim tamen magis in amicitiâ Principis, quàm ſpeciem, retinens, in animo ejus ſemper validus gratiæ jacturam nunquam paſſus fuerat. Cujus veritatis plurima experimenta, à quo domi ab afflictâ valetudine ſuâ detinebatur, ei capere licuit. Quamvis De Moroſovio.

enim civilibus abſceſſerat muneribus, in corpore tamen effœto vigebat vis animi, conſilijq́; undè ſæpius ab illo clanculum viſitabatur, & ſuper gravioribus negotijs conſulebatur, homo judicio naturali, & longo rerum uſu ad gerendam rempublicam aptus, ſi immodicæ habendi cupiditati modum imponere ſciviſſet. Sed certiora ſinceri erga eum amoris ſui documenta Alexius edidit, cùm in extremâ vitæ ejus periodo eum, quamvis ſenſûs omnis & cognitionis expertem, quotidiè nihilominùs, ſterili licèt officio, nihilqué promerituro inviſere non deſtitit: & defuncto, dum humaretur, ipſe quoqué, haud inferiùs majeſtate ſuâ ratus, ſi palam lamentaretur, in templo voluit cum ceteris parentare.

De Tzaris ſocero.

Jam itaqué offert ſe nobis Bojarus Ilia Danilowicz Miloslawski Tzaris ſocer. Is è ſtercore pauperrimæ, ideoqué deſpicatiſſimæ ſuæ è grege nobilitatis erectus, & ad ſummum honorum in Moſchoviâ faſtigium repentinò ludentis fortunæ impulſu evectus maximam apud Tzarem potentiam, quia ſocer, adeptus eſt. Non eſt tamen, quòd ſe talem jactet, Moſchorum enim Principes, Melchiſedech ad inſtar, ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogiâ eſſe volunt. Cùmqué Alexius, ac, quod magis eſt, ipſa ejuſdem filia Tzariſſa eum alloquuntur, Iliam ſemper, non ſocerum, non patrem, appellant. Sed nequé gratiâ ullâ apud generum pollet, capillorum, & barbæ vellicatione, pugnorumqué impactione ab eo non ſemel exceptus. Cùm poſt cæſos exeunte autumno anno 1661. à Lituanis in Polocienſi agro Kovanskium, & Naſciokinum de adventu eò Poloni Regis cum numeroſo exercitu fama invaleſceret, & ſimul de diſcrimine Pereaslaviæ apud Circaſſios acriter à Coſacis oppugnatæ nuncius referret, ad IV. Idus Novembris, Senatum Alexius coegit, eumqué, quâ viâ, quibuſqué viribus obviam tot imminentibus hoſtibus eundum eſſet, conſuluit. Ilia, qui haud longè ab eo ſedebat, Domine, inquit, conſtitue me legionum tuarum Ducem, & ego brevì Polonum Regem captivum tibi adducam. Faſtidivit Tzar inſanam vaniſſimi Thraſonis jactantiam, & efferveſcente ab indignatione bile, Tune, fili meretricis, reſpondit, tantam artis militaris peritiam tibi arrogas? Ecquando in Martis palæſtra te exercitaſti? Enumera, quæſo, præclara militiæ tuæ facinora, undè ab ijs ſpem concipere poſſimus, te promiſſa præſtaturum. Abi delire ſenex in malam crucem. Et aſſurgens, impactâ priùs in ejus genam ſonori bombi alapâ, ejus barbam vellicando, ſiccine addidit, nequam homo, audes mihi nugis tuis illudere? Faceſſe hinc ocyus. Et hoc dicens calcibus impetitum extra conclave abegit, peſſulumqué oſtio ipſe poſt eum obdidit. Hæc, quamvis acerba, ſerviliter pro dominatione Ilia devorat, & ſtruthionis ſtomacho concoquit, modò potentiam retineat, perquam carò auctionatam inſatiabili avaritiæ ſuæ ingluviei longâ egeſtate accenſæ novam ſemper eſcam ſubminiſtret. Et tamen capularis ſenex multo minori viatico indiget, ut ad fatalis itineris ſui metam, quam ferè jam attingit, pervenire queat, & prole maſculâ orbus ad ſolas filias hæreditatem ſuam (flumen nimirum ad mare) tranſmittere debebit. Sed ita comparata eſt corruptiſſima Moſchovitarum natura. Avaritiam in pectore non pro hoſpite; ſed pro aborigine habent, eamqué, tanquam ignem olim Veſtales, ſubminiſtrato continuè alimento non ſolummodò nutriunt; ſed per ipſam alimoniam in dies augeſcere gaudent.

Alter gratiâ domini pollens nnmeratur Theodorus Michalowicz Erti-

Ertiſchew jam indè à puero Tzarei lecti ſtrator, ideoqué in omnia familiaria jura aſſuetus, nunc verò Ocolnicius, & Tzareæ Aulæ, quomodò & omnibus in univerſo Moſchovitico Dominio monetarijs officinis Præfectus. Ex hujus tamen muneris exercitio gravi apud aliquos invidia laborat, cùm auctor cudendæ æreæ monetæ, quæ cum maximo omnium detrimento auream, & argenteam à commercijs penitus eliminavit, haud injuriâ credatur, undè novit DEUS, quodnam eum à populo naturâ ſuâ ſeditioſo fatum adhuc maneat. Interim Domini aurâ validus pericula ſpernit, & aſininam Moſchorum indolem optimè noſcens eos ad onus ferendum verberibus pellit. Sed prudentiâ ſuâ, quâ vix quadragenarius plurimos inter ſenes excellit, fuſtem ſat commodè adhùc abſcondit. De Theodoro Michalowicz Ertiſchew.

Poſt hunc meritò adnumerandus venit Ocolnicius Bogdanus Mattheowicz Hitrow tertius ex Tzareis ad nobiſcum conferendum deputatis, quem bello, domiqué probatum haud parvi facere Alexius pluribus in eum collatis favoribus oſtendit. De Bogdano Mattheowicz Hitrow.

Nec prætereundus Dux Georgius Juanowicz Romodanowski Tzari à cubiculis, eumqué per aviam ſuam maternam tertio cognationis gradu attingens. Cùm hoc ingenij magis, quam judicij expediti vi aliquâ prædito ferequé coætaneo depoſito interdum Majeſtatis ſupercilio familiariùs Alexius converſatur. Iſte autem hucuſqué prudenter gratioſus non artemonem favoris vento expandit; ſed eum dolone modeſtè excipit, ut nequé in altum invidiæ pelagus feratur, undè in Iliam potentiæ anxium illidat, nec litorali neglectæ conditionis arenæ ſemper adhæreat. Munera verò, cùm pauper ſit, & paupertatem præcipuum malorum credat, avidiuſculè inſectatur. Et Duce Georgio Ivanowicz Romodanowski.

Fuit, cùm Nicon Patriarcha Tzari acceptiſſimus apud eum omnipotens videretur; ſed ab ingruente aulici fati vi dejectus jam à ſexennio in cœnobio Jeruſalem dicto, à ſe quadraginta ab urbe Moſchuâ verſtas, & trecentos tantùm ab altero monialium condito paſſus abſconditus, abjectâ quidem reſurgendi ſpe; ſed generoſo erectus animo, jacet. De caſu ejus diverſi diverſa loquuntur. Veriſimiliùs adſcribitur nimiæ indulgentiæ, quâ genio ſuo novarum rerum cupido obſecundabat, undè Moſchoviam bello Polonico ab inſtigatione ſuâ implicitam Suecico inſuper præcipiti conſilio involverit. Et apertis Moſchuæ in exterminium Moſchoviticæ ignorantiæ Latinæ, & Græcæ linguæ Gymnaſijs, ſemotiſqué è templorum parietibus altari obverſis, quæ dependebant, ſacris particularium hominum imaginibus, ne ab adorantibus eas cernuo de more corpore indecorè illud poſthaberetur: acriterqué utroqué ſexu increpito ob uſurpatas ritu Turcico purificationis ergo frequentiſſimas lotiones, ſuſpicioſis Moſchovitarum animis, & priſcæ conſuetudinis tenacibus haud obſcura conceptæ in religionis dogmatibus innovationis indicia cumulaverit. Propter quæ omnia omnibus exoſus, & ad exilium communibus votis expetitus patrocinium nullum invenerit in favore Alexij, cujus animum ſenſim abalienaverant jactis in longum odijs uxor, & ſocer illi ob privatas cauſas infenſi. Ab iſtis autem gratioſis ſuis reliquisqué primariis miniſtris ita bonus Alexius obſidetur, ut aditus ad eum nemini pateat. Ipſi verò oppreſſorum clamores, Regni neceſſitates, ſiniſtros exercituum caſus vel omninò eum celent, vel larvâ ſuis intentionibus accommodâ perſonatos ei repræſentent. De Nicone Patriarcha.

Auli-

De Tzareis Aulicis.

Aulicorum innumerâ multitudine à plurimis inter eos ſplendore natalium illuſtratâ magnificentiam affectatæ Tzareæ dignitatis oſtentat. Ejus aulam quotidiè ante meridiem frequentare proceres omnes eum veneraturi tenentur. Ad eam inciſor, qui abaco ſimul præfectus eſt, nobiles à cubiculis, pincernæ, dapiferi, reliquaqué nobilium obligatorum turba, quaſi formicæ ad granarium ſuum, concurrunt, muneri quisquè ſuo ſatisfacturi. Menſæ ſolus Tzar accumbit multo epularum apparatu utens. Aquâ fermentatâ, ut plurimùm, ſitim ſedat. Calicem tamen Hiſpanico plenum mero ad ſtomachi ſolatium exhaurit. Uxor, & filius, quamvis decennis, tantò minùs ſorores & filiæ, nec apud eum diſcumbunt unquam, nec (quo venerationis plus inſit) alieno conſpectui objiciuntur. Inter millenos Aulæ miniſtros unum ægrè audies, qui alterutrum ſemel ſe vidiſſe veraciter profiteatur. Cùmqué ſemel Tzariſſa ægra decumberet, accerſitum medicum dubiâ per obnubilatas ſipario feneſtras luce admitti in cubiculum voluit, ne oculis ejus uſurparetur, arteriamque ſubtiliſſimo protectam velo ei præbuit explorandam, ne nudo ejus contactu dextra ſua temeraretur. Si aeris captandi gratiâ exire libeat, juxta anni tempeſtatem opertâ rhedâ, aut trahâ abſcondita vehitur. Putares quatuor à te triumphantes Camillos ſpectari, ſi adeò multijugis albis equis junctam illius Jovis, aut Solis æmulæ thenſam videre daretur. Templo verò dum ſe infert, per ambulacra à palatio in illud usqué undiqué clauſa, ne fortè prophano per tranſeuntium exauguretur aſpectu, incedit, ſphæricâ feriatis diebus, aut ſimpliciter feſtivis obumbrante umbellâ à ſubſequenti nobili virgine ſupra ejus verticem ex ſuppoſito tereti ligneo fulcro ſuſpensâ. At ſolennioribus, quando tempora coronâ cingit, oblongâ à quaternis elatâ, ſub quâ medij inter eam & præeuntes Tzareas ſorores ejus utriusqué ſexûs liberi ab altrice quisqué ſuâ poſt alumni mortem monaſterio dicatâ, donec juſtè adoleverint, portantur. Antecedunt eam ſemper aliquot ex nobili gyneceo virgines, quæ ſole abſente funalia præferunt, & cum ijs, ſi defunctorum manibus parentare in animo ſit, vidua ex primoribus aliqua feralia ex melle, frumento, ficubus, & zacharo, kutiat nuncupata, argenteo incluſa vaſculo ad ſepulchra exerto brachio ferens. Nec vidua Anna Theodori Michalowicz Tzareæ aulæ Præfecti ſoror, eodem & ipſa apud dominam, ſub nomine tamen dapum, quas incidit, miniſtrantis, munere fungens, ab ejus unquam ſequela abeſt.

Et Tzaris menſa.

Nec Tzariſſa, nec filiæ ejus viſuntur.

De Tzaris promptuarijs & cellis vinarijs.

Promptuaria Tzareæ Aulæ omnibus, quæ Amalthea è fœcundato cornu ſuo ad mortalium lautitias effundere fingitur, refertiſſima: & vinariæ cellæ non tantùm Cretici, Hiſpanici, Gallici, Rhenani, & Aſtracanici vini dolijs, ſed etiam cerviſiæ, multigeniqué mulſi, & vini ſublimati cadis cumulatim interpoſitâ æſtivo tempore glacie aggeſtis ſemper repleti in rationibus diſpenſatoris Tzareorum redituum magni ſtant. Etenim non ſolùm quotidiano numeroſiſſimæ turbæ aulicæ alimento ſufficere debent. Sed etiam frequentiſſimis procerum convivijs, qui Alexij facilitate abutentes eo inſcio, neminequé hoc ad eum deferre audente, promi ſibi affatim ad convivas ſuos ſaliaribus prandijs excipiendos à promocondo, & cellarij cuſtode petunt, imò potiùs pro imperio jubent.

Reditus Magni Ducis Moſchoviæ non ſolùm, quomodo ceterorum

terorum in Orbe Principum, conſtant ex peculiaribus Principatus prædijs, & fundis: ex agrorum decumis, & agricolarum cenſibus: ex portorijs, & vectigalibus: ex ſale, & ferrifodinis: ex collectis, atque tributis; ſed inſuper ex cellis, in quibus Tzaris Hoduni invento ejus cerviſia, medones, & crematum vinum ad publicum uſum per miniſtros ſuos venalia ſub graviſſimo ceteris omnibus, ne talia vendere audeant, interdicto exponuntur. Quæ omnes latè extenſo per cuncta totius Ruſſiæ ſuæ oppida monopolio eidem ſoli lucrum ingens ex divenditis liquoribus quotannis important. Sed nequé exiguum capit ex mercaturâ, quam per emiſſarios, & ſubminiſtros emptionis, & venditionis inveterato apud Magnos Duces uſu exercet. Proſtant Moſchuæ in ejus gazophylacio vulgò venales pretioſæ omnis generis pelles, quas ei quotannis aquilonares provinciæ ſuæ definito ſingulæ numero; ſed univerſæ ferè indefinito tributi nomine pendunt. Et in publico foro vendunt lanij bubulam, vervecinam, & ſuillam: propolæqué mulierculæ poma, nuces avellanas, & lineas telas, quas rationis Magni Ducis eſſe tam apertâ profeſſione clamant, ut pertranſeuntes, quaſi hoc carmine faciliùs pelliciendos, ad emendum Tzaris carnes, Tzaris poma, Tzaris telam invitent. In emendo verò maximâ præ alijs mercatoribus pretij vilitate gaudet, quisquis enim Moſchuam merces importat, profiteri eas apud telonio præfectos ab ijsdem æſtimandas tenetur, neminiqué indicare, donec Tzar declaraverit, utrum eas emere in animo habeat. Quod ſi velit, nullus admittitur licitator.

De reditibus Magni Ducis.

Cellas omnes in cunctis ditionibus ſuis Tzar occupat.

Mercaturamqvé exercet.

Si aliquid tamen exploratè de ejus reditibus aſſerere auderem, temeritatis notâ meritò inurerer. Nulla in orbe natio res ſuas tanto ſtudio occulit, ac Moſchovitica: nulla tam obnoxia ſuſpicionibus vivit: nulla tam magnificè de ſuâ potentiâ, opibusqué mentiri eſt aſſueta. Si itaqué homo exterus Moſchovitam de ijs interroget, is vel ex merâ ignoratione, vel ex affectatâ propter ſuſpicionem, quòd Regni arcana explorare proditoriâ mente velis, vel ex inani jactantiâ aut penitus nihil, aut hyperbolicè de ijsdem reſpondebit. Germani verò mercatores de Michaelis Archangeli fani portorio, de Moſchuæ vectigali comperti aliquid dicere poſſunt, de ceteris redditibus nihil. Conijcere itaqué de ijs magis, quàm certo aſſequi, licebit ex magnitudine expenſarum, quibus ſufficiendis ejus ærarium numquam exhauritur.

Etenim immenſis, quos innuimus, Aulæ ſuæ ſumptibus addit Tzar non leve corollarium ſuppeditando omnibus pricazarum Diakis, ſivè ab actis magiſtratuum, eorumqué à concipiendis epiſtolis, & amanuenſibus: tribus artis medicæ, quos ferè numquam conſulit, profeſſoribus: pluribus, quorum praxis numquam periculum facit, ſpagiricis, & pharmacopolis: quamplurimis diverſarum artium mechanicis, quos ex varijs Europæ regionibus accitos non parvo impendio in Moſchoviam educi juſſit: ac tredecim diverſarum linguarum primarijs cum ſexaginta ſecundarijs idiotis interpretibus annuam liberali manu mercedem.

De Tzaris ſumptibus.

In legatis autem externorum Principum excipiendis, & alendis, inqué ſuis ad eos emittendis multum inſumit. Frequentes enim legationes à Romanorum Imperatoribus: à Poloniæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, & Perſarum Regibus: à Tartaris Præcopenſibus, & Nagaienſibus:

sibus: ac nonnunquam à Turcorum tyranno, nec non ab ipso Tzare ad hos ultrò citroqué commeant, omnibusqué Magnus Dux de vecturis, & alimentis per ditiones suas sufficienter (nisi commissariorum, & subministrorum rapacitas hospitalitatis liberalitatem per sexcentas concussiones in suum commodum interverteret) prospicit.

De stipêdijs militaribus in pedites.

At vorago, quæ immani semper rictu hians omnes ferè ærarij divitias absorbet, stipendia sunt militaria, quæ sivè pacis, sivè belli tempore æquè semper erogantur. Continuè enim quadraginta millia prætorianorum militum, quos Strelitzios Moschi appellant, Tzar sub signis habet, quorum partem tertiam pro corporis sui custodiâ, reliquis in limitaneis præsidijs dispertitis, quocunqué proficisci juvat, circumducit. Eorum tribunis, & centurionibus pro stipendijs sunt reditus, quos ex bonis à Tzare quasi in temporaneam fiduciam ad usum assignatis percipiunt, supra quos liberalitate jam per longum usum ferè in debitum degenerante singulis annis vestibus, ac pecuniâ ab eo donantur. Singuli autem centuriones binos habent subdelegatos, quorum unusquisqué quinquaginta militibus præest: decem decuriones: & viginti, quorum singuli quatuor gregarios mediato regunt imperio. Subcenturionibus numerat Tzar quotannis in singulos octo rublos, decurionibus septem, subdecurionibus sex, gregarijs autem militibus quinqué. Unicuiqué verò æqualiter (subcenturiones si excipias, quibus bini adduntur) viginti avenæ, & secalis modios insuper distribuit, quorum pretium infra octodecim rublos consistere solet. Cunctis etiam semel de panno pro singulis legionibus unicolore prospicit, ex quo ipsi emptis additamentis sibi togam conficiant, retradendam tamen vel à causarijs rude donatis, vel à mortui hæredibus vestiarij præfecto ad successorum usum, nisi fortè defuncti viduæ precibus eam Tzar largiatur. Ijs tamen, qui ad ejus custodiam, & præsertim in expeditionibus, pro tempore excubant, haud infrequenter panis, obsonij, & fermentati fontis congiaria præbentur: Imò & omnibus nonnunquam donativa, quorum unum trini viritim rubli in celebritate nati, dum Moschuæ essem, ejus filij Theodori distributum fuisse scio.

Et in equites erogari solitis.

His peditibus addendi sunt equites, quorum tamen nunc per paucæ legiones Tzaris stipendia merent in provinciarum limitibus ad reprimendum improvisas turbulentorum vicinorum incursiones collocatæ, unicâ semper in statione apud eum per vices consistente. Unaquæqué autem constare ex suâ institutione deberet bis mille in undecim turmas distributis equitibus, quibus officiarij juxta morem Germanorum, & exteri ferè omnes, nunc præponuntur. Menstruum autem adventilij tribuni stipendium, nisi expressa pacta consuetudini derogent, est rublorum quadraginta, vicetribuni duode viginti, supremi vigiliarum præfecti sedecim, turmæ, præfecti tredecim, vicepræfecti octo, & signiferi septem. Ceteris verò minoribus officiarijs, qui omnes Moschi sunt, persolvuntur æqué ac equitibus, annuatim in singulos rubli quinquaginta, supererogatis tamen, si contra hostem educantur, binis ad Viennensem mensuram vini distillati urnis, tribus farinæ triticeæ modijs, unico frumenticiæ, quinqué laridi lateribus, & quater viginti piscium vento exsiccatorum pondo.

De alijs peditibus.

Si verò belli vel inferendi, vel sustinendi onus sibi incumbere præsen-

præsentiat, pedites alios volones purgamenta urbium suarum ad tympani pulsum nullo alio præter spem prædæ authoramento accurrentes congruo necessitati numero Tzar authorat, quos exotico vocabulo ad differentiam Strelitziorum soldatos appellat, morequé nostro in legiones sub exteris ductoribus distribuit. Tribuno autem rublos triginta, vicetribuno quindecim, supremo vigiliarum præfecto quatuordecim, centurioni undecim, subcenturioni octo, & vexillifero quinqué cum dimidio menstruatim persolvit. Gregario verò militi, & cuilibet ex inferioribus officiarijs æqualiter sex copicorum diarium subministrat.

Hæc stipendia tam exactâ promptitudine suo quoqué tempore numerari consueverunt, ut, si primâ statim post elapsum mensem, vel annum die aliquis ex stipendiarijs coram ærarij militaris præfecto suum recepturus non comparuerit, ab hoc posterâ statim ei usqué ad ædes habitationis suæ integrum transmittatur. Si quis ex ijs in acie fortiter pugnando ceciderit, uxori ejus, donec ad secunda vota transierit, & liberis, donec adoleverint, de honestis Tzar prospicit alimentis. Captos verò ab hoste lytro persoluto redimit, conjugibus eorum interea dimidiatum stipendium, reliquum ijs, cùm postliminio reversi fuerint, persolvens.

Extranei plurimi Tzari militant.

Hinc factum, ut ex Germaniâ, Bataviâ, Angliâ, Scotiâ, alijsqué regionibus quamplurimi Tzari militaturi Moschuam confluxerint, ita ut anno 1662. præter binos militiæ legatos, binosqué generales vigiliarum præfectos, super centum exteræ nationis tribunorum nomina, plura vicetribunorum, plurima summorum vigiliarum præfectorum, & innumera ferè dixerim centurionum, & signiferorum albo suo inscripta legere potuerit. Quibus omnibus, etiam pacis tempore, otiosa numerare stipendia non gravatur, ut ingruente bello improviso eos semper præsto habeat. Novi tamen inter eos quamplurimos, quos summé pœniteat desertis paternis laribus, posthabitâqué liberâ inter populares suos militità falsâ spe lucri labyrynthum intrasse. Etenim pactis, quibus quasi Ariadnæ filo confisi sibi post definitum à se militiæ tempus dimissionem caverunt, astutè Tzar illudit, largitione hunc, alterum prece, tertium promotione, imò, si libeat, relegatione in flexuosis inextricabilium callium mæandris detinendo, omnibusqué eam indecoram viris militaribus prædicando, dum bellum ardet, vel timetur. Quo timore, cùm vastum Moschorum imperium bellicosis, & quietis impatientibus populis ferè undiquaqué cinctum, ab eorumqué invidiâ, atqué odio circumsessum, numquam vacuum esse possit, miseri numquam dimittuntur. Sed & alia, & quidem gravissima, pœnitudinis causa eos affligebat, quam accipe.

Et ferè nunquam dimittuntur.

De Russiæ monetâ

Moneta, quæ in Russiâ Moschoviticâ ab antiquo ad usum communem cuditur, nummus est argenteus oblongus, copicus vocatus, quorum quatuor cum sexaginta dalero Imperiali, cujus materiâ constant, æquilibrium faciunt. Altera est cuprea denga, quarum quatuor unius copichi pretium usuali æstimatione adæquant. Sed hæ in commercium non veniunt, & rarò admodum per forum olitorium plebis manibus teruntur. Terni copichi altinum, deni grivnam centeni verò rublum imaginariè constituunt. Commerciorum autem occasione ab advenis mercatoribus in Moschoviam importantur argentei

gentei daleri Joachimici, & ſolidi aurei, quos in Germaniâ ducatos appellamus, & hi quidem centenis, illi quinquagenis copichis æſtimantur. Quin imò haud rarò ante hac contigiſſe percepi, ut aureum ad minutiores rei familiaris exigentias ſupplendas permutare volenti quatuor tantùm ſupra decies novem, ægrè verò ſex numerarentur. Cùm autem neceſſarijs ad inchœpta bella Polonicum, & Suecicum proſequenda ſumptibus ærarium ſuum Alexius impar experiretur, perſuaderi ſibi facilè paſſus fuit, ut æreos copichos feriri mandaret æquali cum argenteis æſtimatione ab omnibus mutuo commercio accipiendos. Ex erogatis itaqué ad coemendum cuprum centum & ſexaginta copichis centenos ex eo rublos in monetarijs officinis ſuis cuſos ſibi comparavit. Unde eâdem expensâ, quâ priùs uni, jam ſexagenis, & ſupra ſtipendia perſolvit. Nequé ea per monetæ deteriorationem diminuta quisquam ſenſit, donec hæc promiſcuè cum meliori ſinè ullâ æſtimationis differentiâ ab omnibus inoffensè admittebatur. Attamen cùm Aula hâc commoditate haud contenta, avida inſuper aurum omne, & argentum ad ſe attrahendi homines ſubornaret, qui aureos, & argenteos nummos pro cupreis, quos eis ſubminiſtrabat, maximo addito collybo commutarent, animadvertens populus, quòd illa monetam ſuam parvi faceret, minoris ipſe fecit, ita ut unicum ducatum decem æreis rublis tandem redimeret. Hinc neceſſariò conſecuta eſt mercatoribus merces ſuas, ruſticisquè fruges cum ceteris cibarijs decuplo ſupra conſuetum cariores indicantibus, maxima rerum omnium difficultas, quæ ſtipendiarios docuit, quàm curti familiæ neceſſitatibus facti eſſent ærei illi copichi, qui quamvis argenteis tantò pretij intervallo inferiores, ipſis tamen haud majori, ac illi antea, numero erogabantur. Ideoqué in ipſorum animos inauſpicati ſui in Moſchoviam tranſitûs pœnitentiam, ſed ſeram, induxit.

quæ in æream degeneravit.

Uſuvenit omnibus Principibus, ut in pœnam protacti diù belli paupertate mulctentur. Alexius verò, dum bella geſſit, ab eâ ære mediante ſe redemit. Illud enim per omnes provincias ſuas latè ſpargendo ingentem auri argentiqué ſignati theſaurum per ſubmiſſos homines coemptum congeſſit, quem reconditum nequé extremæ neceſſitatis vis in lucem extrahere potis erit. Interea ſubditi omnes ad metallum, ſed æreum, damnati non ſolùm eo, quod in monetarijs domini ſui officinis publicé percutiltur, & per integrum luſtrum, à quo cudi cœptum fuerat, ad ducenties centies mille rublos jam aſcenderat, gravatur; ſed alio inſuper, quod ab exteris regionibus ingentis lucri gratiâ, ut fama fert, clam in Moſchoviam invehitur, & ab ipſis Moſchovitis ubicunqué adulterino ſigno feritur. Solus Ilia Danilowicz rublos ſexies vigeſies mille ex eo ſibi cudi curaverat. Et menſe Decembri anno 1661. Moſchuæ quadringenti æreorum copicorum clandeſtini cuſores in vinculis detinebantur. Cùm autem ruſtici, imò & ipſi nobiles pagos & prædia ſua inhabitantes uſu à majoribus ſuis accepto peculium ſuum in agris & ſylvis ſub terram defodere conſueverint, ſi quando neceſſitate, aut curioſitate exigente defoſſum æs effodere ipſis contigit, ferè totum ab ærugine propter telluris humiditatem contractâ eroſum, nulliqué ampliùs uſui aptum cum gemitu invenerunt. Verebamur itaquè ſemper, dum Moſchuæ à negocijs detineremur, ne populus, alioqui propenſione ſuâ ad ſeditiones

ditiones ſemper paratus, deſperatione adactus tumultum aliquem haud levi manu ſedandum concitaret. Præſertim cùm tantâ premeretur annonæ caritate, ut triticum bis ſeptuplicato pretio emere deberet, ceteraqué res cibaria & veſtiaria impenſo veniret. Undè aliqui jam in minas contra ſenatores prorumperent, quas pro tunc compeſcuit ſevera ab opulento mercatore de ijs prolatis convicto exacta per manus & linguæ abſciſſionem pœna.

Accedebat tædium belli à biennio tum parùm proſperi, per quod provinciæ colonis ad nova ſemper legionum ſupplementa exhauriebantur, & equeſtris ordo ob innumeros nobiles vel morte conſumptos, vel captivitate maceratos, vel longis expeditionibus attritos rareſcebat. Caret enim Moſchovia alleviatione illâ, quâ plurima Regna gaudent, quæ conducto ad bella gerenda externo milite incolis ſuis parcunt. Omnes Magni Ducis exercitus ex provincialibus ejus conſtant, demptis, quos jam innuimus, peregrinis officiarijs, qui alienæ dominationi, & religioni ſanguinem commodant.

Tzar milites ſuos omnes gregarios ex provincijs ſuis conquirit.

Et hic meritò aliquis mirabitur, quòd Moſchovitica gens exteram ſuperbâ moroſitate naucifacere aſſueta advenarum imperio obedire non detrectet. Vis hæc eſt exploratæ virtutis, quam in gentili ſuo haud invenit. Cùm enim concives ſibi invicem ſint apprimè noti, numquam alter alteri, quem ſcit æquè, ac ſe, imbellem, atquè inexpertum concedit. Adventitio verò militi, quia ab opinione ſtrenuitatis commendatur, tanquam homini juſtè ſupra ſe poſito ſinè murmure paret.

Cur milites Moſchi exteris parere non recuſent.

Conſueverant olim Magni Moſchoviæ Duces equitatum dumtaxat in hoſtes armare, nunc verò longè diversâ Alexius utitur militari ratione. Expertus enim, quòd plùs penès peditem roboris ſit, peditatûs ex prætorianis, & collectis voluntarijs bombardâ manuali, enſe, vel acinace, & lunatâ ſecuri armatis maximam manum in aciem educit. His addit longè minorem numero equitatum ex nobilibus ratione beneficiorum obligatis, & pauculis ex Regnis Caſani, & Aſtracani Tartaris coactum, rotatis ſclopis, & minoribus fiſtulis, falcatisqué gladiis, inter quos aliquot ferreo thorace, & galeâ muniuntur, inſtructum. Nec deſunt ei quamplurimi, Alexandri Macedonis dimicharum ad inſtar, amphibij generis milites deſultorij equites dragoni apud nos vulgò appellati, qui ferè omnes ex inferioris ſubſellij nobilibus Sinboiarski vocatis conſtant. Nec bellicorum tormentorum ingens apparatus, quorum tamen uſus propter Moſchorum, qui libratores agunt, imperitiam haud magno hoſtes detrimento ſolet afficere. Dux unicus exercitui, quantumvis magno, præficitur, cui legati nulli adjunguntur; ſed aliquot aſſident, conſilium, non autem operam ſuam, ei probaturi. Ab ipſo expeditionis initio diſponit ille, quæ legiones dextrum, quæ lævum cornu, quæ primum, quæ poſtremum agmen conſtituant, & ſic deinde numquam mutato ordine ad finem usqué proceditur.

Quomodò exercitus ſuos Tzar conflet.

Pedites in acie ſub ductore ſtrenuo ſtatariâ pugnâ egregiè dimicant, dummodò carragine vallentur, aut portabili vallo ſuo ex transverſis tigillis, ex quibus præacutæ ſudes undiquaqué, lanceolæ verò acuminato veru munitæ in fronte prominent, compacto ſepiantur, ita ut præfidenter hoſtem occurſantem excipere queant. Nam ſi tutum receptum haud videant, ignavè pavidi aufugiunt.

Pedites Moſchi ſunt ſtrenui.

Non ita equites.

Equites verò numquam paria edunt militaris virtutis ſpecimina, nobiles enim hoc nomine indigni adigi nequeunt, ut ſaltem ſemel in hoſtilia agmina ſcloporum exploſione impreſſionem facere tentent: aut ſi ex ijs aliquot paulò audaciores peregrinorum ductu eousqué procurrant, niſi hoſtem ſubitò fugaverint, fugiunt, peditatu ab ejusdem arbitrio captivitatis, vel necis legem ſubituro turpiter deſerto.

De exercitûs Duce.

Exercitus nulli Duci, niſi Moſcho, creduntur, in quibus eligendis non belli uſu præſtantia; ſed proſapiæ claritas ſpectatur. Perindè ac ſi illuſtres avi ac parentes unâ cum ſanguine virtutem, fortitudinem, ac experientiam in filios & nepotes neceſſariò transfunderent. Cùm itaqué humana ingenia ita comparata ſint, ut eò laborem, ac periculum impendant ſuum, undè emolumentum, atqué honorem ſperent, hacqué ſubtractâ ſpe ſtudia eorum langueant, factum eſt, ut per hæc bella, ſi cuipiam Imperatorum alicujus momenti fortuna fuit; cùm tamen mens, & ratio non dominarentur, nullius aut prudentia, aut bellicarum artium ſcientia per fortia aliqua facinora enituerit. Etenim majorum gentium homines ſummum magiſtratum adepti, eo, quem ſibi tanquam dignitati ſuæ debitum arrogant, perfunctoriè funguntur. Minorum verò à ſpe eumdem adipiſcendi excluſi, pars ſufficere putant, ſi muneri quisqué ſuo faciant ſatis, & pars ob dolorem clauſi virtuti ſuæ ad eum aditûs etiam infra debitum ſuſtentandi incumbens ſibi onus ſponte torpent. Longè conſultiùs Imperio ſuo proviſum eunt Ottomanici Reges, qui duces ex virtute ſumunt, eamqué, ac fortitudinem in quocumqué eæ emicuerint, præmijs afficiunt, & ad ſuprema militiæ, & palatij munia extollunt. Habent quidem Moſchi in exercitu haud paucos peregrinæ gentis Chiliarchas, ſed cùm ij, paucis exceptis, ex inferioribus apud nos vix calcatis gradibus, dum in Moſchoviam tranſeunt, intermedios alios ordinatæ militiæ repentino ſaltu tranſilientes, ad eminentem tribuni evadant, docere illos artem imperandi nequeunt, quam ipſi non didicerunt. Et illi ex innatâ ſuperbiâ moneri ab iſtis dedignantes conſilijs eorum interdum prudentibus haud auſcultant, donec eò errantes devenerint, undè pedem ampliùs referre non licet. Tunc in extremâ perturbatione, & ſummâ rerum trepidatione ſerâ animi flexibilitate conſilia ab ijsdem haud amplius profutura exquirunt, & exercitus irremediabiliter pereuntis adminiſtrationem ijs ultrò metu conſternati concedunt. Hinc toties ab hoſte Moſchicæ copiæ deletæ: Hinc ſtrages à Gauanski frequenter perpeſſæ: Hinc Trubetzkoi in Severiâ ingens clades: Hinc Tzeremetew in ulteriori Volyniâ, totiusqué ſeptuaginta millium exercitûs ignominioſa captivitas: Hinc ipſius Tzaris ante Rigam inconſultus conatus.

Moſchi milites in campo aperto non adeò valent.

Perpendatur belli ab eo ſivè Lituaniæ, ſivè Livoniæ illati proceſſus, & apparebit, Moſchos aliquid præſtitiſſe viſos, dum hinc à perduelle Coſacco jam fatigatus Polonus, & illinc Suecus potentiâ non ſuâ vi; ſed rebellium, & patriæ proditorum nixâ, ideoqué fluxâ mutuis odijs ſe invicem diſtinentes ad propugnandas provincias ſuas nusquam comparerent. Sed ſtatim ac pace inter eosdem coalitâ reſpirare Poloni potuere, maximis Moſchovitæ ab ijs affecti cladibus, quamvis per inhonoram cum Suecis præcipitatam pacificationem hoſtis illius onus à dorſo ſuo excuſſiſſent, huic ſoli tamen impares adeò

adeò fuêre, ut his damnis reparandis, cùm Moſchoviæ oppida exhauſta jam volonibus eſſent, pluraqué eorum cum ipsâ Moſchuâ peſtis ſæviens hominibus ferè evacuaſſet, ad colonorum delectus recurrere neceſſe fuerit, quorum tot tamen deſertis caſtris ad lares ſuos repedabant, ut numquam juſtus exercitus hoſti opponi potuerit.

Ut in arcibus, & oppidis incluſi.

Libenter tamen huic veritati aſſentior, quòd gens Moſchovitica in arcibus, & oppidis propugnandis multa ſtrenuitatis experimenta dederit, laboris enim, caloris, algoris, & inediæ patientiſſima vitæ incommodis corpore, & animo ab ipſis incunabulis occaluit. Cùmqué ſe muro ſeptam videt, præſidenter pugnat: Verumtamen nequé diffiteri volo, aliquandò à me dubitatum, an eâdem conſtantiâ, & ſucceſſu noſtræ gentis, & artis oppugnationem ſuſtineret.

Negatur à Moſchis authori ad Imperatorem ſcribendi facultas.

Remorâ interim, quæ commiſſionis noſtræ ſtiterat curſum, in dies pertinacior ad duodecimam uſqué lunam Moſchuæ nos immobiles affixit, ubi continuæ noſtræ domi incluſionis tædia, & ſolitudo amaro nobis documento fuerunt, penè nihil apud Moſchos inter pacis legatos, & belli ligatos, intereſſe. Quin imò penaciori illos carcere affligi omni literarum commercio intercepto. Petita ſæpius Moſchuæ à nobis etiam ſcripto facultas ad noſtrum Auguſtiſſimum Imperatorem ſcribendi fuit; ſed numquam impetrata. Et ſi quæ literæ ad nos datæ ex Germaniâ afferebantur, à tortore Almaſio vim paſſæ creditum ſibi ſecretum priùs prodere cogebantur, & deindè ejuſdem manibus ſtrangulatæ indignè peribant. Cùmqué ſemel Curlandiæ Dux obvium huic fraudi ſe facere credens literas ad nos ab Imperatore diligentiæ ſuæ commendatas Præfecto Duneburgi à Moſchis inſeſſi Moſchuam promovendas per expreſſum exactâ ab eo earumdem acceptarum ſcriptâ confeſſione tranſmiſiſſet, tantùm non attigit, ad quem collimaverat, ſcopum, ut magis aberraverit. Nam à procuratâ tam diligenter certâ in manus noſtras literarum traditione arcani aliquid in ijs contineri Moſchi ſuſpicati eas maximo curioſitatis ardore violarunt, & ſilentio ſuppreſſerunt. Utqué inpoſterum haud patefieret, cùm Idibus Martijs anni 1662. in palatio cum deputatis conferremus, ultrò hi nobis dixerunt, à Præfecto Duneburgi ſcriptum ad Magnum Ducem fuiſſe, quòd ipſe in Novem: tunc proximè elapſo Cæſareas ad nos directas literas à Curlandiæ Duce accepiſſet, eaſqué ob Lituanorum ex agro circumjacente prædas tunc agentium excurſiones apud ſe ad Decembrem uſqué aſſervaſſet. Cùmqué eaſdem tunc per vias haud uſitatas miſiſſet, tabellio nihilominùs in eorundem manus incidiſſet. Erat nobis indigniſſimi facti veritas perſpicuè nota; ſed cùm eam in os deputatorum ingerere relatorem prodere fuiſſet, à tali hoſtimento abhorrentes, & ulterioribus notitijs viam interſepire nolentes injuriam tacendo devoravimus. Quòd etiam repetere deindè Smolenſciæ eadem nos juſſit convenientia, quando literas à nobis ad Cæſareum in Polonia legatum exaratas, & Tzareo legato Duci Odojowski eidem tranſmittendas creditas ab eo Moſchuam Magno Duci miſſas fuiſſe comperimus. Quod Odojowski occultum credens, & prævenire volens ſuſpicionem, quam à notitiâ non traditæ à curſore legato Cæſareo epiſtolæ concepturi tandem eramus, eam à Cancellario Lituaniæ Paczio curſori ablatam, ultroneâ narratione, dum Smolenſciâ abiremus, nobiſcum mentitus eſt. Tam accuratè fallax, & mendax eſſe ſatagebat.

Hujuſquè ad eum literæ intercipiuntur.

Ægrotaverat Moſchuæ Goſievius, conclamatumqué apud Moſchos

Liberatur à captivitate sua Gosievius.

schos ex relatione medici eidem faventis de ejus vitâ fuerat; quare verentes, ne mors eum gratuitò sibi eriperet, anteveniendum rati, ne animam sine pretio efflaret, persuasos se facilè dederunt, ut quod dudum agebatur, sub promissione liberos juxta Regis oblationem impetrandi statim, ac in Lituaniam venisset, quinquè nominatim ex primoribus Moschorum apud Polonos captivorum eum dimitterent. Quem consequi excluso omni temporis intervallo debebat notus Nasciokinus, ultimam manum apud Regem tanquam Tzareus legatus impositurus ijs, quæ clam inter eundem Gosievium, & Tzareos ministros Ducem Georgium Dolgoruki, Aulæquè Præfectum Ertischew, imò & ipsum Tzarem, de pace, ejusquè conditionibus, dequè ejus filio in successorem Joannis Casimiri eligendo acta fuerant. Quasi obliti fuissent Moschi, aut penitùs ignorarent, parem spem cecidisse itritam, quando ipsorum Magnus Dux Joannes Basilides senior Joannem Hlebowicz captivum suum in libertatem emisit sub promissione ejusdem allaborandi, ut post Sigismundi Augusti obitum filius suus in Regem Poloniæ eligeretur.

In Festo Divi Alexij die Tzar Authori epulum præberi jubet.

Interim recurrente VI. Kalendas Aprilis memoriæ Divi Alexij Romani dicatâ die epulum nobis in nostro hospitio Tzar, qui eum auctorem nominis sui veneratur, more solenni præberi voluit. Consueverunt enim Moschovitæ diem nominis, quo quisquè gaudet appellari, commessationibus & perpotatione totum comburere. Obnoxia autem superstitionibus gens nequè in nominibus suâ caret. Etenim quomodò olim cerimoniarum arcana sanxerant, quominùs nomen Romæ Latinum enunciaretur, undè tam graves Valerius Soranus ejus evulgationis pœnas luere debuit, ita Moschorum plurimi non illo, quod cuiquè in baptismo inditum fuit, nomine vocantur; sed eo, quod alteri suppresso genitrices substituere verentes, ne eo publicato ad maleficia in perniciem appellati veneficæ abutantur. Sic Duces Georgius, & Petrus Dolgoruki germani, sic Cancellarius Almasius, non Georgius, non Petrus, non Almasius, sed Sawon, sed Cyrus, sed Jeroffius in baptismo nuncupati fuêre.

De Moschorum nominibus

Processio Moschorum in die palmarum

Sexto dehinc die memoria apud Moschos quammaximè celebris triumphalis humanati DEI in Regiam Judæorum urbem ingressus recolebatur. Processerat itaquè de more extra Kremelinam arcem in vicinum templum, cui sanctæ cruci in Hierusalem titulus, antecedentibus post labara, & sacras imagines à clero prælatas Aulæ primoribus Alexius temporibus aureâ coronâ gemmis interstinctâ redimitis, binisquè Palatinis proceribus ejus brachia utrinquè sustentantibus innixus. In ejus sequelam nonnulli in candidis stolis iverant Pontifices galeris ex albâ Attalicâ telâ formatis, margaritisquè à phrygione scitè ornatis capita protegentes. Indè exacto horæ quadrante ad locum, qui è conspectu portæ arcis formam dimidiati exhibens circuli à viculo inferiore per connexam sectorum lapidum seriem usquè ad superiorem latissimi ante arcem pomœrij superficiem æqualis assurgit, eodem ordine profectus fuerat. Ibi stando in ipsâ humilitatis affectatione superbè fastuosus substratas pretiosissimas mustelarum Scythicarum exuvias calcans, accitis paulò post ad se uno eodemquè tempore Dumni-Diako, sivè Regni Cancellario, Hilarione Lapoukino, & alio quodam gregario Diako, illum ad nos è tecto aliquantum è regione edito tanquam ex Orchestrâ prospectantes de bonâ

bonâ valetudine suo nomine percontatum ablegavit: alteri verò simile munus erga Suecicos legatos (quibus præsentibus jusjurandum pro observantiâ concordatæ in Livoniâ inter se & eorum Regem pacis duabus antè septimanis per osculum, perquè imagines testes interposuerat) è pegmate haud procul à nobis subitario opere ad eum usum erecto tunc conspicientes explendum injunxit. Interea, postquam nescio quæ poporum grex murmurasset, à famulari soceri sui obsequio coronâ reverenter exutus legenti Archipopo memoriæ proditum à Matthæo in primo & vigesimo Evangelij sui capite Salvatoris asinæ insidentis in urbem Sion ingressum aurem præbuit devotè attentam. Lectione absolutâ crucem à Sarkiensi Metropolitâ exulantis tunc Patriarchæ vices obeunte ori admotam demissâ reverentiâ, ejusquè dein dextram ex usu ostentatæ ad perstringendum pietatis fulgore plebis animos erga sacros Antistites Christianæ humiliationis deosculatus coronam denuò à socero vertici impositam assumpsit. Metropolita autem jumentum à duobus ex ministris Ecclesiasticis Christi discipulos repræsentantibus ex castello adductum interim conscenderat, eiquè fœminarum more insederat, cruce numquam è manibus depositâ. Frœni lora Tzar arripiens pecudem in arcem cum sessore super pannum, quo procedenti via sensim sternebatur, lentâ gravitate deduxit, concinentibus sacris mystis, & reliquorum choro per ingeminatas antiphonas pluries repetitum Judæorum Hosanna, & prætorianis militibus per totum forum utrinq; distributis frontibus solo applicatis mysterium humillimè venerantibus. Nec caruimus hâc die consuetis à Tzare lautijs.

Deducitur Author ad conferentiam cum Tzareis deputatis, à quibus expeditionis suæ decretum audit.

Ad VIII. Kalendas Maij ducti in arcem ad conferendum cum deputatis fuimus, qui Tzareum hoc nostræ expeditionis decretum ex chartâ de more nobis legerunt. Proficiscèremur secundùm desiderium nostrum Smolensciam nostro ibi munere functuri, suoquè tempore ad Clementissimum Dominum nostrum per ditiones Polonicas redituri. Daturum nobis Tzarem literas responsum suum quoad omnia à nobis proposita continentes. Et quia sacram Cæsaream Majestatem tanquam fratrem suum dilectissimum præ alijs omnibus vellet honorare, non se convivio, honore cum omnibus Cæsareis legatis in eorumdem dimissione eousquè vulgato, nos adhibiturum; sed peculiari favore nemini antea unquam exhibito prosecuturum ad familiarem conversationem in ipsa habitationis suæ penitiora conclavia illâ ipsâ horâ nos admittendo.

Excipitur cum Collega à Tzare ad familiarē conversationem.

Ascendimus itaquè in superiorem palatij contignationem ad Tzarem per scalas & ambulacra ab utrinquè stantium nitidè armatorum spissâ serie custodita & continuo peristromate undequaquè tam diligenter operta, ut nec pavimenti, nec parietum, nec fornicis, aut laquearij pars minima nuda conspiceretur. Ipse in secundo habitationis suæ satis spatioso & lapideo fornice vincto conclavi à quamplurimis accensis cereis illuminato, ac aulæis Belgicis, Persicisquè tapetijs circumquaquè vestito superbissimæ sellæ in angulo apud fenestram de more collocatæ gentili tectus pileolo margaritis gemmisquè rigente, ac eburneum scipionem preciosissimæ magnitudinis adamantibus ornatum dextrâ tenens insidebat, sedentibus ab ejus sinistro latere super scamnis ex proceribus haud paucis.

Postquam eum reveriti essemus, & nos super scamnum è conspectu suo propè alterum fenestram parieti adhærens considere jussisset,

dequé ſalute noſtrâ à ſtante apud nos Cancellario Lapoukin interrogari curaſſet, è ſede exurgens, & ſuper ſcabello eidem gradus ad inſtar affixo ſtans depoſitis pileolo, & baculo, acceptâquè à porrigente pincernâ maximâ chryſtallinâ paterâ mulſo liquore impletâ propinavit mihi ſalutem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſui amantiſſimi fratris addito voto in hæc verba, DEUS concedat, ut nos Magni Domini de inimicis noſtris triumphare poſſimus, quam terno hauſtu exſiccavit. Tum reſumpto pileo reſedit, mihiquè maximum inaurati argenti ſcyphum mero plenum manu ſuâ porrexit, idemqué mox erga collegam meum fecit. Imò & erga tres ex noſtris familiaribus, quos veniâ datâ nobiſcum introduxeramus. His ex hauſtis quinqué inſuper unum poſt aliud pocula diverſorum liquorum, ipſe tamen haud ampliùs bibens nobis haurienda eodem ordine & modo dedit. Quæ omnia ordinatim pro ejus incolumitate, filij primogeniti, junioris, totius ejusdem familiæ, & pro felici bonæ pacis ſucceſſu ſucceſſivè ebibimus. Hoc poſtremum ille audiens votum dixit, hoc foret magnum opus. His expletis abivimus cum hâc obſervatione, quòd pocillatores, qui ſcyphos nobis à Tzare tradendos in conclave inferebant, tecto ſemper capite intrarent, & adſtarent, etiam dum illos ei porrigerent, quamvis magnates omnes detecti ſederent. Cùm autem pocula ab ebibentibus expectarent, caput aperirent, illisqué reſumptis hoc denuò ad abitum operirent.

Admittuntur author, & Collega à Tzare pro ultimâ expeditione. eisq; epulum præbetur.

Poſtero die ad publicam admiſſionem in eundem locum, & cum ijsdem formis in ſecundâ nobiſcum uſitatis introducti coram Alexio ſuimus. Poſtquam Cancellarius apud nos ſtans decretum expeditionis noſtræ legiſſet, exurgens ille è ſolio injunxit nobis, ut venientes ad Sacram Cæſaream Majeſtatem fratrem ſuum chariſſimum Eam nomine ſuo peramanter ſalutaremus. Literas poſtmodum ad eamdem ſuas nobis conſignavit, & ad oſculum dextræ admiſſos dimiſit. Eodemqué die in noſtris ædibus epulum nobis cum ſolenni in omnibus apparatu præbitum ejus mandato fuit.

Et deindè donaria mittŭtur.

Quatriduo poſt quadringentis me varij pretij ſpolijs zebellinis, & collegam meum ter octuaginta in munerum à nobis ei oblatorum penſationem, additis inſuper mihi quatuor, & collegæ duobus in conſiderationem nuperæ noſtræ familiaris compotationis donavit. Cum quibus ducenta etiam inter domeſticos noſtros diſtribuenda ſimiliter tranſmiſit.

Diſcedunt Moſchuâ De Moſaiſco.

Pridiè nonas Maij Moſchuâ diſcedentes, octavo Idus ſeptuaginta verſtis emenſis Moſaiſcum venimus. Oppidum eſt ligneum ſub firmâ lapideæ arcis protectione à Demetrio Ivanowicz Magno Moſchorum Duce Andreæ filio olim attributum; ſed haud longo poſt tempore ejus nepoti Joanni ab alio Joanne Baſilij cœci filio Moſchorum Monarchâ ereptum, & ab ejus nato Baſilio ob diverſicolorum leporum venationem frequentatum, ſesquimenſis olim ſpatio ab Uladislao Rege, & magno illo Chodkievicio fruſtra oppugnatum. Regitur à Palatino ſuo Moſchoviæ provinciæ membro.

Et Wieſmâ.

Ad quintum Idus ejusdem Maij poſt centum, & triginta continuæ ſylvæ, quam unicus dumtaxat pagus Tzarowe Zamieſice à ſolitudine vindicat, verſtas Wieſmam intravimus. Oppidum ædificijs in collibus leniter editis pagatim diſſipatis conſtans ligneum eſt. Caſtrum habet ſex lateritijs munitum turribus, quarum tamen interca-

tercapedines vicinum dedit nemus. Subeſt eidem cum Moſaiſco ſub peculiari Palatino ſuo provinciæ; cùm tamen olim ſuos habuiſſet Duces. Etenim anno 1435. Michael Leonis filius Wieſmæ Dux pugnans pro Boleslao Swidrigelone contra Sigiſmundum Magnum Lituaniæ Ducem ab hujus filio Michaele captus ab illo interficitur.

Alterâ die quintodecimus à Wieſmâ lapis binos nobis in conſpectum cippos, ſivè terræ tumulos dedit, Moſchos inter & Lituanos ab Uladislao IV. Poloniæ Rege apud rivum Polanowka per pacem cum Michaele Fedorowicz Ruſſorum Magno Duce anno 1634. in pago Diwilinâ ſancitam erectos utrinquè terminos. At ſequenti in pagum Blogoweſtine venimus, ibiqué pernoctavimus.

Boryſthenis deſcriptio.

Hic fluvium Dnieperum, à priſcis Geographis Boryſthenem dictum, primùm vidimus. Fons ejus juxta pagum Dnyepersko in ſylvâ Volkonskia quinquaginta à Volgæ origine verſtas diſtat. Ex eo lento paſſu procedens Wieſmâ non adeò procul præterfluit, dumque oppida, & urbes Drohobuſum, Smolenſciam, Dubrownam, Orszam, Kopiſium, Szkloviam, Mohiloviam, Brakalabowiam, Bichoviamqué in alvei fundo magis, quàm in ſuperficie rapidus præterlabitur, fluenta Choranum, Mzeriam, Orſzankam, & Baranum in ſe recipit. Sed rursùs reflexo curſu Rogoczowiam, Rezeczicam, Cholmieziam, Loiowagoram, Lubeczam, Nawoſiam, Kyoviam, Trethymiroviam à Stephano Rege Coſacis attributam, Kaniowiam, Circaſſios, ac poſt catadupas, ubi per rupium & ſaxorum gradatim prærupta delabitur, Kudacum à Konietzpolskio anno 1637. conditum, Simimaiokum, juxtaqué Rogutkiermen, Teginkam, & è regione Tartarorum Oſtamkirmen, Turcorumqué Oczakoviam, olim Olbiopolim, & Miletopolim ſtringit, tanto ab admiſſis per hoc decurſûs ſui ſpatium amnibus Druco, Bobofrâ, Berezinâ, Wiodrayca, Soszia, Brahino, Pripetio, Repino, Dzieſnâ, Stuhâ, Iczycâ, Trubiece, Roſſo, Supoio, Sulâ, Horolo, Pſezolo, Worſtlo, Taszmino, Orelo, Samarâ, Konskawodâ, priſcis Panticape, Inguleco, & in ipſis ſuis faucibus Bugo, vel Hyppani aquarum incremento, ut poſt mille millenos ab ortu ſuo paſſus per ſinum Carcinitum latiſſimo oſtio in Pontum Euxinum illabendo aliud in mare majus haud minus mare effundere videatur. Et effunderet etiam diſtribuendas in adjacentes Ponto provincias, inquè Thraciam, & Græciam liberali commercio Ruſſicas opes, niſi Tartarorum latrocinia, & nocentior latronibus Turcus mercatoribus abſtinendi ab illâ viâ neceſſitatem impoſuiſſent. Verumtamen, quia alpinis, & Scythicis muſtelis carere nec Græcus luxus, nec Turcica ſuperbia volunt, per Thraciam, Moeſiam inferiorem, Beſſarabiam, Romanorum ſub Flacco coloniam, Podoliam, & Boryſthenis accolas Circaſſios Græcos mercatores in Moſchoviam cum pyropis, ſaphyris, & caprinis ex Ancyra pannis cymatilibus, ſeu undulatis emittunt, ut indè vel permutatione, vel pecuniâ utrinqué arbitrariam æſtimationem adimplente pro inductis mercibus cupitas pelles educant.

Drohobuſum.

Pridie Idus Maij Drohobuſum in ditione Smolenſcenſi æquali inter Wieſmam, & Smolenſciam nonaginta verſtarum diſtantiâ per montis declive ad lævam Boryſthenis ripam decurrens oppidum cum caſtro aſſerum palorumqué loricâ permunito, olim Jeremiæ Jaroslai primi Tuveriæ Magni Ducis ex filio Michaele per nepotem Conſtanti-

ſtantinum pronepotis ejusqué deſcendentium hæreditariam portionem, invecti ſumus, & ad XIV. Kal: Junij per vias ſemper negligentiſſimè munitas, ac propter diſcontinuos truncos curribus aſperas Smolenſciam in Albâ Ruſſiâ pervenimus.

Smolenſcia. Dividebatur olim Smolenſcia in urbem, & arcem, quas ſublicio ponte à Hieronymo Ciechanowicz Judice ſuo terreſtri junctas perfluit Boryſthenes. Nunc urbe totâ, quæ octonis millibus ædium conſtabat, & anno 1609. dum à Sigiſmundo III. invaderetur, ab ipſismet incolis incenſa fuit, deletâ arx ſola ſtat, quæ à ſupinis vallibus ad colles per ardua, & prærupta declivia montis, ubi Magni Alexandri aras olim ſtetiſſe Vapovius tradit, aſſurgens lævæ Boryſthenis ripæ imminet. Circumdatur muro duodenis geometricis pedibus craſſo, qui à terrâ è ſecto lapide ter ſeptem, ac inſuper duodetriginta ex lateribus dominantibus Magno Duce Theodoro Ivanowicz, ejusqué ſucceſſore Boriſſo Hoduno conſtructus exurgit, à duodequadraginta turribus ſpatio paſſuum ter mille juſto intervallo diſpoſitis protectus. Vallo tamen nullo, foſſâ nullâ ejus aditu hoſtis arcetur. Agger duntaxat; ſed non continuus, in pomœrio interiori, ut propugnatoribus à dirutis machinarum, aut cuniculorum violentiâ mœnibus per oppugnantium impreſſionem ſummotis refugium ad novam defenſionem præbeat, eſt excitatus. Intra hunc ambitum raræ admodum ſunt domus magnas ſingulæ areas comprehendentes, & quamplurimæ haud modicos hortos, quare infrequenter habitatur. Habuit inſtitutum à Rege Poloniæ Sigiſmundo III. & ab Urbano VIII. Pontifice ſub ejusdem filio Uladislao IV. confirmatum orthodoxæ Latinæ fidei Epiſcopum, & Græcæ cum Eccleſiâ Romanâ communicantem Archiepiſcopum, quibus ejectis Ruſſici ſchiſmatis Archipræſulem Alexius ſuffecit. Præter autem Abbatiam & cœnobium ſanctimonialium ordinis Sancti Baſilij Magni ſub Romanæ Eccleſiæ ſubjectione habuit etiam Collegium Societatis JESU, Conventusqué ordinis prædicatorum, & Ordinis Minorum de obſervantiâ à Sigiſmundo III. fundatos. Plurimi enim ibi fuere Romanæ religioni addicti, quorum partem haud minimam contra fidem transactionis in traditione arcis utrinqué ſtipulatæ ſeu minis territos, ſeu promiſſis oneratos, ſeu apertâ vi præhenſos iterato baptiſmo ſacra profiteri ſua conſilio, & operâ Alberti Golimontij DEI, & patriæ proditoris Moſchovitæ coegerunt. Reliquos, qui ab inconcuſsâ conſtantiſſimæ Catholicæ religionis petrâ nullo aſtu, nullâ vi deturbari potuerunt, templis, ſacerdotibus, & ſacramentis carere juſſerunt, ſperantes, quòd tandem miſereulæ oves paſtoribus deſtitutæ extra caulam ſanctuarij ſui, quod in prytaneum converſum vident, errare adactæ ad luporum luſtra divertere debeant. Quas omnes injurias à quodlibet alio ſub quibuscumqué pactis dedititio oppido neutiquam abſtinuerunt. Turcorum tyrannus omnes quidem religiones infra Mahometanam ſuam habet, Romanæ tamen æqué, ac Græcæ hominibus ſacrorum ſuorum publicum concedit exercitium. Peram, ſeu Galatam, Genuenſium quondam coloniam à Conſtantini urbe anguſto Boſphori Thracij emiſſario ſinu canali nuncupato diſcretam binis ante ſeculis à Mahomete ſubactam, præteritis alijs quam plurimis ſub Ottomanico dominatu eâdem libertate fruentibus, unicum hujus veritatis teſtem produco. Ibi, qui ſanctiſſimorum Patriarcharum

Catholici contra pacta ad Moſchovitica ſacra tranſire coguntur.

Turci Galathæ Catholicos tolerant.

rum Ignatij, Dominici, & Franciſci ſivè laxiori ſivè ſtrictiori obſervantiâ inſtituta ſectantur, palam & publicè patentibus templorum foribus concurrentibus quotidiè catholicis ſinè ullâ interpellatione Divina peragunt ſolenniter officia. At Moſchovitæ vix oppidum aut urbem aliquam patefactis à credulorum civium deditione portis ingrediuntur, cùm pacta quæcumqué, & qualicumqué roborata jurejurando ſusqué dequé habentes extemplò quicquid catholicam fidem ſpirat, extinguunt. Viderint itaqué Catholici illi, qui Ruſſis contrà Catholicos ſtipendia faciunt, quomodo tam improbæ militiæ rationem Divino ſint Judici reddituri. Nequaquam enim futile illud quorumdam admittetur ſubterfugium, quod per talia bella de regione, non religione primariò certetur, cetera autem mala ſecundariò, & præter intentionem eveniant, ideoqué ipſi in ijs culpâ vacent. Eruditi etenim à confirmatâ pluribus tempeſtatibus experientiâ potuerunt, quòd mala illa connexitate adeò inſeparabili primariæ intentioni in Moſchoviticis bellis conſequantur, ut quocumqué infeſta ſigna Marte propitio Moſchi inferant, & illa ſimul ſemper continuò importent. Interea, dum illis DEUS meliorem dabit mentem, laudanda erit ejus erga puſillum gregem ſuum Catholicum bonitas, quandoquidem Moſchorum intellectum per ipſius felicitatis caliginoſum ſplendorem adeò occœcat, ut non videant, tranſitum à ſummâ libertate ad ſummam ſervitutem nullo interjecto medio ſinè maximâ violentiâ fieri minimè poſſe, violentiæ autem diuturnitatem numquam aptari. Tyrannis ab ijs in Lituanos exercita horum animos ita abalienavit, fidequé dimovit, ut tanto eos odio ex provincijs ſuis ejecerint, quanto in eas favore admiſerant.

At Moſchovitæ nullibi.

Conſulitur Catholicis, ne Moſchovitis contra Catholicos militent.

Patientia interim miſeræ Moſchoviticæ plebis vilitatem æreæ monetæ in ſummâ annonæ caritate ſufficere ſibi ad tolerandam inopiam ſuam minimè poſſe amaro experimento comperiens in furorem verſa inſanam Moſchuæ concitavit ſeditionem, quæ, uti fieri aſſolet in omnibus duce carentibus, auctoribus ſuis exitio fuit. Pridie Nonas Auguſti anni 1662. ex duodeviginti ultimæ fœcis millibus conjuratis pars dimidia ſolis cultris armati Alexium ſexto ab urbe lapide ruri agentem adierunt, & juxta morem vulgi nobilitati, & potentiæ ſemper infenſi, prolatis innumeris contra ejus ſocerum Iliam Danilowicz Miloslawski avunculum Simonem Lukianowicz Streſchnew, Aulæ Præfectum Fedorum Mihalowicz Ertiſchew, Bogdanum Mattheowicz Hitrow, & Joannem Andrewicz Miloslauski querelis ſuperbarum aurium, contumelioſi oris, concuſſionis, peculatûs, & proditionis eos ad mortem depopoſcerunt. Alexius pridie ejus diei de hâc conſpiratione ſecretò prænonitus conſiderans, naſcentia mala facilè opprimi poſſe, & boni medici ad inſtar vitioſas partes ſanare malens, quàm reſecare, paraverat mellea verba, ut inſanientium amaritudinem edulcaret, iramqué emolliret. At, ſi incipiens adhuc, & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs non flecteretur, ne, dum malum inveteraſcit, robuſtius fieret, etiam vindex ferrum acuerat, ut radicitùs illud præcideret pertinaces in ſuâ contumaciâ puniendo. Reſpondit itaqué illis, iniqué flagitari, ut accuſati accuſatorum iræ ad exitium dederentur. Eſſe ſe omnium Dominum: Inquiſiturum in reos, & in criminis compertos ſinè ullâ perſonarum diſcretione pro modo culpæ ſeverè animadverſurum. Uxo-

Moſchuenſis plebis propter monetam ſeditio. 1662.

remque ſuam, & filium præſentes hujus ſuæ promiſſionis ijs obtulit vades. Illi verò ex his verbis formidinem in Alexio arguentes, ideoqué majoribus animis inſoleſcentes, nequé contumelioſis in Tzariſſam verbis abſtinuere. Excanduit irâ Alexius; & ad prætorianos, aulicosqué ſuos converſus, liberate me ab his canibus, inquit. Confeſtimqué illi in ſeditioſos irruentes ferè omnes trucidarunt. Non periere tamen omninò inulti, cùm prætorianorum haud paucos cultris per deſperatam audaciam in pectus adactis ſibi in inferias immolaverint. Ter mille, qui in ſubſidium ſuorum ex compoſito armati ſucceſſerant, cùm cæſos eos ſuâ ſpe citiùs inveniſſent, ad tutiora conſilia converſi projectis armis ante Tzarem proſtrati mortem, quam promeriti eſſent, deprecati, ut in Sibiriam relegarentur, à placatâ jam per aliorum pœnam Alexij irâ obtinuerunt. Moſchuæ deindè in foris, & compitis erecta patibula quingentos ex ijs, qui ibidem ad ditiorum diripiendas domos remanſerant, exceperunt.

Quæ graviter punitur.

Diſcedunt author & Collega Smolenſcia.

Tandem ad octavum Nonas Septembris abire decrevimus, & abnuentibus Moſchis vehicula nobis concedere propter metum, ne à Lituanis retinerentur, naves conſcendimus. Prono itaqué Boryſthene Dubrownam, oppidum Palatinatûs olim Micislavienſis, nunc verò Vitepſcenſis octuaginta à Smolenſciâ paſſuum millia in utrâqué fluvij ripâ multâ ædium frequentiâ olim aſſurgens, nunc per bellum Moſchoviticum cum magnâ Domini ſui Georgij Caroli Hlebowicz à Montivido filio Gedimini Magni Lituaniæ Ducis ultimi virilis ſexûs deſcendentis rei familiaris jacturâ miſerè vaſtatum, priùs prætervecti ſuimus. Orſzam deindè Palatinatûs Vitepſcenſis viginti mille indè paſſus, quà Orszanka amnis Boryſthenem ſubit, & è regione utriqué pariter fluminis oræ incumbens oppidum pridiè Idus Septembris appulimus.

Adhuc tamen leucâ indè aberamus, cùm triſtiſſimum oculis meis ſe obtulit ſpectaculum. Adoleſcens, quem haud ita pridem ex ephebis emancipatum ſub liberiori ad cubiculum diſciplinâ admiſeram, videns cymbulam ex cavâ arbore ſecus navim meam à remige actam, deſiderium concepit, in eam ſe conferendi, ut per Boryſthenem hùc illùc animi gratiâ vagare poſſet. Et, ut erat mente ſubitaneis obnoxia impetibus, illicò evocato remige in eam è proâ meâ proſilijt. Studebant conſocij ejus mei familiares ſanis monitis revocare evidenter periclitantem; ſed miſer, quem fata premebant inſtantia, ſtultè deridebat prudenter monentes. Cùm, ecce, vertitur cymbula, & infelicem cum remige in flumen effundit. Apprehendit uterqué naturâ dictante infidum lignum ſperantes ſalutem à periculi ſui causâ. Cùm autem uterqué in illud aſcendere contenderent, ter verſum eos toties excuſſit. Interea infelicis adoleſcentis veſtes, quibus juxta prævalentem apud juvenculos Gallicum morem & colligatis, & ſuccinctis erat indutus, aquâ oppletæ pondere ſuo deorſum ſecum miſerum detraxerunt à nemine unquam amplius viſum. Remex, qui vix induſio, & feminalibus aliquatenus tectus faciliùs ab undis ſuſtentabatur, cymbulam ab altero jam liberam ſolus arripiens, eamquè pro libitu verſans, brevi niſu in eâ ita ſe aptavit, ut extenſus exerto tantum capite extra aquam, quâ inundabatur, à ſecundo fluminis curſu deferri ſe ſineret, donec ab alijs noſtris ſupervenientibus navibus ſuſciperetur.

Authoris cubicularius in Boryſthene ſubmergitur.

Stra-

Stratum erat ad Orszam flumen ligneo humilibus navibus innixo ponte ſolis piſcatorijs cymbulis pervio, cujus præfectus obvius nobis appellentibus eques factus intentâ in navigia noſtra clavâ minitabundus inhibuit, ne exſcenderemus.

Ad Orſzam prohibetur author exſcenſu.

Cùm tamen iſte ſit locus, per quem ex Ducatu Smolenſcenſi in Lituaniam proficiſcentes relictis navibus terrâ iter per Odruſios Vapovij campos arripere conſueverunt, miſſo Alexandro Woiski Bichoviæ Clericorum Regularium Divi Auguſtini Præpoſito, quem à captivitate Moſchoviticâ noſtrâ interceſſione liberatum ad ſuos reducebamus, petijmus à Vicepræfecto Kozariski, ut equos, & vehicula ad iter terrâ proſequendum nobis ibi conducere liceret. Quòd rotundè negavit. Nequé ante craſtini meridiem exorari potuit, ut ſaltem tranſitum navibus noſtris ulteriùs deſcenſuris patefacto ponte concederet.

Kopiſium eâ die ſole occidente venimus, oppidum ligneum Palatinatûs Micislavienſis ligneo ſepto turribus munito vallatum, ligneâqué arce in edito colle mediâ protectum quindecim ab Orszâ paſſuum millibus in lævâ fluminis ripâ ædificatum, & ad Principem Bogislaum Radivilium ſpectans.

Itaqué prætervehitur.

Poſtero bis decem millibus emenſis Zklowiam venimus, nobile Palatinatûs Polocenſis in dextrâ fluminis ripâ oppidum, ligneum & ipſum probequé munitum cum toto ſuo comitatu poſt obitum Alexandri Chodkievitij ejus ex filiâ nepotem Sieniavium Dominum agnoſcens. Quamvis autem hic Præfectum Andream Dzierzanowski longè humaniorem experti fuerimus; tranſitum tamen terrâ à timente, ne ſibi Polono à Lituanis vitio verteretur, quod contra Orszanum exemplum nos admiſiſſet, impetrare haud valuimus.

Sed nequé Zkloviæ exſcenſus conceditur.

Deſcendimus itaqué, Bichoviam priùs arcem ligneam lævæ Boryſthenis ripæ in Palatinatu Polocenſi adjacentem prætervecti, curſu viginti millium Mohiloviam Vitepſcenſis Palatinatus urbem; ſed liberè Regiam, tot oſtia pulſaturi, donec unum nobis patuiſſet. Hìc, poſtquam biduo ripæ hæſiſſemus, urbis ſenatus hoſpitio nos ulteriùs prohibere erubuit. Introſuſceptis itaqué quà, & quò liberet, proficiſci permiſit.

At benè Mohiloviæ.

Nomen Mohilowi, quo ſepultura ſtirpis alicujus ſignificatur, diù in editâ Boryſthenis dextrâ ripâ raucæ admodum famæ fuit. At Albæ Ruſſiæ mercatores opportunitate loci allecti eò commigrantes fixis deindé domicilijs frequentes adeò centum ab hinc retrò annis eum incoluerunt, ut ampli eidem formam fecerint emporij per univerſas Ruſſias celeberrimi. Chriſtianam fidem Græco ritu ſchiſmaticé profitetur, licet bina catholici Romani templa habuerit: parochiale nimirùm à Moſchis dirutum, cui nunc parochi ſui canonici Michaëlis Obrinski curâ ſacellum, dum meliora ſuccedant tempora, vidimus ſubſtitutum: aliudquè Carmelitarum ab ijſdem Moſchovitis omnino everſum, cujus ſitus ab unico ejuſdem ordinis ſacerdote nunc inſidetur, ne ejus poſſeſſio, quaſi animo derelicta, civiliter amittatur. Patres Societatis JESU collegium hìc nullum unquam habuerunt, & Alexander Goſievius ſuum illis Vitepſciæ, non, ut Piaſecius erroneè ſcribit, Mohilowiæ, exſtruxit. Anno 1654. ad XVI. Kalendas Septembris cùm octo mille extra & intra ambitum ſuum vallo propugnaculis, & foſsâ egregiè munitum, tormentiſquè inſtructum ædes numeraret, irruenti in Lituaniam conjuncto Coſacis Zaporovianis Magno Moſchorum Duci

De Mohiloviâ.

Alexio

Alexio legitimum Dominum ſuum Poloniæ Regem à fortunâ tunc deſertum deſerens ſpontaneâ deditione ſe tradidit, ſperans ſortem ſub protectione gentis eadem ſacra colentis meliorem. Fruſtrata deindè ſpe ſuâ infeliciter didicit, ſubditis uſui non eſſe dominorum mutationes. Cùm igitur à Moſchis per bonam fortunam dementatis peſſumdatam, diminutam, & in deteriùs lapſam ſe diù luxiſſet, deterſis deſperationis manu inutilibus lachrymis vindices ſpiritus aſſumens ad III. Idus Februarij anni 1661. conjuratione factâ circa nonam matutinam ad æris campani pulſum nongentos & ſexaginta præſidiarios Moſchos, dum centum & quinquaginta per tumultum elabebantur, trucidavit, ſequé in libertatem vindicavit. Nunc duplici proditione ſuperba recuperata ſuæ civitatis jura tantâ impotentiâ tuetur, ut, quamvis catholici ſuam etiam Senatûs partem obtineant, Regem ſuum vix in ſuperiorem dignetur agnoſcere, præſidium certè ejus recuſet, ſolis civibus ſuis, qui quatuor millium ad arma ferenda idoneorum numerum etiamnum explent, mœnium portarumquè cuſtodiam concredens. Ceterùm gens rudis, fallax, & à Moſchorum moribus (ſi immodicam libertatis ſuæ curam dempſeris) ſicut ceteri Ruſſi, parùm abhorrens. Oeconomia eſt hic menſæ Regiæ quotannis pacis tempore centum millia thalerorum ſubminiſtrare ſolita, cujus utiliſſimam adminiſtrationem Rex Goſievio poſtliminio redeunti conceſſerat.

Diſcedunt author & Collega Mohiloviâ.

Ex pagis huic œconomiæ ſubditis jumenta & ploſtella, quæ nos & impedimenta noſtra Vilnam uſqué veherent, impenſo precio conduximus.

De Boriſoviâ.

Ad V. Kalendas Octobris nobis Mohiloviâ diſcedentibus, & ad Pontum Axenum magis nobis axenum & inhoſpitalem Boryſthenem decurrentem relinquentibus ad VI. Nonas ejuſdem Boriſovia Palatinatus Minſcenſis à conditore ſuo Polociæ Duce Ginvilonis Novogrodeki Ducis filio nomen ſortita, paſſuſqué ſexies viginti mille à Mohiloviâ diſcreta ſe in conſpectum dedit. Binis conſtat arcibus ad lævam Berezinæ ripam, cujus undæ à confluente Schâ adjutæ eas interfluunt & circumdant. Nullæ in ijs ædes præter miſeram Præfecti habitationem cum Sacello Græcis ſacris deſtinato. Moſchi eas anno 1655. menſe Julio vi expugnarunt, & eodem menſe; ſed poſt ſeptennium, per lentam obſidionem fame macerati eas Lituanis reddere debuerunt. Oppidum tamen, quod ijſdem adjacebat, totum deletum eſt. Hic ante ſublicium pontem, quo paludoſus Scha ſuperatur, moram ſatis longam trahere debuimus, priuſquàm Præfecto perſuaderemus, ut per eum ad marginem Berezinæ fluvij, quem aliqui priſcorum eſſe Boryſthenem argumentis parum ſtringentibus ducti ſuſpicantur, nos tranſire permitteret.

Fluvius Berezina.

Ibi pernoctantes fluvium poſtremo die lintre trajecimus. Ortum is ſuum haud longè à pago Doxice Boriſſovienſis diſtrictus ducens, ingentem priùs paludem ſecans, parvumqué in eâ hauriens rivum Boriſoviam alluit. Receptis indè fluentis Bobro, Swisloczâ, Wolcznâ, Bobriciâ, Prediwinâ, Uszâ, Olhâ, Zerdzia, & Swieco Howolium præterfluens inter Striesnam & Rzeczicam Boryſthenem influit.

De Oppido Minſco

Tertio Nonas Octobris ſeptuaginta nemoroſæ ſolitudinis paſſuum millibus emenſis Minſcum Palatinatûs ſui metropolim, urbem collibus impoſitam & fluento imminentem ſupremo totius Lituaniæ tribunali poſt

poſt Vilnam cum Novogrodeko alternando ſingulis triennijs decoratam venimus, & deſolationem ei à Moſchis illatam triſtibus oculis hauſimus. Baſiliani uniti, Dominicani, Bernardini, Sanctimoniales diruta clauſtra ſua & templa ſuffragantibus piorum largitionibus ibi jam reparare occœperant. Et Patres Societatis JESU ad jacienda Collegij ibidem inſtituendi fundamenta ſe inſtruebant.

Ad tertium Idus Octobris decies & ſexageſiès mille paſſus vecti multis per laborioſum hoc iter incommodis affecti ſæpius in ſylvis & ſolitudinibus per Moſchoviticam vaſtationem factis ſub dio aëris & latronum injurijs opportuni pernoctantes inviſi ubicumqué & deſpecti Vilnam, vel Vilnæ potiùs buſtum, attigimus.

Author & Collega extra Vilnam à Lituanis excipiuntur.

Degebant ibi tunc plurimi ex Magni Ducatûs Lituaniæ proceribus, & præſertim ij, quibus commiſſum à Rege, & Republicâ fuerat, ut ſub directione ducis campeſtris Goſievij exercitum, qui ob notas Orbi cauſas ſeceſſionem fecerat, ac exutâ contra fas diſciplinæ debitâ Ducibus ſuis obedientiâ, ijſqué repudiatis Zeronſcium ſubſtituerat, ſtipendia ſua protervè efflagitans ad antiquum obſequium reducere opportunis medijs conarentur. Hi obviam nobis ad quadringentos extra urbem paſſus emiſerunt Albertum Conſtantium Ciechanowicium Præfectum Oſmianenſem militum tribunum, ac exercitui fœderato à conſilijs, qui numeroſo procerum ac nobilium comitatu ſtipatus in honorem Cæſaris nos humaniter excepit, & in factâ nobis priùs obviâ ſupremi Theſaurarij, & ducis campeſtris Goſievij rhedâ nobiſcum ſedens nos in hoſpitium introduxit.

De Urbe Vilnâ.

Alluit hanc urbem Vilia haud magni lacûs à fontibus Berezinæ non adeò diſſiti parva ſoboles; ſed hauſtis Dewinoſij, Serwoczæ, Uzlæ, Naraczæ, Oſmianæqué humoribus jam grandior exiguum apud eam amnem Vilnam, undè nomen habet, abripiens, eumqué cum Vakâ, Brazalâ, & Swientâ amne Lituaniæ ſacro in Nemenum apud Caunam deferens. Ejus conditor Gediminus Magnus Lituaniæ Dux fuiſſe traditur, qui anno 1305. collibus apud confluentes Viliam & Vilnam binas arces, alteram inferiùs ad montis radices Vilnâ fluvio cinctam, ſuperiùs alteram in ipſo jugo impoſuit, quibus deinde tantus ædium numerus à mercatoribus undiquaqué eo convenientibus excitatarum acceſſit, ut dignam fecerit, quæ inter magnas urbes connumeraretur, & Palatino Caſtellanoqué conſtitutis in metropolim non ſolum Lituaniæ ſuæ; ſed etiam totius Magni Ducatus evaderet, adeptâ ſuffragij ferendi in electione Regum poteſtate. Jagello, poſtquam baptiſmi undis renatus fuiſſet, circa annum 1387. eam epiſcopatu à ſe dotato decoravit, cujus jurisdictioni Palatinatus Vilnenſis, Trocenſis, Novogrodenſis, Polocenſis, Vitepſcenſis, Minſcenſis, & pars magna Podoliæ, & Poleſiæ ſubſunt, cujuſqué ſuffraganeus eſt Epiſcopus Metonenſis, qui ex Collegio canonicorum Cathedralis Eccleſiæ eligi ſolet. Anno 1506. muro, non undiquè, incurioſiùs ſepta, immenſisqué in dies aucta ſuburbijs Spartanæ civitatis ad inſtar magis civium robori ad hoſtiles impetus amoliendos, quàm munitionum firmitati fidere voluiſſe videtur. Quod, quamvis contemptum hoſtium à nonnemine ſpirare dicatur, magno tamen eidem bis à Moſchis oppreſſæ, direptæ, exuſtæ, vaſtatæ ſtetit. Et tutiùs incolumitati ſuæ conſuluiſſe, prudentiùſqué hoſtem contempſiſſe viſa fuiſſet, ſi ſecura minùs, & munita magis eſſe voluiſſet. Etenim Moſchi non tantum anno 1610. eam interceptam

direptionibus & incendijs fœdè deformarunt; ſed recenter anno 1655. ad VIII. Idus Auguſti poſt levem aliquam in campo cum exiguâ Lituanorum manu, quæ cum ducentis hoſtium millibus congredi non detrectaverat, conflictationem miſerandam more ſuo vicina pericula ſupinâ præfidentiâ negligentem, & à Palatino ſuo Jano Duce Radzivilio, eoqué magni Ducatus Lituaniæ ſupremo exercituum duce deſertam obruerunt, & uſqué ad tertium Nonas Decembris anni 1661. proprijs ſuis cathenis compeditam ſævâ captivitate oppreſſerunt. Hoc autem tempore, quo miſeræ incubuerunt, tot cædibus, ſtupris, rapinis, ſacrilegijs, ruinis, & incendijs eam afflixerunt, ut nunc Vilnam in Vilnâ quærens deploranda ſolùm efferati furoris veſtigia in ejus vaſtatione, cineribus, & parietinis reperiat. Quicquid ædium ſivè ſacrarum, ſivè prophanarum ex abiegnis compactum truncis ſtabat, ſuppoſito à Moſchis igne in favillas evolavit. Lapidea ædificia, quibus tota ferè interior urbs conſtabat, ſolos nunc parietes denigratos acephaloſqué conſervant. Cetera ſævi victoris faces abſumpſerunt. Quibus autem Vulcanus pepercit, petulca injurioſi hoſpitis non ignovit inſolentia. Cathedrale templum Jagellonis Chriſtiani opus: Patrum Societatis JESU Collegium Valeriani Suszkowski Protaszewicz XIV. epiſcopi Vilnenſis curâ paſtorali attributo parochiali Sancti Joannis templo excitatum, & ejus immediate Succeſſoris Georgij Radivilij poſtmodum Cardinalis collationibus auctum, atqué Academiæ prærogativâ ex conceſſione Stephani Regis Kalendas Aprilis 1579. & confirmatione Gregorij XIII. Pontificis ad tertium Kalendas Novembris ejuſdem anni gaudens: Eorumdem domus cùm probationis ſub titulo Sancti Ignatij Stephani Regis, tum profeſſa ſancto Caſimiro dicata Caroli Ferdinandi Poloniæ Principis munificentiâ exſtructæ: Elegans ad Divi Franciſci Patrum Franciſcanorum juxta ſtrictiorem regulæ reductionem viventium cœnobium: Aliorum præcepta Divi Franciſci exactè obſervantium ad templum Beatæ Mariæ Virginis in arenis clauſtrum: Patrum Divi Dominici inſtituta ſectantium duplex ad Sancti Spiritus, atque SS. Philippi & Jacobi conventus: Charum ægrotis ſub curâ fratrum Beati Joannis de DEO ſucceſſorum & titulo S. Crucis noſocomion: Baſilianorum Græco ritu, ſed in Romanæ Eccleſiæ unione in templo Sanctiſſimæ Trinitatis Divinum cultum exercentium aſceterium: Duo ad S. Georgium, & ad omnes Sanctos Ordinis Beatæ Virginis de Monte Carmelo monaſteria: Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſub titulo Principum Apoſtolorum clauſtra: Conventus Canonicorum Regularium Crucigerorum de pœnitentia BB. Martyrum in ſuburbio Zarzeczano, ibidemqué monialium tertiæ regulæ S. Franciſci ſacratæ ædes: Veſtalium auſteram Seraphicæ Virginis Claræ ad Sanctum Michaelem, Tereſiæ ad S. Joſephum vitæ normam imitantium ſepta: Nec non & ſub regulâ Magni Baſilij ad SS. Trinitatis, & non minoris Benedicti ad S. Catherinæ Sanctimonialium clauſuræ cum ſuis quæqué templis vel diruta, vel incenſa, vel malleis & ſecuribus per oſtium de induſtriâ comminuta atteſtantur, quàm canino odio Romanæ Catholicæ fidei profeſſores Moſchovitæ proſequantur. Quod ut magis comprobarent, Ruſſorum ſchiſmaticorum templum intactum reliquerunt, & cum eo aliud Patrum Carmelitarum ad amuſſim Tereſianam viventium, eo quod illis ob vicinitatis commoditatem attributum ab Alexio fuerat. Sigiſmundi III. Campana & aliæ

aliæ ceteræ, ijs exceptis, quæ in Ruſſici templi turri pulſantur, fuſæ aut avectæ triſte reliquerunt ſacris ſilentium. Sancti Caſimiri Jagellonis ex ſecundo filio Caſimiro nepotis corpus in Cathedrali templo recondi ſolitum Moſchovitæ effodere necquicquam ſperarunt, Catholicorum enim pietas illud, antea ab ejuſdem Eccleſiæ cuſtode Georgio Bialozorio nunc à Cathedrâ Epiſcopali Smolenſcenſi ad Vilnenſem translato aſportatum, Roſanam avexerat. Sed nec Lutheranorum pepercerunt fano, nec Calvinianorum delubro, quod in pœnam ſagittarum ab his in Angelorum ſimulachra fronti Eccleſiæ Sancti Michaelis impoſita protervè emiſſarum publico comitiorum & Uladislai IV. decreto anno 1640. juxta patrias leges ab urbe proſcriptum tunc in ſuburbium translatum, jam fuerat.

Die tertio, quam Vilnam veneramus, Palatinus Sapieha ſolenniſſimo nos convivio adhibuit, & poſtridie ejus diei Goſievius.

Ad Palatinum Sapiehã primus, & ad Goſievium deinde author & Collega convivæ accedunt.

Cùm verò inconſulto noſtro Auguſtiſſimo Domino Viennam reverti nobis non liceret, curſorem noſtris & Regiorum Commiſſariorum commeatûs literis munitum ad eundem expedivimus.

Hujus reditum dum Vilnæ præſtolamur, die quodam nobilis neſcio quis fœderati Lituanici exercitus à conſilijs potu madidus ad ædes noſtras, ut nos adiret, quamvis nobis planè ignotus, accedens, cùm propter juſtum metum, ne in aliquam abſurditatem juxta tunc corruptum regionis morem prorumperet, non admitteretur, ſexcentis nos familiamqué noſtram ſpatio integræ horæ verbis contumelioſis (me tamen inſcio, & nihil horum audiente) aſperſit, eductoquè ter Scythico gladio ſuo mortem illi ex famulis noſtris interminatus fuit, quem priorem in plateâ offendiſſet. Poſtero verò die duo ejusdem collegæ nos convenerunt, & pœnitentis nominè commiſſorum veniam ebrietati condonandam petierunt, quam ei haud gravatè conceſſimus, cùm notum nobis eſſet, conſueviſſe tunc temporis in illâ, quam effrœnis ſeditioſi militis licentia in mores induxerat, corruptione homines illos omnia ſibi in temulentiâ licita facere, modò poſtea ſobrij pœnitudinem facti petitâ veniâ oſtentarent.

Temerarium nobilis cujusdam Lituani factũ.

Conceperant interim vinculati (ut vocari gaudebant) maximam contra Goſievium, & quem ſibi ipſi in ſeceſſione ſuâ elegerant ducem Zeronſcium indignationem ob famæ accuſationem, quâ culpæ dabatur Goſievio, quòd in captivitate ſuâ apud Moſchos cum ijsdem egiſſet, ut numerantes non modicam pecuniarum quantitatem Ducatus Smolenſcenſem, & Severienſem per pacis ſinè aliquo ſequeſtro ſanciendæ leges in perpetuum poſſidendos retinerent, ijsqué ipſum Palatinali dignitate ornatum præponerent. Quod indubitatum tum credebant, cùm nos alieno (ut putabant) tempore è Moſchoviâ exijſſe viderent, & advenientem ſtatim poſt nos emiſſum audirent legatum Moſchicum Naſciokinum telam in Aulâ regiâ texturum, quam Goſievius orſus eſſet. Cujus contractus is interim pro arrhâ tranſitum illis cum ſeptuaginta navibus per fluvium Dunam Rigam versùs literis à ſe & Zeronſcio ad ſuas partes per corruptelam (ut ajebant) attracto ſubſignatis conceſſiſſet. Homines itaqué militares ad iram ſuâ ſponte proni contra utrumqué tanquam partium deſertores, & transfugas, patriæqué proditores ad vindictam ferebantur. Aliquâ tamen verecundiâ alterius ſenatoriæ, & alterius ducis ſui dignitati ſe obſtrictos adhuc ſentientes ab inferendâ illis vi ſibi temperabant. Verùm enim verò increbreſcente ſuper hæc rumore, quòd

1662.

ambo

ambo cum Aulâ regiâ conſpiraſſent ad acciendos hinc Suecos, & illinc cum Coſacis Tartaros, per quorum armatam operam ipſi vel ad antiquam retraherentur obedientiam, vel contumaciæ ſuæ pœnas luerent, cohibere ulteriùs tumultuantes in animo iracundiæ motus, ne ad ultionem prorumperent, nequiverunt. Ad VIII. Kalendas Decembris horâ octavâ matutinâ mandato Kotowij Zeronſcio ſubſtituti nobilis Hlewinski cum quingentis equitibus Vilnam ingreſſus Goſievium domo ſuâ, Zeronſcium è templo Carmelitarum attonitâ civitate abduxit. Mandaverat ei Kotovius, ut utrumqué, ſi capturæ repugnaſſent, quò minore ſpe veniæ creſceret apud exercitum vinculum fœderis, occideret. Cùm verò neuter reſtitiſſet, non acquievit ille ſuggerentibus, ut illâ adhuc die in viâ interimerentur. Sed miſſo ad Kotovium tunc cum exercitu populatore terræ, quam à populationibus vindicare debuiſſet, Volpæ incubantem executionis ſuæ nuncio conſulere eum placuit, quid de ijsdem ulterius ſtatui vellet. Interim lento itinere, ne afflicta tunc Goſievij valetudo durioris vectationis incommodo concuteretur, Volpam versùs progrediebatur.

Goſievius, & Zeronſcius Vilna abducuntur.

Tertio Kalendas Decembris cùm præmiſſo citatiori equorum greſſu robuſtiori Zeronſcio Goſievium Oſtriniam deduxiſſet, ecce videt obequitantem cum ſequaci equitum turmâ nobilem Nowaſzinski, qui ab equo deſiliens, & ad rhedam, in quâ Goſievius cum patre ſuo ſpirituali P. Samuele Kuderowio Societatis Jeſu ſedebat, accedens, Domine Theſaurarie (inquit) decretum eſt immutabile totius exercitus, ne amplius vivas. Perculſus ferali decretoriæ vocis ſono Goſievius illicò de rhedâ diſiluit, & in illâ interceptæ ſubitò mentis confuſione impos ratiocinandi collum quaſi ſpiculatori protinùs porrigendum denudans reſpondit funeſto nuncio, & quid peccavi ego unquam in exercitum, ut morte culpam luere debeam? Edatur crimen, cujus reus fio. Si illud patefactâ calumniâ non diluero, ſanguine meritò eluam. Ego Regni Senator, & Regius Commiſſarius nullius tribunalis jurisdictioni, niſi generalis Ordinum Conventûs, obnoxius judicis incompetentiam hic non excipio. Ad leges Regni, ad comitia non provoco. Statuite me coram exercitu. Judicî non meo innocentiæ meæ conſcius ultrò me ſubijcio. Sed poſteaquam accuſatores audijt, audiat & accuſatum. Niſi fecerit, famæ ſuæ malè conſultum ibit, etenim, quem tanquam ſontem juſtè punitum credi vult, inauditum, indefenſum occidendo innocentem declarabit. Fui & ego olim dux veſter, & nec lixam, nec calonem (taceo melioris notæ commilitonem) quamvis manifeſtum ſceleris, inauditum unquam condemnavi. Et tu, Nowaszinski, hujus veritatis apprimè gnarus permittes, imò facies, ut ego vir Senatorius reipublicæ tot nominibus benè meritus nullius culpæ conſcius tam iniqué à calumniâ ſtrangulatus mutus interem?

Intimatur Goſievio mors.

Ejus oratio.

Plura dicturus erat, niſi à Nowaszinski interruptus fuiſſet, qui injunctæ ſibi executionis neceſſitatem, niſi ejus in ſe fatum derivare maluiſſet, oſtendens, ad ferendam promptè ſortem, quæ mutari non poſſet, eum hortabatur. Tunc ille; Ergò mutari hoc non poteſt? Non (dixit alter) Teſtor DEUM (tunc ſubdidit Goſievius) & cœlites omnes, quòd innocens peream. Patriæ meæ debitam fidem, & amorem ſervavi. Quicquid operatus ſum, in ejus utilitatem juxta bonam mentem meam redundaturum fuiſſet, niſi exercitus certam

fructus

fructus brevi naſciturî ſpem inconſultâ hâc mei nece corrumperet. Non obſiſtam ultrà urgentibus fatis. Malè decretam immeritus ſubibo mortem. Tantùm permittite, quæſo, ut depoſitâ priùs apud aures ſacerdotis erratorum meorum confeſſione reconciliatam Numini animam reddam.

Confeſſionem auricularem emittit.

Cùm annuiſſet Nowaszinski, ſeducto ille haud longè ſacerdoti inter ſuſpiria dolentis animi commiſſa ab humanâ fragilitate narrans conſcientiam expiavit. Sed, cùm jam nocteſceret, & ad imponendum pietati ſuæ finem pluries interpellatus in eliciendis cordis ob pœnitudinem commiſſorum dolore affecti actibus perſeveraret, Nowaszinski tandem ulterioris moræ impatiens ad ſacerdotem converſus interminatus eſt ei indiſcretum cum Goſievio caſum, niſi ab eo ſe protinùs ſepararet. Paululum itaqué is neceſſariò abſceſſit, & Nowaszinski admotâ ad Goſievij caput fiſtulâ ferreâ ejus tempora globis trajecit, dum eodem momento aliquot ex equitibus ſclopos ſuos in eundem explodentibus cadens jam ejus corpus terebrarent.

Inde globis perfoſſus occûbit.

Cadaver famulis ejus conceſſum Vilnam ab ijsdem evectum diu in templo S. Caſimiri apud domum profeſſam Patrum Societatis JESU expoſitum documento inſpicientibus fuit, quàm lubrico ſolo pes humanæ prudentiæ inſiſtat. Etenim homo naris alias ſagaciſſimæ, quamvis pluries à benevolis ſuis monitus de exercitus contra ſe irâ & machinationibus, maluit tamen dignitati ſuæ & patrijs legibus confidendo in loco violentiæ opportuno incuſtoditus perſiſtere, quàm reputando irreverentis tunc exlegis militis irritatam à malevolis ſuis ferociam moraliter evidenti vitæ ſuæ periculo aliò transmigrans ſe ſubducere.

Cadaver ejus in templo S. Caſimiri exponitur.

Zeronſcius Dubni matutino ejusdem diei tempore Perſicis gladijs conciſus tragicæ huic fabulæ ſanguine ſuo præluſerat.

Zeronſcius conciditur.

Cùm deindè reſciviſſemus, curſorem noſtrum ab excurrentibus Polonici fœderati exercitus equitibus interceptum, ablatisqué equis, armis, veſtibus, nummis, & literis à recto itinere ſuo Wolboriam ad mareſchallum Widerski abductum fuiſſe, ibiqué contra jura gentium captivum detineri. Et interea facinoroſus quidam ſupremi Samogitiæ Capitanei Georgij Caroli Hlebowicz familiaris hoſpitium noſtrum præmeditato conſilio ingreſſus, poſtpoſitâ reverentiâ legatorum characteri ex uſu univerſo orbi communi debitâ, oſtiariam crudeliter occidiſſet, ejusqué maritum quatuordecim inflictis vulneribus proſtraſſet: Ipſaq; urbs in evidenti direptionis diſcrimine ab exercitus concuſſione quotidiè verſaretur, periculoſum nimis putavimus, diutiùs morari inter gentes, quæ tunc omnibus conculcatis juribus ſolo inconſultæ ferociæ ſuæ impetu ferebantur, undè abire decrevimus.

Facinoroſus quidam oſtiariam ædiû in quibus author, & Collega, hoſpitium habebant, trucidat.

Habitant in campis circa Vilnam, & præſertim ad Vakæ amnis ripas Tartari, progenies illorum, quos ex Transvolgenſibus, & Nagaienſibus hordis Olgerdus ex proceribus Lituaniæ anno 1397. ſub auſpicijs Magni Ducis Vitoldi eorum acie ultrà Tanaim profligatâ captivos adduxit. Mahometanæ ſuperſtitionis, quam per manus malè traditam pejus continuò retinent, libero in Meſcquitis ſuis per ſacerdotes à Crimenſibus identidem ſuppeditatos exercitio gaudent. Nullâ tamen nobilium prærogativâ, quin imò ordinariam Arcibus præfectorum jurisdictionem civili ſubjectione agnoſcunt. Eorum plures militant; ſed tabellarij, vel equorum ſuorum locatoris munere, quod lucroſè exercent, haud neglecto. Trahis igitur triginta ab his mercede conductis, cùm equites aliquot pro tutiori ad limites us-

Conductis itaqué à Tartaris equis Vilnâ diſcedunt.

qué conductu tam à Regijs commissarijs, quàm ab exercitûs fœderati cum plenâ facultate deputato necquicquam petijssemus, ad VI. Idus Februarij paulò antè meridiem Prussiam versus iter arripuimus.

Et eodem die nobilis Marcinshi eos injuriosus aggreditur.

Nec benè ultrà decem millia passuum illud emensi eramus, cùm nobilis Lituanus Stephanus Marcinski exercitûs vinculati miles Caunam ad signum suum contendens trahâ similiter vectus cum binis famulis celeriori cursu nos assecutus, non solum characteris nostri; sed etiam receptæ in regione illâ inter pares consuetudinis superbè contemptor, imperiosè petijt, ut de viâ omnes decederemus, quò ipse posset præterire. Ego, qui postremus in rhedâ meâ undiquaqué extrinsecùs clausâ, & trahæ super impositâ solus sedebam, responderi illi per proximum mihi cubicularium meum Polonici idiomatis haud imperitum curavi, quod peteret, à triginta trahis sine maximâ incommoditate præstari non posse. Ipse potiùs, qui unicâ utebatur, faciliori flexu per viam, quæ ampla, & plana ad utrumque latus patebat juxta morem regionis suo arbitratu pergeret. His ille auditis quasi furijs actus de trahâ desiliens evaginato falcato gladio per mille contumelias pedisequum, qui ad meam sustentandam destinatus secus illam erat, primum impetijt, qui utpotè inermis eam circumsaliendo offensæ se subducebat. Tunc cubicularius, ut furiosi insanum compesceret impetum, cum urbano modico gladiolo accurrens, paulisper cum eo digladiatus, si par animo, at armis impar, vulneratum in utrâque manu, & præsertim in lævâ cum perpetuo dehinc usûs detrimento se sensit. Alter ex famulis meis abaci custos, qui omninò inermis, sed lacertosus harpen è militis manu evellere voti sui jam ferè compos conabatur, ab altero ex famulis ejus tribus in capite ictibus cæsim percussus desistere ab incœpto coactus fuit. Mollibus interea verbis delinire ego, quippe qui è rhedâ exterius clausâ prodire nequirem, insanientis furorem tentabam, sed irritis votis. Quin imò ille convitia reddens ferream fistulam in pectus meum direxit, sinè dubio explosurus, ni à famulis suis indè fuisset abductus. Hæc omnia prudenti lenitate in alieno solo tunc violentiæ obnoxio inter injurioso commilitonum turmas eodem, quo nos ibamus, itinere ad pinguiora hyberna in Samogitiam contendentes tolerabamus, nec vindictam ullam, quantumvis facilem, de ijs sumere in animo habebamus. At furiosa bellua cùm vidisset nos substitisse, ut saucijs vulnera ligarentur, in nos denuò districto suo falcato ense, exertoquè brachio movens, quamvis videret famulitium nostrum jam armatum, paratumqué vim vi repellere, nihilominùs œstro percitus obvius irruit tantâ ferociâ, ut non omnes ejus furorem evasuri viderentur, nisi necessariâ uterentur defensione eum prosternendo. Quod factum fuit.

Et cubicularium authoris vulnerat.

Ipse tamen tandem occiditur.

Magnis deinde itineribus diu noctuqué continuò properantes pridie Idus Februarij matutino tempore per Caunam, & Jurburgum ad amnem Swientam, Lituaniam inter & Prussiam limitem, post emensas ter novem maximas leucas præstantibus fidelissimam nobis operam Tartaris pervenimus. Et exindè inoffenso semper pede, evitatâ tamen Poloniâ à fœderatis insessâ, per Prussiam, Pomeraniam, Marchiam Brandeburgicam, Silesiam, Moraviam, & Austriam Viennæ ipsâ Divo Josepho dicatâ die anno 1663. nos reddidimus.

***

STATUTA MOSCHOVITICA.

extant

Linguâ Russica in Folio impressa.

STATUTA MOSCHOVITICA.

ANno à creatione mundi 7156. die 16. Julij Dominus Tzar, & Magnus Dux Alexius Michaelowicz totius Ruſſiæ Autocrator vigeſimo ætatis ſuæ anno, regiminis verò ſui tertio. Conſilio inito cum Patre ſuo ſpirituali Sanctiſſimo Joſepho Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchâ, cumqué Metropolitis, & Epiſcopis, omniqué ſacrâ ſynodo, mandavit Bojaris ſuis, Ocolnicijs, & Conſiliarijs, ut quæ in actis Apoſtolorum, & Sanctorum Patrûm, ac in libris Græcorum Imperatorum caſtrenſibus ad politicum regimen pertinentia ſcripta invenerint, deſcribant, & cum ijs anteceſſorum Magnorum Dominorum Tzarûm, & Magnorum Ducum Ruſſiæ, nec non Magni Ducis Michaëlis Fedorowicz mandata, Bojarorumquè ad Regia, & civilia negocia ſpectantia ſtatuta conferant, & concordent. Ubi verò ſupradictæ conſtitutiones deficere inventæ fuerint, novis compoſitis ipſi ſuppleant, ut cunctis Moſchovitici Dominij hominibus, ſine ullâ prorſus ſupremi, vel imi ſtatus differentiâ, jus, & Juſtitia æqualiter adminiſtretur.

Deſcribendarum autem ſupradictarum conſtitutionum cura delegata fuit Bojaris Kneſio Nikitæ Juanowicz Odojowski, & Kneſio Simeoni Baſilowicz Prozorowski, & Ocolnizio Kneſio Theodoro Fedorowicz Volkonski, Diakiſqué, ſeu ſcribis Gabrieli Leontiou, & Theodoro Grybojedow.

Ad hæc autem perficienda conſilio patris ſui Spiritualis Sanctiſſimi Joſephi Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchæ, & approbatione Bojarorum mandavit Dominus, ut eligerentur ex ſingulis Stolnicorum, ſive Tzareæ menſæ miniſtrantium, Strapeciorum, ſive Fæcialium, & culinæ procuratorum, Dworaninorum, ſive Nobilium Moſchoviæ, Zilciorum, ſive nunciorum hûc illûc ad quodcunqué Tzaris mandatum currentium, corporibus bini, totidemqué ex ſtatibus, ſimiliter ex quarumcunquè majorum civitatum (Novogradiâ exceptâ) nobilibus, & nobilium filijs bini. Ex Novogradia autem quinquageſimus quiſqué, & ex minorum urbium ſingulis unus. Ex Goſtis, ſive mercatoribus majoribus, trini, ex mercatoribus panni bini, & ex quacunqué plebe, pago, villâ, & ſuburbio Tzareo unus. Probi omnes, & prudentes, qui communicatis conſilijs ſtatuta juxta Tzareum ſuum mandatum,

& ſynodi conſilium condant, futura in poſterum omnibus inviolabilia.

Obedientes igitur Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Alexij Michaelowicz mandato Bojarus Kneſius Nikita Juanowicz Odojowski, & ſocij, deſcriptas ex Sanctorum Apoſtolorum, & Patrûm. actis, ac ex urbium, Græcorumqué Regûm legibus, & ex anteceſſorûm Magnorum Dominorum vetuſtis judiciorum libris, nec non ex decretis piæ memoriæ Magni Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaelis Fedorowicz conſtitutiones cum novis in ſupplementum deficientium antiquarum ex Bojarorum conſilio additis ei obtulerunt. Qui Dominus Tzar, & Magnus Dux Alexius Michaëlowicz totius Ruſſiæ Autocrator hoc eodem anno die 3. Octobris cum Patre ſuo ſpirituali Sanctiſſimo Joſepho Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchâ, Metropolitis, Archiepiſcopis, & Epiſcopo, Bojariſqué ſuis, Ocolnicijs, & Conſiliarijs eas lectas audivit, reliquiſquè omnibus ad hoc ex Moſchovia, alijſqué civitatibus electis legi poſtmodum juſſit, mandavitqué, ut de paragrapho in paragraphum deſcriptas ſubſcriptione ſuâ confirmarent Sanctiſſimus Joſephus Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarcha, Metropolitæ, Archiepiſcopi, Epiſcopus, Abbates, Priores, & univerſa ſacra ſynodus, Bojari, Ocolnicij, Conſiliarij, & electi Nobiles, filij Nobilium, mercatores majores, & minores, & cives Moſchovitici Dominij, omniumqué civitatum Ruſſicæ ditionis.

Poſt horum verò ſubſcriptionem ut deſcriberentur in libro à Diakis Gabriele Leontiou, & Theodoro Guybojedou ſubſignando, ut typis impreſſus ad ſingulas per univerſam Ruſſiam civitates, & Cancellarias mittatur pro earum in poſterum norma.

Quibus omnibus antedicti omnes paruerunt, inde liber iſte ab altero ex Diakis ſubſcripto deſumptus, & impreſſus fuit.

Dum autem hæc ſtatuta juxta Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Alexij Michaëlowicz mandatum Deputatis Ruſſici Dominij in Palatio examinum legerentur, ejuſdem Tzaris mandato ſedebat cum ijs Bojarus Kneſius Georgius Alexiowicz Dolgorukoi.

CAPUT PRIMUM.

De Blaſphemis & turbatoribus Eccleſiæ.

1. SI quis, cujuſcunque religionis ille fuerit, blaſphemias in Dominum Deum, & Salvatorem noſtrum JESUM Chriſtum, ſive in Beatiſſimam & Caſtiſſimam DEI Genitricem ſemper Virginem Mariam Imperatricem noſtram, ſive in honorificam crucem, ſive in Sanctos DEI ſervitores protuliſſe, factâ diligenti inquiſitione, inventus fuerit, ignominiosâ morte plectatur.

2. Si quis in Eccleſiam DEI tempore Divini Sacrificij animo Divinum turbandi officium irreverenter irruerit, capiatur, diſtrictequé ſuper delicto inquiratur, reus inventus ſine ulla miſericordia moriatur.

3. Si quis tempore ſacrificij incruenti, vel Divini Officij in Eccleſiam DEI ingreſſus, Patriarcham, ſeu Metropolitam, ſeu Archiepiſcopum, ſeu Epiſcopum, ſeu Abbatem, ſeu Priorem, ſeu aliquem ex eccleſiaſticis con-

tumelioſis affecerit verbis, ita ut Divinus cantus turbetur, hocqué Tzari fuerit delatum, veritate compertâ, infamis ille publicâ pœnâ moriatur.

4. Si quis aliquem in Templo DEI occiderit, poſt inquiſitionem reus repertus, & ipſe moriatur.

5. Quòd ſi vulneraverit tantùm, & non lethaliter, Knutis ſine miſericordiâ publicè cæſus, pœnâ inſuper menſtrui carceris puniatur, ſolvatqué vulnerato curationis expenſas, & biſzeſtiam in duplo.

6. Si verò percuſſerit quis aliquem in Templo ſine vulnere, cædatur virgis, & ſolvat percuſſo biſzeſtiam.

7. Si autem non percuſſerit, ſed verbis contumelioſis affecerit, menſtrui carceris pœnam luat, ſolvatquè contumeliam paſſo biſzeſtiam, ut reliqui pœnâ ejus territi à tali petulantia in Eccleſia DEI ſibi temperent.

8. Nemini autem liceat in Eccleſia tempore Divini cantus Domino Tzari & Magno Duci totius Ruſſiæ Alexio Michaelowicz, & Magno Domino Sanctiſſimo Joſepho, Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchæ, & Metropolitis, & Archiepiſcopis, & Epiſcopo, ulliqué alij de ullis negotijs ſuis ſupplices libellos dare, ne Divinus cantus turbetur. Templum enim erectum eſt ad orandum, & decet Orthodoxos Chriſtianos in Eccleſia DEI cum tremore orare, & non terrena cogitare.

9. Quòd ſi quis timoris DEI oblitus huic Tzareo mandato contravenerit, cædatur Knutis, & in carcerem, ad arbitrium Tzaris retinendus, trudatur.

CAPUT II.

De reverentia erga Tzarem exhibendâ, & de ipſius incolumitate procurandâ.

1. SI quis contra Tzaris incolumitatem aliquid moliri delatus de crimine convictus fuerit, capite plectatur.

2. Si quis ad invadendum Moſchoviticum Imperium rebellem militum manum armaverit, vel Tzaris hoſtes literis coluerit, eosqué juverit ad illum ditionibus ſuis exuendum, vel aliquid aliud ſimile commiſerit, delatus, crimine probato, pœna mortis puniatur.

3. Et ſi aliquis hoſti Tzareæ Majeſtatis arcem perfidè tradiderit, vel extraneos in eam doloſè admiſerit, veritate deprehenſa, morte afficiatur.

4. Si quis ex præmeditato dolo civitatem, aut domos incenderit, quandocunqué captus fuerit, poſt probatam in eo incendij culpam, comburatur & ipſe ſine ulla miſericordia.

5. Rebellium verò, & perfidorum bona Tzaris fiſco cedant.

6. Uxoresqué eorum, & liberi, ſi conſcij criminis fuerint, etiam pœnâ mortis afficiantur.

7. Si verò reperiatur, quòd uxor mariti, vel filius patris ſui crimi-

criminis conſcius non fuerit, non perimantur, nec ulla illis pœna irrogetur; imò ex delinquentis facultatibus de alimentis juxta Tzaris beneplacitum ijs proſpiciatur.

8. Et ſi quis ante ſuam rebellionem liberos emancipaſſet, hìqué ſeorſim à patre vixiſſent, nequé paterni criminis conſcij fuiſſent, bona eorum fiſco non addicantur.

9. Et ſi poſt alicujus rebellionem remanerent in Ruſſia pater, vel mater, vel germani, aut non germani fratres, vel patruus, vel aliquis alius conſanguineus, qui cum rebelle habitationis, & bonorum communionem habuerint, diſtrictè inquirendum erit, an perfidiæ illius conſcij fuerint, nec ne: ſi culpabiles deprehendantur, pœnam morte luant, bona autem eorum omnia fiſco applicentur.

10. Quòd ſi innocentes inveniantur, nullâ pœnâ mulctentur, nec bona ab eis auferantur.

11. Si aliquis ob rebellionem extorris Tzaris gratiâ patriæ reſtituatur, non ideò erit reſtitutus antiquis bonis ſuis jam fiſco addictis, ſed ſervire de novo debebit, ut nova ſibi à Tzare concedantur.

12. Si quis alicui crimen læſæ Majeſtatis objecerit, ſed teſtibus carens non probaverit, nequè ullum ejus indicium fecerit, ob tantum ſcelus cauſa juxta Tzaris arbitrium ſecundum æquitatem judicetur.

13. Si ſervi, aut ſubditi dominos ſuos de aliquo contra Tzaris perſonam, aut ſtatum molimine detulerint, nihilqué probaverint, tali denunciationi nulla fides adhibeatur, ſed illi Knutis cæſi dominis ſuis reſtituantur.

14. Si aliqui cujuscunqué ſtatûs homines aliquam contra Tzarem conſpirationem inſtituerint, & poſtmodum hoc negent cavillando, quòd non de illo ſermo fuerit, vel excuſent, quòd ex ebrietate talia verba effutierint, Knutis cædantur, & dominis ſuis deinde retradantur.

15. Si quis rebellem in via ſibi obvium occiderit, vel captum ad Tzarem adduxerit, moriatur perfidus, & ejus adductori, vel occiſori donet Tzar ex bonis rebellis ad arbitrium ſuum.

16. Si quis crimen læſæ Majeſtatis abſenti objecerit, citetur accuſatus, & ſtatuatur contra accuſatorem, fiatqué ſtricta ſuper crimine objecto inquiſitio, & poſt eam procedatur juxta ſupra ſcripta.

17. Si quis aliquem de crimine læſæ Majeſtatis accuſaverit, nihil autem probaverit; imò appareat, quòd illum calumniosè detulerit, puniatur eâdem pœnâ, quâ puniendus fuiſſet accuſatus, ſi crimen contra eum probatum fuiſſet.

18. Si quis Moſchovitici Dominij homo, cujuscunqué conditionis ille fuerit, notitiam quocunqué modo habuerit de aliquâ contra Tzarem conjuratione, aut molimine, hoc ſtatim Domino Tzari, & Magno totius Ruſſiæ Duci Alexio Michaelowicz, ſeu ipſius Bojaris, ſive propinquioribus miniſtris, & in civitatibus, & arcibus Vaivodis, & Præfectis denunciet.

19. Quòd ſi neglexiſſe delatus fuerit, compertâ veritate, morte afficiatur ſine ulla remiſſione.

20. Nemo vim per conjurationes, aut ſeditiones contra Tzaream Majeſtatem, & ipſius Bojaros, Ocolnicios, Conſiliarios, & miniſtros

niſtros, inqué civitatibus, & caſtris contra Præfectos, & Prætores intentet, neminemqué ex ijs injurijs afficiat, aut percutiat.

21. Contra facientes verò pœnâ mortis irremiſſibiliter puniantur.

22. Si autem alicujus urbis, aut caſtri Præfectus, aut Prætor aliquos cujuscunqué conditionis homines, datis ad Tzarem literis, accuſaverit de intentatâ ſibi ab eis per conjurationes, & ſeditiones vi, & morte. Accuſati verò hoc negaverint adducentes, ſe tantum ad illos negociorum causâ iviſſe. Si hoc verum eſſe compertum fuerit, abſolvantur. Præfecti verò, & prætores, qui illos calumniati fuerint, Tzaris arbitrio emendentur.

CAPUT III.

De Aula Tzaris, ut in ea nulla ſit petulantia, & contentio.

1. SI quis coram Tzareâ Majeſtate in Tzarea ejus aula, ſive palatijs, poſthabitâ reverentiâ ei debitâ, aliquem verbis injurioſis affecerit, hic autem eum de injuria poſtulaverit, veritate compertâ, injurians conijciatur in carcerem per duas hebdomadas cæteris in exemplum, & injuriato biſzeſtiam ſolvat.

2. Si quis in Tzaris aula rixatus, adverſarium pugno percuſſerit, capiatur, & ſi per inquiſitionem nocens inuentus fuerit, luat pœnam menſtrui carceris, & percuſſo biſzeſtiam ſolvat; ſed ſi percuſſerit usque ad ſanguinis effuſionem, ſolvat in duplo, & ſex ſeptimanis carcere maceretur.

3. Si quis coram Tzareâ Majeſtate ferrum contra aliquem evaginaverit, eumqué vulneraverit, moriatur hic, vel non, ille æqué ultimo ſupplicio afficiatur, & ex ejus bonis ſolvantur occiſi debita.

4. Quòd ſi evaginaverit quidem ferrum, ſed non vulneraverit, nec percuſſerit, manus ei amputetur.

5. Si quis verò in aula Tzaris, ſed non coram eo, arma contra aliquem evaginaverit, ſed non vulneraverit, pœnam trimeſtris carceris luat, ſi verò vulneraverit, ſolvat vulnerato biſzeſtiam in duplo, & vades ſtatuat, qui ſpondeant, eum ex arce inſcio Tzare non egreſſurum, usque dum vulneratus ſanetur, vel moriatur. Si convaluerit, vulneranti manus amputetur, ſi mortuus fuerit, moriatur & occiſor.

6. Nemo in aula Tzareæ Majeſtatis ſive Moſchuæ, ſive alibi, etiam in itinere, ſine ejus licentiâ ſclopos, vel alia quælibet tormenta explodat, aut ex arcubus ſagittas emittat, nequé cum talibus armis in eam intrare præſumat; quòd ſi contra hanc prohibitionem jaculando aliquem occiderit, ſeu vulneraverit, pœnam mortis & ipſe ſubeat.

7. Sed ſi tantùm in Tzaream aulam ingreſſus cum prædictis armis fuerit, neminiqué vulnus, aut mortem cum ijs intulerit, nihilominus virgis, vel knutis cædatur, & per hebdomadam in carcerem conijciatur.

8. Nemo in pagis ad Tzarem pertinentibus ſine ejus licentia piſcari audeat, contraveniens pecuniâ, aut aliâ pro Tzaris arbitrio pœnâ mulctetur.

9. Si quis in aula Tzareæ Majeſtatis furtum commiſerit, primâ vice knutis cedatur. Secundâ vice denuò knutis verberetur, & inſuper per ſemeſtre in carceribus ijsdem knutis ſingulis tribus diebus juxta morem cædatur. Tertiâ autem vice amputetur ei manus, ut cæteri diſcant in aula Tzarea non furari.

CAPUT IV.

De adulterantibus literas, & ſigilla Tzaris.

1. SI quis Tzaris literas finxerit, aut in veris aliquid mutaverit, ſine ejuſdem Tzaris præſcitu, & conſilio Bojarorum, Conſiliariorum, Cancellariorum, & Cancelliſtarum, aut eas ſubſignaverit, aut Tzaris ſigillum falſificaverit, re verâ compertâ, ultimo ſupplicio afficiatur.

2. Si quis à Tzaris literis, vel ab alijs cancellariæ ſcriptis avulſa ſigilla alijs literis falſificatis affixerit: vel falsò compoſuerit literas, ſeu aliqua ſcripta: vel Cancellariæ ſcripta ſine Tzaris præſcitu, & licentiâ renovaverit, morte afficiatur, ejuſqué ſcriptis nulla fides adhibeatur.

3. Si quis poſt falſificatas literas moriatur, conſanguinei verò ejus, aut officiales vigore illarum à Tzare aliquid ſupplices petierint, inquiratur, undè, & quomodo eas habuerint? & an falſificatas fuiſſe noverint? quod ſi ex inquiſitione reſultaverit, vel ipſimet faſſi fuerint, quòd eas falſas fuiſſe ſciverint, & nihilominùs penes ſe ad procuranda ſua cominoda retinuerint, moriantur. Si verò contrarium conſtet, nempe, quòd de earum falſitate nullam habuerint ſcientiam, nullâ pœnâ afficiantur, tantummodo nulla illis literis fides præſtetur.

CAPUT V.

De adulterantibus monetam, vel aurum, vel argentum.

1. SI quis cujuſcunque generis pecuniam falſam fecerit, vel ſi monetarius aliquis vel æs, vel plumbum, vel ſtannum monetæ cudendæ immiſcuerit, & per hoc Tzaris theſaurum detrimento affecerit, per infuſum in ejus guttur plumbum moriatur.

2. Si auri, vel argenti faber accepto ab aliquo auro, vel argento ad opus aliquod elaborandum, æs, plumbum, ſeu ſtannum immiſcuerit, re verâ compertâ, knutis cædatur, & damnum paſſis ſatisfaciat.

CAPUT

CAPUT VI.

De literis commeatus accipiendis ab ijs, qui in exteras provincias proficiſci voluerint.

1. SI quis vel mercimonij, vel cujuſcunqué negocij gratiâ ex Moſchoviticis ditionibus ad alias, quæ pacem cum his colant, proficiſci voluerit, literas dimiſſoriales à Tzare ſupplex petat, vel in Provincijs à Præfecto ſuo, qui eas illi ſine morà dare teneatur, ſine ijs autem nullo modo diſcedat.

2. Quòd ſi Præfecti tales literas petentibus dare detrectaverint, ita ut hi per moram damnum aliquod patiantur, ſi Tzari ſupplicabunt, & rem ſic ſe habere probatum fuerit, Præfecti illi magnam Tzaris indignationem incurrent, & ſupplicantibus damnum paſſum in duplo reſarcire tenebuntur.

3. Si quis autem ſine literis dimiſſorialibus in exteras Provincias profectus, & in Moſchoviam reverſus, delatus fuerit, quòd proditionem, vel aliquod aliud malum patraturus profectionem illam inſtituerit, fiat ſuper hoc ſtricta inquiſitio, & crimine probato, morte afficiatur.

4. Sed ſi apparuerit, quòd non ob maleficium, ſed ob mercaturam ſine literis dimiſſorialibus profecti fuerint, fiat eis inhibitio, ne in poſterum hoc amplius audeant, & cædantur knutis alijs in exemplum.

5. Illis verò, qui bona vel in Lituania, vel in Germania Moſchoviæ conterminâ poſſident, non imputetur in culpam, quòd ſinè literis dimiſſorialibus ſive ipſi, ſive ipſorum ſubditi & famuli per confinia Lituanorum, vel Germanorum eant.

6. Quòd ſi quis in confinijs bona poſſidens perfidiam aliquam inter ſervos, & ſubditos ſuos cognoverit, deferat hoc ſtatim Tzari, vel Præfectis civitatum, famulosqué illos, & ſubditos ad eos adducat. Præfecti autem diſtrictè in eos inquirant, & Tzarem de omnibus certiorem per literas ſuas faciant, retentis in carceribus delatis usqué ad ejus declarationem.

CAPUT VII.

De ſervitio cujuscunqué ſtatus militaris Moſchovitici Dominij.

1. CUm Polonis, Lituanis, & Germanis, & alijs univerſis provincijs habet Tzar, & Magnus Dux totius Ruſſiæ Alexius Michaelowicz æternam pacem, & quietem perfectam. Si verò Moſchoviticum Dominium bellum alicui inferre quandocunqué decreverit, vel Tzar de injuria aliqua inimicum ſuum ulciſci voluerit, ideoqué contra illum Bojaros, & Præfectos ſuos cum militibus cujuscunqué ſtatus ſe accingere, ijſqué ſtipendium erogari juſſerit, pecunia colligatur juxta belli qualitatem ex Dominio Moſchovitico.

2. Mo-

2. Moneantur autem per Tzareas literas Præfecti Provinciarum, & civitatum, quo tempore, & ad quem locum milites convenire debebunt, hiqué eò proficiſci jubeantur ſine ulla contradictione. Nemini autem ſive in profectione, ſive in ſtatione vim, aut damnum inferant, victumqué pro ſe, & pabulum pro equis ſinè ſolutione non accipiant.

3. Volentibus verò vel pro ſe, vel pro equis aliquid emere, omnia æquo pretio ab omnibus vendantur. Ex campis autem frumentum, & ex pratis clauſis fænum milites non accipiant, nullumqué ab eis ullibi damnum ulli detur.

4. Quando prata clauſa non ſunt, poterunt milites in profectione ſua in ijs eſſe ſine ſolutione. Si verò clauſa fuerint, non licebit: Quinqué tamen paſſus à via intra pratum ſtare licet: ſed non ultra, nequé fænum ſecare, aut herbas deſtruere, aut equos paſcere. Prata autem pro feſto Sanctæ Trinitatis claudi debent.

5. Teneantur omnes militibus ad caſtra proficiſcentibus victum pro eis, & pabulum pro equis vendere, & quidem juſto pretio, nihilqué ab eis injuſtè accipere.

6. Similiter ſi ad caſtra proficiſcentes damnum alicui intulerint, veritate compertâ, caſtigentur juxta facti gravitatem, damnum autem paſſo illud reſarciant.

7. Vendentes verò militibus victum, vel pabulum caro ſupra æquum pretio, caſtigentur & ipſi, & quod plus acceperint, reddant.

8. Miles, qui munia ſua ſecundùm conſtitutionem obire poteſt, ſi non dimiſſus ex caſtris aufugerit, primâ vice knutis cædatur, & ex poſſeſſione ejus auferantur jugera quinquaginta, ex reliqua autem poſſeſſione ſolvat pro ſingulis centum jugeribus rublum unum. Si autem ſecundò fugerit, & ſecundò knutis cædatur, totaqué poſſeſſio ab eo ablata diſtribuatur.

9. Si exterus, aut aliquis alius ſtipendiarius, ſeu ſtrelitzius, ſeu Coſacus, ſeu donatarius pro alio militans ex caſtris aufugerit, ſi capiatur, cædatur knutis, ac dato cuſtode ad caſtra remittatur, tantùm verò ſtipendij ab eo, ſervata juxta uniuscujusqué conditionem æquitate auferatur, quantum per illud tempus, quo à caſtris abfuit, meritus fuiſſet. Pro donatario autem, qui non potuerit ex fuga retrahi, exigantur ab ejus principali viginti rubli.

10. Bojari, & Palatini inſcio Tzare nulli militum dimiſſionem muneribus corrupti concedant.

11. Si contrafecerint, corrigantur ad arbitrium Tzaris.

12. Quòd ſi aliquis de corruptela eos Tzari falsò detulerit, re compertâ, ſeverè & ipſe Tzaris arbitrio corrigatur.

13. Si miles aliquis in expeditione exiſtens, rei ſuæ familiaris deſolationem, vel ſervorum fugam, vel gravem aliquam neceſſitatem cauſatus, dimiſſionem petierit, teneantur Bojari, & Palatini inquirere apud Nobiles, & filios Nobilium, aliosqué milites de veritate cauſæ adductæ, eâqué compertâ, acceptisqué à teſtibus ſuper eâ literis eorum manu ſubſignatis, illum ad aliquod tempus dimittant.

14. Si tamen adventare hoſtem fama fuerit, nemo, etiam adductâ urgentiſſimâ cauſâ, dimittatur.

15. Tribunis autem, ſivè alijs legitimis officialibus non liceat ſine Tzaris

Tzaris licentia, & Palatini ſcientiâ ulli legionis ſuæ militi dimiſſionem concedere.

16. Contravenientes coram reliquis militibus virgis cædantur, & in carcerem conijciantur cæteris in exemplum.

17. Si miles aliquis ſenectam, aut vulnera, aut ægritudinem cauſatus rude donari petierit, paratus ſubſtituere filium, ſive fratrem, ſivé patruelem, ſive nepotem, non poſſeſſionatum militiæ idoneum, & nulli functioni erga Tzarem obligatum, compareat ille in arce Moſchuæ, ut viſitetur, inventâqué veritate ſuæ inhabilitatis, accipiatur ab eo ſubſtitutus ſecundùm præſcriptas conditiones cum ſuo militari apparatu, & victu, modò minor annorum octodecim non fuerit, & ille inter emeritos cenſeatur.

18. Quòd ſi nec filios, nec fratres, nec patrueles, nec nepotes loco ſui ſubſtituendos habuerit, accipiatur ejus ſervus, ſive pecunia juxta modum bonorum, quæ poſſidet. Sed ſi viſitatus, ad militiam ulteriorem habilis judicatus fuerit, ipſe, & non ſubſtitutus, ad caſtra mittatur.

19. Si quis Tzari militans ex pugna fugiſſe à Palatino Tzari delatus fuerit, dimidia bonorum ejus pars fiſco Tzareo addicatur, & ipſe Knutis ſine miſericordia cædatur.

20. Si quis miles ad hoſtium caſtra dolo malo tranſijſſe, ſecretaqué exercitus eis revelaſſe delatus fuerit, veritate per inquiſitionem compertâ, è regione caſtrorum hoſtilium patibulo ſuſpenſus moriatur, omniaqué ejus bona fiſco Tzareo applicentur.

21. Si alicui militanti defecerit victus, vel equi pabulum, hæcqué in foro carò vendantur, & ille paupertate preſſus ea emere nequeat, ad ejus ſupplices preces conſtituatur juxta Tzaris mandatum, & Palatini diſcretionem panis, & pabuli vilius pretium, mittatqué Palatinus Priſtavum aliquem ad illos, qui ſupra neceſſitatem familiæ ſuæ ijs abundant, ut, quod eis ſupereſt, militibus mediante conſtituti prætij ſolutione concedant. Ab eis autem, qui ſupra neceſſitatem familiæ ſuæ non habuerint, nihil accipere licebit. Inſcio verò Palatino, & ſine Priſtavo accipere ab aliquo aliquid nemo præſumat, habitationes ejus non ſpoliet, hortum non deſtruat, nec incendat, & ſegetibus in agris datâ operâ detrimentum non inferat.

22. Quòd ſi quis contravenisſe delatus fuerit, & inquiſitione factâ compertum fuerit, quòd ab aliquo victum, vel pabulum per vim extorſerit, vel eum ſpoliaverit, aut domum ejus, vel hortum vaſtaverit, aliudvè illi damnum intulerit, omnia in duplo rependat.

23. Pro ædificatione verò domorum, & caſtrorum liceat militibus ligna in ſylvis poſſeſſionatorum exſcindere, modò in prohibita nemora non intrent, nullumqué lignum ad vendendum auferant.

24. Si aliquis miles, aut quivis alius ad ſua negocia proficiſcens, equos ſuos in campis frugibus paverit, vel eas ad hoſpitium aſportaverit, exigatur ab eo ſine ulla mora damni dati pretium in duplo juxta æſtimationem, ut ſupra dictum eſt, faciendam, & corrigatur inſuper ſecundùm æquitatem.

25. Quòd ſi miles aliquis ſufficienti victu, & pabulo pro ſe, & equis inſtructus, emere nihilominus ea ſecundùm conſtitutum, ut

ſupra, prætium ab aliquo voluerit, non vendantur. Si verò emerit, ſolvat in duplo pretium venditori cæteris in exemplum.

26. Si quis alicujus militis equos in campis diſperſos, & palantes invenerit, teneatur eos ad caſtra adducere coram Palatino, vel eo abſente coram judicibus caſtrenſibus, vel alijs officialibus ſtatuendos, ut domino ſuo reddantur, qui pro ſingulis decem copicos adductori dare tenebitur. Ubicunqué autem aliquid aliud à milite aliquo deperditum repertum fuerit, illicò ad Palatinum adferatur, vel ad judices, aut officiales ſine aliqua remunerationis ſpe.

27. Quòd ſi aliquis equum, vel alia à milite deperdita inveniens, ea, ut ſuperius dictum eſt, non præſentaverit, & de hoc accuſatus fuerit, veritate compertâ, auferantur ab ipſo, & domino tradantur.

28. Si quis alicui in caſtris arma furto abſtulerit, percutiatur knutis, & arma domino ſuo reddantur.

29. Si verò equum abſtulerit, amputetur illi manus.

30. Si aliquis miles proficiſcendo ad caſtra, vel ex ijs, latrocinari cœperit, commiſeritqué homicidium, vel mulieri vim intulerit, vel ſegetes ſecuerit, aut ex ſtagnis piſces violenter rapuerit, ſive aliquo alio damno aliquem affecerit, accuſatus, & delicto probato, pro homicidio, vel vi mulieri illatâ pœnâ mortis afficiatur; pro alijs verò criminibus puniatur juxta eorum qualitatem, & omnia per vim ablata damnum paſſis ſolvat in duplo. Quòd ſi per inquiſitionem delictum plenè probari nequeat, ſuppleatur per juramentum.

31. Si quis autem militem ſuper his falsò accuſaverit, veritate comperta eandem ſubeat pœnam, quâ miles nocens repertus afficiendus fuiſſet.

32. Si miles in profectione ſua ad caſtra, vel ex ijs diverterit apud aliquem, cum quo inimicitias exercet, & ex animo deliberato cum eo rixatus fuerit, ſi eum occiderit, aut vulneraverit, probato delicto pro homicidio mortis pœnâ afficiatur. Si verò pugno tantùm extra mortem, & vulnus eum percuſſerit, aut verbali injuriâ affecerit, aut ſpoliaverit, veritate compertâ, puniatur juxta qualitatem delicti, & percuſſo, vel injuriâ affecto, vel ſpoliato in duplo pro ſpolio, & biſzeſtiâ ſolvat.

CAPUT VIII.

De redimendis captivis.

1. ASingulis domibus civium, vel quorumcunqué incolarum in quacunqué totius Moſchovitici Dominij civitate, ſuburbio, vel terrâ ei annexâ, nec non & ſubditorum Patriarchæ, Metropolitarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Monaſteriorum exigantur quotannis pro redemptione captivorum quatuor copichi. Duo verò ex quacunque domo in pagis, & villis Tzaris, & poſſeſſionatorum, & patrimoniatorum. Ex ſingulis autem militum ſtrelitziorum, Koſacorum, libratorum, portæ cuſtodum & aliorum ſimilium domibus unicus tantùm. Quæ contributio afferatur ad Legatorum Cancellariam collecta ſecundùm novam conſtitutionem,

tionem, abolito more antiquo, ut nemo ab hac ſolvenda immunis eat, quoniam talis redemptio communis eleemoſyna vocatur, & pijſſimum Tzarem, omnesqué Orthodoxos Chriſtianos magna à DEO merces manet, ſicut dixit Sanctus Enoch, date aurum, & argentum propter fratrem, & redimite eum, & à DEO centuplum accipietis. Et Apoſtolus non tantùm argentum, ſed & animam jubet ponere pro fratre, nemo enim charitatem majorem habuerit, quàm ut ponat quis animam ſuam pro fratre ſuo. Et propter iſta Chriſti verba dignum pijſſimis Tzaribus, & omnibus Orthodoxis Chriſtianis opus eſt non ſolùm captivos redimere; ſed & animam ſuam ponere pro ipſis, & mercedem ſibi centuplam promereri.

2. Pro redemptione autem nobilis alicujus, aut filij nobilis in pugna, vel legatione à Turcis, aut Schythis capti ſolventur ex ſingulis bonorum eorum centenis jugeribus rubli viginti.

3. Si verò non in pugna, aut legatione captus fuerit, quinque.

4. Pro unoquoqué ſtrelitzio Moſchovienſi rubli quadraginta.

5. Pro cæteris ex civitatibus limitaneis, & pro Coſacis rubli viginti quinque.

6. Pro ſingulis civibus rubli viginti.

7. Pro ſingulis agricolis, & Bojarorum ſubditis quindecim.

CAPUT IX.

De vectigalibus per aquas & pontes.

1. NUllus publicanorum in locis, quæ jus exigendi vectigal habent, ſive ad Tzarem, Patriarcham, Metropolitas, Archiepiſcopos, Epiſcopum, Monaſteria, Bojaros, Ocolnicios, Conſiliarios, cubicularios, ſive ad alios cujuscunqué ſtatus & conditionis homines etiam advenas ſpectent, audeat aliquid vectigalis nomine exigere à Nobilibus, filijs Nobilium, alienigenis, & militibus quibuscunqué, aut ab eorum famulis, & curribus, aut à tabellarijs ad Tzaris negocia miſſis.

2. Contra facientes verò, ſi fuerint delati, veritate compertâ etiam per juramentum, reddant exactam pecuniam in triplo, & inſuper knutis cædantur.

3. Si à militum famulis, vel alicujus domini ſubditis illo abſente, victualia (non tamen ad vendendum) portarentur, & publicanus aliquis ab eis in trajectu fluvij, vel pontis vectigal exegerit, hocqué illi cum juramento affirmaverint, ſolvat illis publicanus exactum in triplo. Quòd ſi inſuper addiderint, ſe fuiſſe ab eo percuſſos, vel ſpoliatos, fiat inquiſitio, & juxta facti veritatem puniatur.

4. Si aliquis Moſchovitici Dominij homo, & diſtrictuum nobilis, vel nobilis filius, vel advena mercatores cum mercibus ſibi aſſociatos per telonia, fluvios, & pontes ſecum tranſire ſine vectigalis ſolutione fecerit, percutiatur knutis, & exigatur ab eo vectigal in triplo, publicano, cui fraudem fecerit, tradendum.

5. Si aliquis mercatorum cujuscunqué conditionis apud publicanos ſe militem eſſe profiteatur, re compertâ knutis cædatur, &

ſolvat

ſolvat Tzari rublos quinque Moſchuæ, vel in illo loco, ubi contrà eum facta fuerit accuſatio.

6. In officio juratorum, ubi pecunia congregatur, in tabernis, telonijs, trajectibus, & pontibus, qui in civitatibus, diſtrictibus, & Tzaris villis, ac pagis ſunt, ſolis civibus miniſtris eſſe liceat.

7. Nemini tempore hyemis in civitatibus, & Tzaris pagis & villis, ac in Patriarchæ, Metropolitarum, Archiepiſcoporum, & Monaſteriorum bonis, inqué Bojarorum, Ocolniciorum, & Nobilium, cujuscunquè conditionis, & diſtrictûs patrimonijs, & poſſeſſionibus circa pontes propter vectigal glaciem ſecare liceat. Contravenientes cædantur knutis, & ſolvant mulctam ad arbitrium Tzaris.

8. Milites nullibi in pagis, & villis pro hoſpitio aliquid alicui ſolvere teneantur. Quod Moſchuæ per plures dies proclamandum erit, mittendæqué ad alias civitates Tzaris literæ, ut hoc ſimiliter ſtrictè prohibeant.

9. Nemo in pagis, villis, aut civitatibus, ſive ad pontes, ſive ad fluvios, ſive in nundinis novum imponere vectigal ſub ullo prætextu audeat; ſed antiqua tantùm exigantur.

10. Si quis autem ſine mandato propter ſuum commodum aliquod impoſuerit, hoc cedat Tzari.

11. Quòd ſi quis ab antiquo in ſuis poſſeſſionibus prævià licentiâ pontes, vel in fluvijs naves habuerit, teneatur vias parare, pontesqué & naves ipſe ſuis expenſis facere, & reparare, ne tranſeuntes moram, aut damnum aliquod patiantur.

12. Si quis verò poſſeſſionatus, ſive patrimoniatus in patrimonijs, & poſſeſſionibus ſuis circa pontes, & fluvios vectigal exegerit, pontes verò, & naves commodè reficere neglexerit, ita ut ibi militum equi ſubmergantur, vel ex luto exire nequeant, & vel ipſi, vel alij, quicunqué fuerint, in victualibus, mercibus, vel alijs quibuscunqué rebus damnum patiantur, teneatur hæc damna eis reficere, factâ ei, & cæteris alijs admonitione, ut in poſterum pontes, & naves aptent, ne tranſeuntibus detrimentum aliquod oriatur.

13. Si adminiſtratores, & jurati, ſive vectigalis redemptores alicubi in locis ad Tzarem pertinentibus pontes, & naves reficere neglexerint, ita ut aliquis tranſiens moram, aut damnum inde ſentiat, teneantur damna juxta æſtimationem faciendam ei reficere. Mandeturqué ipſis ſeriò, ut in poſterum muneri ſuo ſatisfaciant.

14. Si quis poſſeſſionatus, aut patrimoniatus antiquas molendinorum vias ſive ſubmergens, ſive arans, fundo ſuo adjunxerit, teneatur novam in ſuo fundo viam facere, per quam æqualiter commodè, ac per antiquas, qui illàc tranſire debebunt, ire poſſint.

15. Longiores autem & pejores antiquis ſi fecerint, adſtringantur omninò ad eas juxta antiquarum commoditatem reformare.

16. Si apud aliquem poſſeſſionatum nullus unquam fuerit pons, via autem ſit lutoſa, ideoquè ſupplex petat, ut ſibi concedatur faculcultas, viam, pontes, & ſimilia ad tranſeuntium commoditatem ſternendi, & ædificandi, & pro expenſis vectigal ab illis exigendi ad formam cæterorum, factâ loci reviſione, ſi vera narravit, petita licentia ei concedatur.

17. In fluvijs navigabilibus nova molendina, aut pontes non exſtruantur, ne navium iter retardetur.

18. Aut

18. Aut ſi exſtruentur, aptetur in ejus medio porta, per quam tranſire naves poſſint. In ſepimentis autem ab antiquo in fluminibus ad piſcationem factis relinquatur pro navium tranſitu foramen. Occulta autem in aquis nemo faciat, ne naves detineantur, & nullum ad ea vectigal exigat.

19. Si quis autem ſine Tzaris licentia vectigal ad pontes de novo erexerit, vel molendina exſtruxerit, ſubmersâ antiquâ viâ, tam iſta, quàm illi omninò deſtruantur.

20. Quòd ſi quis molendinorum ædificator ſupplex à Tzare petierit, ut ea non deſtruantur, concedatur, ſed cum præcepto, ut in antiquis vijs ad tranſeuntium commodum pontes reficiat, nihilqué ab ullo pro tranſitu exigat.

21. Sed ſi quis vectigal ad pontium, & navium tranſitum exigere conſueverit, deinde verò neutrum illorum habuerit, ſi querela contra eum data fuerit, & juſtificata, deſtruantur omninò molendina, & ſepimenta ab eo erecta, ne milites, aut quivis alius inde moram, aut damnum patiantur.

CAPVT X.

De Judiciis

1. MAndat Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Alexius Michaelowicz Bojaris, Ocolnicijs, conſiliarijs, Cancellarijs, & omnibus Prætoribus, & Judicibus, ut jus, & juſtitiam cunctis Moſchovitici Dominij, tam indigenis, quàm advenis, à maximo usqué ad minimum, ſemotis amicitiæ, & odij affectibus, æquâ lance adminiſtrent, poſthabitoqué erga potentiores reſpectu oppreſſos ab eis liberent.

2. Contentioſa negocia, quæ in Cancellarijs ob aliquam cauſam judicari nequeunt, per oblatum Domino Tzari, & totius Ruſſiæ Magno Duci Alexio Michaelowicz ſupplicem libellum ad Bojarorum, Ocolniciorum, & Conſiliariorum judicium transferantur, qui in Palatio ſedendo juxta Tzaris decretum in omnibus negocijs juſtitiam cunctis adminiſtrent.

3. Si judex ab accuſatore, vel ab accuſato ſuſpectus apud Tzarem allegabitur, detur ei alius Judex primo remoto.

4. Sed ſi talis allegatio fiat poſt latam in causa ſententiam, fidem non inveniat, & negotia de Cancellaria in Cancellariam non transferantur, ne partes longiori judicio fatigentur.

5. Si quis Bojarus, ſive Ocolnicius, ſive Conſiliarius, ſive cancellarius, ſive quicunqué alius judex muneribus, vel affectu aliquo corruptus innocentem tanquam reum condemnaverit, vel reum quaſi innocentem abſolverit, veritate compertâ, parti aggravatæ damnum ab ea ob ejus injuſtam ſententiam paſſum in triplo, & Tzari, quantum in muneribus accepit, tantundem decies multiplicatum ſolvat. Inſuperqué, ſi Bojarus, vel Ocolnicius, vel Conſiliarius fuerit, officio, & dignitate exuatur, reliqui autem judices per civitatem circumducti knuto cædantur, officioqué priventur.

6. Et in civitatibus Provinciarum Diachi, seu secretarij, cæteriqué omnes judicijs præpositi pro tali crimine eâdem pœnâ plectantur.

7. Si quis Judicem accusaverit, quòd injustam sententiam protulerit ob munera ab ejus fratre, sive filio, sive consanguineo, sive famulo eidem tradenda accepta, Bojari inquirant districtè super negocio, confrontatis accusatore, & accusato, & investigando, an munera fuerint accepta? & an mandato accusati? & examinent, an sententia contra æquitatem lata sit? & his verificatis, puniatur accusatus, ut superius scriptum est.

8. Quòd si munera quidem accepta, sed inscio judice, cædatur, qui ea accepit, knuto sine misericordia, solvatqué Tzari munera accepta in triplo, & conijciatur in carcerem ad hujus arbitrium.

9. Si quis verò judicem de corruptela falsò accusaverit, & ille sententiam ad æquitatis normam protulerit, calumniator cædatur knuto sine misericordia, & solvat innocenti biszestiam in triplo, trudaturqué in carcerem ad arbitrium Tzaris.

10. Si aliquis Bojarus, seu Ocolnicius, seu Consiliarius, seu Cancellarius sive alius quicunque ex ignorantia perperam judicaverit, non ex malitia, & hoc verum esse constiterit, ordinabit Tzar, quid cum eo faciendum. Interim Bojari negocium ad finem perducent, quòd si præstare aliquâ de causa non poterunt, instituatur denuò à capite judicium.

11. Processus judiciorum scribant Cancellistæ sine lituris, & additionibus, ijsqué absolutis accusator, & accusatus manu suâ subscribant; pro nescientibus verò literas pingere subsignent alij eorum confidentes. Ex hoc authographo describat Cancellista copiam, quam Cancellarius collatione factâ subsignabit. Authographum autem Cancellista penès se ad finem usqué causæ retinebit, quâ finitâ, apud acta judiciorum reponet, ibi semper ad futuras contentiones dirimendas remanendum.

12. Si aliquis Cancellarius muneribus corruptus, vel ob amicitiam, vel inimicitiam jusserit Cancellistam mutare in aliquo substantiam processûs à partibus jam subsignati, & Cancellista obedierit, veritate compertâ, Cancellarius per forum, & plateas civitatis circumductus knuto cædatur, & officio privetur. Cancellistæ verò manus amputetur, & rescribatur processus secundùm veritatem priorem, & sententia desuper justa feratur.

13. Si quis Cancellistam suspectum allegabit, quasi parti suæ contrariæ addictum, illiqué secreta revelantem, processus causæ ab eo ad alium Cancellistam transferatur. Quòd si processus iste denuò ad primum Cancellistam favore Cancellarij redierit, vel hic dolo usus illum ex Cancellaria extulerit, ita ut apud eum extra arcem, sive in domo reperiatur, veritate compertâ, quòd hoc cum scitu Cancellarij factum fuerit, solvat hic parti læsæ damnum, & Tzari mulctam, & insuper ipse, & cancellista knutis cædantur, & officijs priventur, ad ea numquam amplius admittendi.

14. Si quis de supradicto crimine cancellistam falsò accusaverit, Bojari verò, & Ocolnicij, & Cancellarij, alijqué judices eum rejecerint, ideoqué ille ad Tzarem recurrens, aut Bojarum aliquem, aut

aut Ocolnicium, aut Cancellarium, aut Cancellistam mendaciter detulerit, veritate compertâ, pro injuria Bojari, Ocolnicij, & Cancellarij, & pro falsa accusatione cædatur knuto, & pro injuria Cancellistæ virgis.

15. Si aliquis judex accusatus fuerit de protracto ob sua commoda litis fine, veritate compertâ, puniatur ad arbitrium Tzaris, & jubeatur litem sine mora dirimere, ne partibus ex dilatione damnum sequatur.

16. Si Cancellarius aliquis, aut Cancellista muneribus corruptus alteram partium longâ morâ detinuerit, delatus, & reus repertus, teneatur solvere moram passo viginti copicos in singulos dies, ab illo, ex quo lis incepta, usqué ad illum, quo accusatus ipse fuit, computandos, insuperqué Cancellarius virgis, Cancellista autem knutis cædatur.

17. Quòd si partes ex negligentia sua moræ causam dederint, Cancellarios verò, aut Cancellistas de mora falsò detulerint, veritate compertâ, hi absolvantur, delatores autem puniantur eâdem pœnâ, quæ superius contra Cancellarios, & Cancellistas scripta est.

18. Si quis aliquem coram judicè calumniosè de debito convenerit, veritate compertâ, teneatur solvere convento decem copicos in singulos dies numerandos ab illo, quo eum primò convenit, usquè ad illum, quo sententiâ mediante lis finem accepit, ut ab hoc exemplo calumniatores deterreantur.

19. Si quis creditor à debitore suo coram judice convento aliquid supra debitum petierit, veritate compertâ solvat debitor, quod verè debet, creditor verò illud, quod plus debito petijt, solvat Tzari in triplo cæteris in exemplum.

20. Quicunqué autem super aliquo negocio justitiam sibi administrari voluerit, primas instantias suas nullo modo prætereat, sed supplices libellos suos Bojaris, Ocolnicijs, Consiliarijs, vel alijs officialibus cancellariæ ad negocia, quæ ille propositurus est, deputatæ porrigat, & si super ijs jus sibi non fiat, tunc ad Tzarem recurrat, & in supplici suo libello narret, se à Cancellaria justitiam obtinere non potuisse. Si quis verò præteritâ primâ Cancellariæ instantiâ rectà Tzari libellum supplicem porrexerit, virgis cædatur, aut, si supremæ conditionis homo erit, carcere per hebdomadam maceretur in aliorum exemplum.

21. Si post concluſum in causa actor documenta nova sive à Cancellario subscripta, sive non, actionem suam impinguando produxerit, petens eorum rationem haberi, non recipiantur, sed liti finis juxta jam acta & probata imponatur.

22. Nullus Judex, postquam fuerit concluſum in causa, aliquid favore, aut odio processui addat, aut detrahat, cumquè neutrâ partium colludat, nullaquè ab ijs documenta ampliùs recipiat. Quòd si actor, vel reus aliquid per probationes corroborare obtulerit, interrogetur, ubi suas probationes habeat. Et si responderit, eas Moschuæ apud se esse, mandetur ei, ut quantò citius producat. Sed si aliundè petendas esse affirmaverit, concedatur ei tempus eas adferendi ad arbitrium Tzaris. Cancellistæ autem mandetur, ut acta super lite in mensâ ad confirmationem sine dilatione ponat, ne judicia prolongentur. Causæ autem, quæ per paratas in proximo inquisitiones, probationes,

bationes, & juramentum definiri poſſunt, ſine mora decidantur. Sed ſi ob probationes à Provincijs petendas neceſſe fuerit, literas Tzaris ad Palatinos, & Prætores dare, ſine ulla mora tranſmittantur, præcepto eis facto, ut & ipſi, quicquid per inquiſitionem invenerint, citò remittant. Quæ remiſerint autem, quam citiſſimè deſcribantur, ſententiaqué ſine dilatione deſuper proferatur, ne partes ob moram damno afficiantur.

23. Si contigerit, ut ab aliqua Cancellaria, cui ſecundùm Tzaris decretum præeſt Bojarus, ſive Ocolnicius, ſive Conſiliarius cum alijs tribus, vel quatuor adſeſſoribus, aliquis eorum, vel plures ob ægritudinem, vel aliam urgentem cauſam, vel ob miſſionem abſint, ad partium inſtantiam nihilominus in cauſis procedatur ab ijs, qui præſentes erunt, uſqué ad ſententiam, cui ipſi ſubſcribant ſoli cum additione cauſæ, ob quam unus, aut alter ſociorum abſens fuerit.

24. Quòd ſi quis adſeſſorum, non propter morbum, aut aliquam aliam urgentem cauſam, ſed procerum negocijs voluntariè occupatus, Cancellariam frequentare per aliquot dies neglexerit, corrigatur pœnâ à Tzare arbitrandâ, cum expreſſo mandato, ut muneri ſuo vacet, ne ob judicis defectum partes damnoſam moram patiantur.

25. Die dominica judicia ſileant, nulluſqué judicum in Cancellarijs ſedeat, nullaquè negocia, exceptis urgentibus Tzaris, tractentur. Quod obſervandum erit.

In die Nativitatis Chriſti.

In die Epiphaniarum, & alijs Domini feſtivitatibus.

In hebdomada, quâ carnibus exulantibus lactaria tantùm comeduntur.

In prima hebdomada Quadrageſimæ.

In hebdomada ſancta ante diem Paſchæ.

Septem diebus poſt Paſcha.

In anniverſario die natali Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Alexij Michaëlowicz, & ejus orthodoxæ fidei Tzariſſæ, & Magnæ Duciſſæ Mariæ Ilianæ, & ipſorum pijſſimæ prolis.

26. Singulis diebus Sabbathi Orthodoxi Chriſtiani tribus horis ante veſperas officinas claudant, & à mercatura & alijs operibus omnibus deſiſtant. Dominicis verò non aperiantur, nemoqué mercaturæ, exceptis, quæ ad victum humanum, & equorum pabulum pertinent, aut labori vacet. Quòd obſervetur in ſingulis Domini feſtis. In diebus verò, quibus publicè cum imaginibus, & crucibus per civitatem prodeunt ſupplicationes, nemo mercaturam exerceat, aut officinas aperiat, quoaduſqué proceſſio in Cathedralem Eccleſiam reverſa non fuerit.

27. Si Bojarus, vel Ocolnicius, vel Conſiliarius verbis contumelioſis Patriarcham affecerit, veritate compertâ, tradatur Patriarchæ.

28. Si verò vel Metropolitam, vel Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, ſolvat Metropolitæ quadringentos rublos, Archiepiſcopo trecentos, Epiſcopo ducentos, quòd ſi quis ſolvendo non erit, tradatur Antiſtiti injuriato.

29. Sed ſi Abbatem, ſive Priorem, ſive alium quemcunqué Eccleſiaſticum, ſolvat biszeſtiam ad arbitrium Tzaris.

30. Si Stolnikus, ſive Strepzius, ſive Nobilis Moſchoviticus, ſive Mercator, ſive Diakus, ſive filius Nobilis ex diſtrictibus, ſive advena, ſive aulæ

aulæ famulus, Patriarcham, ſive Metropolitam, ſive Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum, ſive Abbatem, Priorem, Superiorem, Theſaurarium, vel aliquem Eccleſiaſtici Ordinis miniſtrum injuriâ verbali affecerit, veritate compertâ, pro Patriarcha virgis cædatur, pro Metropolita verò, Archiepiſcopo, & Epiſcopo conijciatur in carcerem.

31. Quòd ſi aliquem ex ſupranominatis verbis injurioſis exceperit mercator panni, ſeu ex plebe, & ſuburbijs ruſticus, ſive Strelitzius, ſive Coſacus, aut aliquis alius cujuſcunquè conditionis, pro Patriarcha corrigatur publicè virgis, & trudatur in carcerem ad menſem.

Pro Metropolita virgis cædatur, & in carceres per quatriduum conijciatur.

Pro Archiepiſcopo verò, & Epiſcopo virgis cædatur, & pœnam carceris triduò luat.

Cænobitis verò injuriâ affectis ſolvat injurius, ut infrà, nempe.

32. Abbati vivificæ Trinitatis Sergij Monaſterij rublos centum. Procuratori octuaginta. Theſaurario ſeptuaginta ſingulis patribus ex conſilio quadraginta.

33. Ex Woldimirienſi Nativitatis Chriſti monaſterio Abbati nonaginta rublos. Procuratori 70. Theſaurario 60. ſingulis patribus à conſilio 20.

34. Miraculorum Monaſterij Abbati 80. rublos. Procuratori ſexaginta. Theſaurario 50. ſingulis patribus à conſilio 20.

35. Salvatoris Monaſterij, quod de novo conditum, Abbati 70. rublos. Procuratori 50. Theſaurario 50. ſingulis patribus à conſilio 20.

36. Ex Magna Novogardia, & Georgij Monaſterio Abbati 70. rublos. Procuratori 50. Theſaurario 40. ſingulis patribus à conſilio 20.

37. Simeonis Monaſterij Abbati 60. rublos. Procuratori 50. Theſaurario 40. ſingulis patribus à conſilio 20.

38. Ex Suiaſco Nativitatis B. Virginis monaſterio Abbati 60. rublos. Procuratori 40. Theſaurario 35. ſingulis patribus à conſilio quindecim.

39. Ex Andronij Monaſterio Abbati 60. rublos. Procuratori quadraginta. Theſaurario 35. ſingulis patribus à conſilio 15.

40. Ex Varano Transfigurationis Monaſterio Abbati 60. rublos. Procuratori 40. Theſaurario 30. ſingulis patribus à conſilio 15.

41. Ex Hoſtroma Ipacenſis monaſterij Abbati 60. rublos. Procuratori 40. Theſaurario 30. ſingulis patribus à conſilio 15.

42. Ex inferiori Novogardia Pecorienſis monaſterij Abbati 50. rublos. Procuratori 35. Theſaurario 20. ſingulis patribus à conſilio quindecim.

43. Ex Novogardia Phutinenſis monaſterij Abbati 50. rublos. Procuratori 30. Theſaurario 20. ſingulis patribus à conſilio 15.

44. Ex Bielojoſero Cyrilli monaſterij Priori 50. rublos. Procuratori triginta. Theſaurario 30. ſingulis patribus à conſilio 15.

45. Ex Pereaslaw Horicenſis monaſterij Abbati 50. rublos. Procuratori 30. Theſaurario 20. ſingulis patribus à conſilio 15.

46. Ex Moſaiſcenſi monaſterio Abbati 45. rublos. Procuratori 25. Theſaurario 15. ſingulis patribus à conſilio 10.

47. Ex Roſtoro Epiphaniarum monaſterio Abbati 40. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 15. ſingulis patribus à conſilio 10.

48. Ex Hoſtroma Epiphaniarum monaſterij Priori 40. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 15. ſingulis patribus à conſilio 10.

49. Ex Epiphaniarum monaſterio extra officinas Priori 40. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 15. ſingulis patribus à conſilio decem.

50. Ex Inznamioka monaſterij S. Barbaræ Priori 35. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10. ſingulis patribus à conſilio 5.

51. Ex Jaroslavia Salvatoris monaſterio Abbati 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10. ſingulis patribus à conſilio 5.

52. Ex Borowsko Paſnutij Monaſterio Priori 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

53. Ex Vologlamsko Joſephi monaſterio Priori 50. rublos. Procuratori 30. Theſaurario 20.

54. Ex Susdali Salvatoris monaſterio Abbati 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

55. Ex Magna Novogrodia Antonij monaſterio Priori 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

56. Ex Pskow Pecorenſi Abbati 30. Procuratori 20. Theſaurario decem.

57. Ex Sclowcenſi monaſterio Priori 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

58. Ex Sunza flavarum aquarum monaſterio, Priori 30. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

59. Ex Rezano Salvatoris monaſterio Abbati 25. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

60. Ex Magna Novogrodia Tichuinenſi Priori 25. rublos. Procuratori 20. Theſaurario 10.

61. Ex Wologda Kamenenſis monaſterij Abbati 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

62. Ex Tweria Virorum monaſterio Abbati 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

63. Ex Wologolamsko Vormicenſis monaſterij Abbati 30. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

64. Ex Pereaslaw extra ſylvam Danielis monaſterio Abbati 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

65. Ex Bielojoſero Ferapontovienſi Priori 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

66. Ex Roſtovienſi Uſtye Boryſſi & Chlebi monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

67. Ex Reſano Solocinenſi Abbati 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

68. Ex Wologda Prilucenſi Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

69. Ex Aſtrachano Trinitatis Abbati 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

70. Ex Magna Novogrodia Spiritûs Sancti Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

71. Ex Magna Novogrodia Wrazicenſi Priori 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

72. Ex Wenigorod Storozevienſi Priori 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

73. Ex

73. Ex Wologda Sancti Pauli monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

74. Ex Wologda Glarinenſi monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

75. Ex Kaſino Koliazinenſi monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

76. Ex Wologda Cornelij monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori quindecim. Theſaurario 10.

77. Ex Pereaslaw extra ſylvam Nikitenſi monaſterio Priori 20. rublos. Procuratori 15. Theſaurario 10.

78. Ex Mozaysko Wolockomenſi Priori 15. rublos. Procuratori decem. Theſaurario 8.

79. Ex Vhrieſinenſi Priori 15. rublos. Procuratori 10. Theſaurario ſeptem.

80. Exaltationis S. Crucis quod in arbata Priori 15. rublos. Procuratori 10. Theſaurario 7.

81. Monaſteriorum autem in regiſtro non ſcriptorum Abbatibus ſingulis 10. rublos. Prioribus 8. Procuratoribus & Theſaurarijs ſex.

82. Ordinarijs verò cujuscunqué monaſterij monachis rublos 5.

83. Si aliquis Metropolita, ſive Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ſive Abbas, ſive Prior, ſive Procurator, ſive Theſaurarius, ſive ordinarius Monachus verbis contumelioſis affecerit Bojarum, Ocolnicium, Conſiliarium, mercatorem, ſive alium quemqué hominem, veritate compertâ, ſolvat unicuiquè ex majoribus injuria affecto biſzeſtiam juxta ejus qualitatem ſecundùm Tzaris declarationem. Mercatoribus verò, & cæteris inferioris ordinis hominibus juxta declarationes inferiùs adnotandas.

84. Quod ſi aliquis Abbas, ſeu Prior, Procurator, Theſaurarius, ſive ordinarius Monachus ſolvendo non erit, ordinariam pœnam virgarum, vel colli ferro incluſi ſubeat, quoadusquè injuriâ affectum placaverit.

85. Si quis Protopopum, ſive Protodiaconum, ſive Popum, ſive Diaconum verbali injuriâ affecerit, veritate compertâ, ſolvat biſzeſtiam, ut infra, nempe, Majoris Eccleſiæ Cathedralis Caſtiſſimæ DEI Genitricis Protopopo 50. rublos. Protodiacono 40. Janitoribus, & Sacriſtis ſingulis 30. Popis 25. Diaconis 15. Annunciationis Protopopo Tzaris Patri ſpirituali 100. rublos, janitoribus, Popis & Diaconis juxta ſtipendium unicuiquè eorum à Tzare in pecunia conſtitutum. Quod obſervandum erit cum omnibus & ſingulis Protopopis, Protodiaconis, & Popis aliarum Eccleſiarum Cathedralium.

86. Popis verò & Diaconis Parochialium Eccleſiarum qui annuale ſtipendium conſtitutum non habent, ſolvatur pro biſzeſtia dimidium ſummæ conſtitutæ pro Popis ſupremæ Eccleſiæ Cathedralis Moſchuæ.

87. Protopopis, Protodiaconis, Popis, & Diaconis Eccleſiæ Cathedralis in civitatibus ſolvatur biſzeſtia juxta eorum annuale ſtipendium.

88. In Parochialibus verò Eccleſijs Popis, & Diaconis, qui ſtipendium conſtitutum non habent, dimidium ſummæ Protopopis, & Protodiaconis conſtitutæ.

89. Et in diſtrictibus paganis ſine poſſeſſione Popis 5. rublos.

90. Si

90. Si exortâ inter Bojaros, & Ocolnicios, & Conſiliarios contentione, unus alterum verbis contumelioſis affecerit, veritate compertâ, ſolvat biſzeſtiam ad Tzaris arbitrium.

91. Si aliquis Stolnichus, ſive Strepze, ſive Nobilis Moſchoviticus, ſive mercator, ſive Diachus, ſive Zilzi, ſive nobilis alterius diſtrictus, ſive advena, ſive famulus aulicus Bojarum, ſive Ocolnicium, ſive Conſiliarium verbali affecerit injuriâ, ſolvat injuriam paſſo biſzeſtiam juxta ordinationem, quod ſi in ære non habeat. knutis cædatur.

92. Si verò injuria aliquem ſupradictorum afficiens erit mercator panni, ſive ex plebe homo, ſive Strelitzius, ſive Coſacus, ſive famulus alicujus monaſterij, vel Bojari, ſive alius cujuscunqué conditonis homo, veritate compertâ, percutiatur knutis, & in carceres per duas hebdomadas conijciatur.

93. Et ſi quis cujuscunqué conditionis homo contumeliâ affecerit Stolnikum, ſive Strepzium, ſive nobilem Moſchoviticum, ſive Diakum, ſive Ziltium, ſive alteriûs diſtrictûs nobilem, ſive advenam, ſive famulum aulicum, ſive Cancelliſtam, ſive alteriûs cujuscunquè ſtatûs hominem, veritate compertâ, ſolvat injuriato biſzeſtiam.

94. Si quis injurius fuerit in honoratos homines navigantes, vel in mercatores majoris, vel mediocris, vel minoris conditionis, in ærarij miniſtros, in plebejos cujuscunqué conditionis, in paganos Tzaris ſubditos, in famulos Bojarorum, & diverſorum & minorum ſubditos, ſive in liberos homines, veritate compertâ, ſolvat pro biſzeſtiâ, ut infra nempe.

Mercatoribus navium, qui mercantur ſuper navi 100. rublos.

Mercatoribus gravioribus 50.

Mercatoribus inferioris conditionis ex majoribus officinis 20. Ex mediocribus 15. Ex minoribus 10.

Mercatoribus panni majoribus 15. mediocribus 10. minoribus 5.

Ærarij miniſtris 5.

Plebeijs majoris conditionis 7. mediocris 6. minoris 5.

Vectoribus 5. agricolis, ſubditis Tzaris in aulæ pagis unum rublum.

Si quis Tzaris paganos, & ruſticos percuſſerit, ijsquè vel oculum eruerit, vel manum, vel pedem fregerit, vel aliud vulnus, aut tumorem fecerit, ſolvat vulnerato decem rublos; ſi autem percuſſerit ſine vulnere, duos. Bojarorum famulis quinquè rublos. Operarijs, famulis monaſterij, & poſſeſſionatorum ſubditis pro biſzeſtia, & percuſſione ſolvat, juxta ordinationem factam circa ſubditos aulæ Tzareæ, & ſui juris hominibus rublum unum.

95. Si quis cujuscunquè conditionis verbali injuriâ affecerit, Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi Cancellarios, & filios nobilium, ſive alteriûs conditionis ſubditos, ſolvat pro biſzeſtia, ut infra, nempe.

Patriarchæ Cancellarijs juxta ipſorum annuum ſtipendium.

Filijs nobilium primæ conditionis 15. rublos. Secundæ 10. Tertiæ quinque.

Coquo 2. Piſtori 2. Aurigæ 2.

Cantoribus Patriarchæ primæ conditionis 7. Secundæ 5.

Vice-Cantoribus majoribus rublos 5. Minoribus 3.

Metro-

Metropolitarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, filijs Nobilium primæ conditionis rublos 10. Secundæ 7. Tertiæ 5. Cantoribus 3. Vice-Cantoribus 2.

Coquo, Piſtori, Aurigæ, ſingulis unum rublum.

96. Si quis verbali injuriâ affecerit monaſteriorum cauſidicos, ſolvat pro biſzeſtia, ut ſequitur.

Monaſterij Trinitatis apud Sergium Cauſidico 15. rublos. Nativitatis monaſterij in Wlodomiria, miraculorum monaſterij Salvatoris, monaſterij novi, Georgij monaſterij in Magna Novogrodia, Simeonis monaſterij cauſidicis 10. Aliorum verò monaſteriorum 5. Ordinarijs ſervitoribus primæ conditionis 4. Secundæ 3. Pueris 1.

97. Monialibus in monaſterio manentibus 5. rublos, extra monaſterium verò 3.

98. Cantoribus Eccleſiaſticis 3. vel 2. Janitoribus 2. Mulieribus, quæ panem conficiunt ad conſecrationem in miſſa 3.

99. Quòd ſi quis contumelioſis verbis affecerit fœminam conjugatam, vel virginem, vel alicujus filium nondum poſſeſſionatum, ſolvat pro biſzeſtia nuptæ injuria affectæ, quod ſolvi deberet marito, in duplo. Virgini, quod ſolvi deberet patri, in quadruplo: Filio, quod ſolvi deberet patri, pro medietate.

100. Si quis aliquem de injuria poſtulaverit, ſcribat in libello, ad quantam ſummam biſzeſtia ſibi ſolvenda aſcendat, ni fecerit, Cancellarius libello non ſubſcribat.

101. Si accuſatus juxta citationem ſibi factam fidejuſſores dederit de ſe ſiſtendo coram judice, & auditâ accuſatione nihil reſponderit, ſi in ea fuit expreſſa biſzeſtiæ ſumma, illico teneatur accuſatori eam ſolvere.

102. Sed ſi ideò nihil reſponderit, quia in ea biſzeſtiæ ſummâ non fuit expreſſa, non erit condemnandus, ſed mandandum accuſatori, ut eam exprimat.

103. Si quis contra aliquem per libellum, & citationem unicam tantùm actionem intentaverit, comparentem verò accuſatum, & ad illam reſpondentem pro altera inſuper conveniat, audiatur, neque liceat accuſato ſubterfugere judicium ſub prætextu, quòd ad hanc citatus non fuerit, ideoqué talis ejus reſponſio pro juridica ad acta non admittatur.

104. Si quis autem citaverit aliquem coràm judice ſuper una actione, de eaqué ſola contra eum egerit, & tamen in libello accuſationis plùs vel minùs ſcripſerit, & accuſatus contra eum produxerit regiſtrum, nempe copiam authenticam ſuæ obligationis, ex qua ad minus eum obligatum eſſe appareat, actor fiat reus.

105. Partes autem coràm judice ad mandatum comparentes clamoribus, & objurgationibus abſtineant, nullaqué verba injurioſa & infamatoria invicem proferant, ſed & neque inter ſe contendant. Quòd ſi quis alterum coràm judice verbis injurioſis affecerit, judicis reſpectu carceris pœnam per hebdomadam luat, & ſolvat injuriam paſſo biſzeſtiam ſecundùm ejus ſtatum. Si percuſſerit pugno ſine vulnere, ſolvat percuſſo illam in duplo. Si cultrum, aut alia qualiacunqué evaginaverit arma, ſed vulnera non intulerit, virgis cædatur. Si vulneraverit, knutis. Si vulneratus ex vulnere deinceps, vel ſtatim ibi ante judicem mortuus fuerit, pœnam mortis &

ipſe ſubeat ſine ulla miſericordia, & ex ejus bonis ſolvantur omnia debita occiſi, de quibus per ſcripturam conſtiterit, reliqua autem minimè. Quòd ſi occiſor aufugerit, quandocunquè capietur, morte mulctetur. Sed ſi quis coram judice armis ab adverſario impetitus ob neceſſariam ſui defenſionem eum vulneraverit, vel occiderit, pœna mortis non afficiatur.

106. Si quis ad Cancellariam ob quamcunquè cauſam accedens judicem verbis contumelioſis affecerit, compertâ veritate, ob violatam debitam Tzari reverentiam cædatur knutis, vel virgis ad hujus arbitrium, ſolvatquè judici biſzeſtiam. Si illum percuſſerit, ſive vulneraverit, manus ei amputetur, & ſolvat illi biſzeſtiam in duplo. Si verò illum etiam extra Cancellariam occiderit, moriatur & ipſe, & ſolvantur ex ejus bonis omnia debita judicis occiſi, de quibus per ſcripturam conſtiterit. Si autem aufugerit, perquiratur, & quandocunquè captus fuerit, pœna mortis ei irrogetur.

107. Quòd ſi judex illum Tzari falsò detulerit, veritate compertâ, pœnam eandem luat, quam luere debuiſſet accuſatus, ſi veraciter delatus fuiſſet.

108. Si partes concorditer renunciando termino à jure conſtituto per ſcripturam manûs ſubcriptione ſignatam à judice petant alium ſibi aſſignari, intrà hunc omninò coràm illo comparere debebunt, quod ſi altera facere neglexerit, pro rea habebitur. Poſtquam autem ex ijs una tales ſupplices obtulerit preces, ijsquè in Cancellaria ſubſcripſerit, ſi altera tempore aſſignato non compareat, condemnanda erit, exceptis tamen negotijs ſcripto firmatis. Quòd ſi alterutra partium intrà tempus aſſignatum infirmabitur, ita ut comparere perſonaliter coram judice nequeat, aliquem ſibi fidum ſuo nomine mittat, partes ſibi incumbentes adimpleturum. Quod ſi non fecerit, erit culpabilis. Nihilominus ſi adduxerit, ſe omninò carere homine, quem ſui loco mittat, cùm nullum habeat, aut conſanguineum, aut famulum, mittatur ad eum probus Cancelliſta, qui inquirat de veritate excuſationis, & eâ compertâ, detur ægro tempus ad comparendum, cùm convaluerit.

109. Si reus conventus intra terminum citationis coram judice, actor verò nequè ſeptimanâ poſt terminum elapſa comparuerit, hic, ſi alias actiones, præter jam ſignatas, habuerit, ſuper ijs in pœnam contumaciæ ſuæ non audiatur. Sed ſi intrà, vel poſt terminum filium, vel conſanguineum, vel quemcunquè alium miſerit, excuſans ob morbum, vel aliquod aliud impedimentum abſentiam ſuam, admittatur ad agendum, quem miſerit. Si verò ægritudinem cauſatus, & hominis, quem mittat, defectum, ſupplex petierit terminum prorogari, viſitetur, & veritate in utraquè excuſatione compertâ, citetur denuò reus ad comparendum, quando actor convaluerit, hujusquè actionis ratio omninò habeatur. Quòd ſi ægritudo per longas moras adhuc non cederet, remittatur reus ad ſua, quoadusquè actor eum denuò citari inſtiterit.

110. Si actor intra hebdomadam poſt terminum citationis reo factæ in judicio non egerit, & reus illius contumaciam accuſaverit, ejusquè ſcriptura, & cancelliſtæ teſtificatio fuerint ſignatæ, caſſetur actio, nullaquè ſuper eâ ſententiâ feratur, reus autem dato ſcripto liberetur.

111. Si

111. Si reus conventus datis per ſcripturam fidejuſſoribus, intra hebdomadam à tempore, quo illi fidejuſſerunt, in judicio non comparuerit, & actor ejus contumaciam accuſaverit, condemnetur ille juxta actoris petitionem, & promiſſionem fidejuſſorum, ne alicui liceat proceſſus retardare. Sed ſi fidejuſſores ſcripto non dedit, per ſimplicem citationem non erit condemnandus. Notetur autem in actis tempus factæ à fidejuſſoribus pro reo ſcripturæ, ut ſemper appareat, quando ſcripta ab illis fuerit.

112. Si actor, vel reus contra promiſſionem in judicio factam non diſcedendi Moſchuâ usquè ad deciſionem cauſæ, diſceſſerit, & de hoc diſceſſu pars altera eum accuſaverit, ſi vel fidejuſſores ejus, vel filius, vel famulus comparebit, aſſerens, eum alterâ, vel tertiâ die adventurum, hocquè ſcripto à ſe ſubſignato promittet, non culpetur abſens ob diſceſſum, ſi comparuerit intra triduum, ſed ſi non comparuerit, culpetur.

113. Super actionibus in judicium introductis, ſed ob occupationem ſive actoris, ſive rei in ſervitijs Tzaris in aliud tempus dilatis, ſi uterquè Moſchuâ diſceſſerit, nihilominus procedatur, fiatquè eis poſtmodum intimatio aſſignati temporis. Quòd ſi eorum alteruter intra terminum non comparuerit, non ideò tàm citò condemnetur; ſed detur notitia eorum fidejuſſoribus de tempore eis præſtituto, exiganturquè ab eis ſportulæ Tzari debitæ. Quòd ſi etiam fidejuſſores Moſchuâ diſceſſerint, mittatur Priſtavus, qui de eis inquirat, inventosquè Moſchuam deducat. Interim autem, quoadusquè comparuerint, ſolvant parti adverſæ ſingulis diebus decem copicos pro itinere. In causa autem ſecundum acta, & probata juſtitia adminiſtretur, nemoquè propter determinata tempora extra judicium condemnetur.

114. Si reus conventus citatus ad comparendum fidejuſſores dederit, qui ſcriptò apud Cancellariam ſpoponderint, eum ad judicium tempore ad reſpondendum conſtituto venturum, ipſe verò eo tempore nec comparuerit, nec aliquem pro ſe miſerit, & actor apud Tzarem contumaciam ejus accuſaverit, non ideò condemnetur; ſed dentur actori citatoriæ Tzaris literæ, teneaturquè reus ei refundere, quicquid pro illis, & ſigillo erogaverit, & rublos tres pro expenſis itineris in ſingulos menſes.

115. Quòd ſi reus nequè poſt hanc iteratam citationem ad reſpondendum comparuerit, neminemquè miſerit, ſcriptura autem fidejuſſionis pro eo à fidejuſſoribus præſtitutæ miſſa fuerit, non ideò adhuc condemnetur, ſed citetur denuò per aliam Tzaris literam, cum præcepto, ut ſolvat expenſas literarum, & ſigilli, & tres rublos pro expenſis itineris in ſingulos menſes. Quòd ſi ad hanc alteram Tzaris literam nec comparuerit, nec miſerit, & literæ fidejuſſionis pro eo miſſæ fuerint, condemnetur juxta actoris petitionem ſine ulteriori proceſſu in pœnam ſuæ contumaciæ cum mandato, ut debitum vel ab ipſo, vel à fidejuſſoribus exigatur.

116. Si quis autem per literas citatus Moſchuam venerit, & in judicio tempore aſſignato, ſive ante illud comparuerit, & actor ſupplex petierit, ut de juribus ſuis ante tempus aſſignatum cognoſcatur, concedatur, & juſtitia ſecundùm æquitatem adminiſtretur. Quod ſi in cauſæ proceſſu altera partium non exſpectatâ ejus definitione,

nitione, Moſchuâ diſceſſerit, condemnetur, ita ut ſi actor fuerit, perdat omnem actionem ſuam tam contra reum, quàm contra ejus fidejuſſores: ſi reus fuerit, ſolvant ejus debitum, & Tzari ſportulas, decimamquè earum partem judicibus ipſius fidejuſſores.

117. Si quis poſt primam citationem nec comparuerit, nec miſerit, literæ verò fidejuſſionis ab eo præſtitæ miſſæ fuerint, detur alia citatoria litera cum mandato, ut exigantur ab eo pro ſcriptura, & ſigillo ſolutio, & rubli tres pro itinere & victu actoris in ſingulos menſes. Et ſi poſt ſecundam citationem nec per ſe, nec per alium comparuerit, & literæ fidejuſſionis pro eo miſſæ fuerint, adhuc detur & tertia citatoria, exigaturquè ab eo quantum pro altera. Quòd ſi adhuc non per ſe, nec per alium comparuerit, literæquè fidejuſſionis miſſæ fuerint, condemnetur ad ſolvendum actori petitum debitum in pœnam contumaciæ, & exactio fiat vel ab ipſo, vel ab ejus fidejuſſoribus.

118. Si quis poſt trinam citationem ad reſpondendum non comparuerit Tzaris miſſionibns impeditus, non imputetur ei in culpam, ſed commiſſione expletâ comparere tenebitur tempore determinato poſt ſecundam citationem, & actori citationis literarum expenſas refundere. Quòd ſi comparere neglexerit, neminemquè loco ſui miſerit, & actor ejus contumaciam accuſaverit, perquiratur, & actori expenſas ſuas absquè alia judicij ſolennitate perſolvat.

119. Si Palatinus aliquis ſcripſerit Tzari, inveniri in ſua civitate aliquem, qui obſtinatè contumax fidejuſſores dare nolit, reſcribatur Palatino, ut per congregatos ex diſtrictu Strelitzios, & ſatellites ſufficientes eum capi curet, & in carcerem adduci, & ab eo exigat expenſas Strelitzijs, & ſatellitibus pro opera impenſa ſolvendas. Deinde eum poſt acceptos fidejuſſores Moſchuam mittat. Cùm autem in Cancellaria comparuerit, pro inobedientia virgis cædatur, ſolvatquè actori expenſas omnes, prout ſuperius ſcriptum eſt, feraturquè contra eum ſententia juxta libellum.

120. Si aliquis reus conventus per trinas Tzaris literas citatus, adhuc tamen obſtinatè contumax in civitate diſtrictus ſui fidejuſſores non obtulerit, hocquè Palatinus datis ſuis ad Tzarem literis, quibus ſubſcripſerint illi, qui ad illum citandum miſſi fuerunt, & alij per hos expreſsè vocati, atteſtetur, mittatur Moſchuâ Priſtavus, qui eum illò ducat, ibiquè ſine ullla figura judicij ſolvat actori debitum & Priſtavo itineris expenſas.

121. Si partes poſt introductam coràm judice cauſam concordiam inter ſe inierint, præſentent, in Cancellaria concordiæ ſcripturam à ſe ſubſignatam. Quod ſi facere neglexerint, judicesquè reſciverint, eos Moſchuâ non ſoluto erga Tzarem ſportularum debito abiviſſe, hoc ab eorum fidejuſſoribus exigant.

122. Quòd ſi & ipſi fidejuſſores abiverint, illud ab eorum famulis, vel ſubditis in loco domicilij per Priſtavum Moſchuâ eò expreſsè miſſum unà cum itineris ejus expenſis exigatur.

123. Priſtavi autem Cancellariorum teneantur ab utraquè parte, actoris, ſcilicet, & rei conventi, fidejuſſores exigere, qui ſpondeant, quòd illi Moſchuâ ante judicij finem ſine licentiâ non abibunt, & hoc per ſcripturam, quam tertiâ poſt datum actionis libellum die teneantur præſentare Cancellario, ab eo ſubſignandam, & deindè

deinde Cancelliſtæ proceſsûs actuario tradendam. Quòd ſi hìc Priſtavum Cancellario detulerit ob non præſentatas apud acta in tempore ſponſionis literas, veritate compertâ, virgis cædatur Priſtavus ſine miſericordia, addito mandato, ut adhuc illâ eâdem die eas præſentet. Si autem hoc non præſtiterit, mandetur alio Priſtavo executio, prior verò privetur officio ſine reſtitutionis ſpe. Quòd ſi negligentiam Priſtavi in præſentandis tempeſtivè fidejuſſionis literis Cancelliſta Cancellario non indicaverit, partes verò Moſchuâ non datis ſponſoribus diſceſſerint, exigatur debitum ab utraquè pro ſportulis Tzari à negligente Priſtavo, & ſilente Cancelliſtâ, iſti verò, quod ſolverint, à partibus repetant, mittendo ad eorum domicilij locum Priſtavos cum Tzaris literis, qui eas cogant datis ibi ſidejuſſoribus Moſchuam ſe conferre. Cùm autem hæ Moſchuæ erunt, exigatur ab illis quicquid à Priſtavo, & Cancelliſtâ ſolutum fuerit ipſis reſtituendum. Sed ſi poſt actionem reus conventus non datis fidejuſſoribus Moſchuâ abierit, actore ibi remanente, liberetur & iſte. Interim autem debitum pro ſportulis Tzari à reo ſolvant Priſtavus, & Cancelliſta, qui neglexerunt ab eo ſponſores accipere, recepturi poſtmodum illud ab eo, cùm eum invenerint, ad quem perquirendum mittantur cum Tzaris literis, & temporis aſſignatione. Si verò eum Moſchuæ in judicio non ſtatuerint, ſolvant actori debitam à reo convento ſummam.

124. Bojari, Ocolnicij, Conſiliarij, omnesquè cujuscunquè conditionis homines, tàm Moſchuæ, quàm in diſtrictibus: (exceptis Strelitzijs, & ſubditis pagorum Tzareæ Aulæ poſſeſſionatorum, & patrimoniatorum) teneantur ſolvere Tzareo ærario in qualicunquè actione decem copicos pro ſingulis rublis, qui in actione veniunt. Judicibus verò viginti ſemel tantùm pro quacunquè ſumma. Sed in actione falſificatæ membranæ, & vis illatæ in duplo. De qua autem vi illatâ intelligendum ſit, inferiùs ſcribetur.

125. Et quia ſportulæ judiciorum ab antiquo conceſſæ fuerunt ijs, qui Tzaris tentoria cuſtodiunt, & ejus aulæ ſerviunt, danda illis erit earum quota juxta taxam antiquam, reliquum autem in Tzareum ærarium inferendum.

126. Strelitzij tam Moſchuenſes, quàm cæteri, in actionibus usquè ad duodecim rublos nihil ſolvant. Et ſi rei fuerint, nequè usque ad centum. Si verò agant pro ſumma duodecim rublos excedente, vel contra eos agatur ſupra centum, exigantur pro actione intentatâ decem copichi in ſingulos rublos, pro judicibus verò viginti, ut ſupra ſemel tantùm. Quòd ſi aliquis non Strelitzius contra Strelitzium pro rublis centum agens per probationes, vel per juramentum ex actore reus fiat, ita ut ſportularum ſolutio ei incumbat, Strelitzius autem cum eo tranſigat ſuſcepto in ſe onere ſatisfaciendi pro ſportulis ſub fiducia exemptionis ſibi per Tzareum privilegium conceſſæ, tali caſu eas ipſe omninò ſolvat in pœnam fraudis, quâ alterum ab earum ſolutione eximere voluerat. Filij, fratres, & conſanguinei Strelitziorum, qui cum illis in eadem domo indiviſi vivunt, eodem, quo illi, exemptionis à ſportularum ſolutione privilegio gaudeant.

127. Sportulæ in ærarium Tzaris in integro inferantur nunquam amplius eas ſolventibus reddendæ, & ſupplices ab eis ſuper earum reſtitutione libelli non recipiantur, nec ſubſignentur.

128. In ſingulis Cancellarijs liber ſit manu Cancellarij ſignatus, in quo Cancelliſtæ actiones omnes eodem tempore, quo judicium finietur, regiſtrent, ut conſtet, quis à quo quid petebat, ideoquè quid pro ſportulis exigendum.

129. Cancelliſta verò, qui hoc non fecerit animo celandi ſportularum debitum, hocquè in ſuum commodum convertendi, veritate quocunquè modo compertâ, ante Cancellariam coràm pluribus cædatur knuto, ſportulæ autem exigantur ab illo, qui ad earum ſolutionem tenetur. Quod ſi denuò Cancelliſta tale crimen commiſerit, per forum, & plateas civitatis circumductus percutiatur knutis, privetur officio, & in exilium mittatur ad alia loca, præſtiturus ibi ea ſervitia, quibus erit idoneus.

130. Si aliquis Palatinus, aut Prætor, aut judex in civitatibus introductam coràm ſe actionem indeciſam adhuc Moſchuam transmiſerit decidendam, ſcripturam autem ſponſionis fidejuſſorum pro partibus non miſerit, & alterutra partium Moſchuam ſe conferens, ſupplex à Tzare petierit deciſionem cauſæ, hæcquè conſequatur, undè neceſſe ſit ſportulas exigere, debitumquè à reo convento actori; ille autem, à quo exigendæ erunt, Moſchuæ non fuerit, reſcribendum erit judici illi, qui cauſam coram ſe introductam Moſchuam remiſit, ut fidejuſſionis inſtrumentum etiam mittat. Interim autem usquequò illud Moſchuam pervenerit, exigat à judice negligente ille, qui moram patitur, ſingulis diebus decem copicos pro victu, & itinere.

131. Quòd ſi judex reſcribat, literas fidejuſſionis in judicio coràm ſe incæpto non fuiſſe acceptas, vel quòd non extent, qui moram patitur, exigat ab illo damnum, & expenſas, ut ſuperius ſtatutum eſt.

132. Si aliquis per ſententiam ad ſolvendum aliquid condemnatus, moriatur, nullâ factâ ſuper debito cum creditore ſuo transactione, exigatur debitum ab ejus hæredibus.

133. Si quis Tzari exponens, divitem aliquem poſſeſſionatum, cujuscunquè gradus ille fuerit, ſibi mortem comminatum fuiſſe, ſupplex petat, concedi ſibi literas inhibitorias ſub aliqua pœna minanti transmittendas, ut ab executione minarum ſuarum cohibeatur, concedantur, interminando illi, ut ſub pœna quinquè vel ſex millium rublorum, vel ſupra, ſupplicem non offendat, hæquè literæ minanti tradantur. Si verò is contra hanc inhibitionem per ſe, vel per alium illum occiderit, veritate compertâ, mandatarius, & mandans ultimo ſupplicio afficiantur ſine ulla miſericordia. Ex bonis autem mandantis, vel per ſe occidentis exigatur pœna in literis Tzaris inhibitorijs ei comminata, ejusquè pars dimidia in ærarium Tzaris inferatur, reliqua autem uxori, vel filijs, vel conſanguineis, qui occiſorem de homicidio poſtulaverint, tradatur. Quòd ſi non occiderit, ſed vulneraverit tantùm, ſolvat vulnerato biſzeſtiam ſecundùm ejus conditionem, ejusquè damna juxta probationem de ijs faciendam, inſuperquè integram pœnam ſibi in literis inhibitorijs comminatam dividendam, ut ſupra. Si autem occiſor, ſive vulnerans non habuerit in bonis tantùm, ut integram pœnam ſolvere poſſit, accipiantur omnia ipſius bona, poſſeſſiones, & patrimonia, diſtribuanturquè, ut ſupra. Quòd ſi iſta omnia ſummam pœnæ in literis inhibitorijs ei comminatæ adhuc non adæquent, quod deerit, luat in corpore, ideoquè cædatur ſine miſericordia, non hâc intentione, ut indè pecunia ab eo extorqueri poſſit; ſed ut cæteris ſtatuatur exemplum terroris. Quòd ſi is, qui literas inhibitorias obtinuit, commiſerit contra illum, qui ei minatus fuerat, aliquid ex ſupradictis, puniatur eâdem pœnâ, quæ ſuperius contra minantem conſtituta eſt.

134. Si verò utriusquè famuli alicubi ſive in nundinis, ſive in popina, inſcijs dominis convenientes, inter ſe rixati fuerint, etiam usquè ad vulnera, & mortem dominis, non imputetur in culpam, ſed teneantur ſuper famulis ſuis judicialiter inquirere, ut condignâ pœnâ affici poſſint.

135. Si quis poſſeſſione, aut patrimonio carens, ſive advena ſtipendiarius mortem alicui præſenti, vel abſenti minatus fuerit, poſt accuſationem fiat inquiſitio, & veritate compertâ, pœnam priùs trimeſtris carceris luat, & deinde ſcripto ſuâ manu ſubſignato promittat accuſatori ſuo, quòd in poſterum ei non nocebit. Quòd ſi contravenerit illum occidendo, pœnâ mortis crimen luat. Sed ſi quis de intentatis ſibi minis aliquem accuſaverit, in probatione autem defecerit, inquiratur contra ipſum, an falsò alium detulerit? & juxta probata contra eum procedatur.

136. Si quis aliquem de percuſſione, & ſpoliatione accuſaverit, accuſatus autem primam confeſſus, alteram inficias iverit, ſolvat accuſatori biſzeſtiam juxta ejus ſtipendium in duplo, & Tzari quicquid deſuper mandaverit. De ſpoliatione verò cognoſcatur, & juſtitia ſecundùm acta, & probata adminiſtretur. Si verò ſpoliationem fateatur, percuſſionem autem neget, exigatur ab eo pro ſpolio juxta libellum accuſatoris, & huic ſpoliato tradatur. De percuſſione verò agatur, feraturquè deſuper ſententia ſecundùm juſtitiam. In cunctis actionibus duplicis criminis, in quibus accuſatus alterum faſſus, alterum negaverit, exigatur ab eo pœna pro admiſſo, & pro altero ſecundùm juſtitiæ ordinem procedatur.

137. Actor teneatur libellum petitionis ſuæ tradere Cancellario manu ſuâ ſubſignatum. Is verò, cùm illi ſubſcribet, curet eum in libro Cancellariæ deſcribi, & deindè tradat Priſtavo, qui cum eo reum citandum in civitate conveniat, ab eoquè fidejuſſores accipiat, aſſignato ad comparendum tempore. Si verò citandum in civitate obvium habere non potuerit, ad ejus habitationem ſe conferat, ibiquè ſimiliter fidejuſſores ab eo exigat.

138. Quòd ſi reus nequè domi copiam ſui facere velit, Priſtavus, aſſumptis ſecum aliquot ſocijs, ad ejus fores per biduum, vel triduum vigilet, cùmquè eum, vel ejus famulum domo exeuntem viderit, captivum in Cancellariam adducat coràm judicibus, qui eum ad præſtandum fidejuſſores adſtringant.

139. Quòd ſi, dum Priſtavus illum, vel famulum ejus captum ad arcem deducit, vel ad fidejuſſores dandum adigere tentat, captus elabatur, proteſtetur ſtatim Priſtavus de hoc coràm præſentibus ſcripto, cui & ipſi cum eo ſubſcribant, & illud judicibus in Cancellaria præſentet, qui vocatis ad ſe teſtibus veritatem facti ab eis perquirant, compertâquè, quòd verè captus è manibus Priſtavi ſe eripuerit, deſtinent illicò Cancelliſtam, qui Priſtavo aſſociatus, aſſum-

assumptisquè secum satellitibus necessarijs, ad domum fugâ elapsi se conferat, eiquè citationem legat, exprobretquè illi fugam suam à Pristavo, & non datos fidejussores, adigatquè illum, ut eos det, aliter non dimittat. Quòd si fidejussores non habuerit, nequè in arcem iverit, aut aliquem loco sui miserit, sed à Pristavo denuò se propipiens, in patrimonia, seu possessiones suas se receperit, capiantur ejus famuli, & ad præstandum fidejussores adstringantur, qui spondeant, quòd dominum suum statuent in Cancellaria pro tempore assignato juxta ordinationem faciendam. Eis autem tempus ad comparendum assignetur, intra quod si dominus eorum comparuerit, audiatur super actoris petitione, sed propter fugam, & inobedientiam refractariam suam contra Tzaris mandatum per hebdomadam in carceribus knuto cædatur, solvatquè actori pro expensis & itinere in singulos dies elapsos post tempus primæ citationis, exclusâ ultimâ septimanâ, in qua ipse Moschuæ comparuit, decem copicos.

140. Veruntamen si famuli ad Cancellariam à Pristavo adducti fidejussores pro domino suo dare nequeant, detineantur ibi, quoadusquè is compareat. Quòd si actorem defatigandi gratiâ comparere diù distulerit, & hic supplex petierit, ut ad illius possessionem, sive patrimonium Pristavus mittatur, fiat, mandeturquè Pristavo, ut eum secum Moschuam ad respondendum sub fidejussione adducat. Moschuæ autem cum fuerit, luat pœnam inobedientiæ suæ ad Tzaris arbitrium, & super actoris libello procedatur, sententiaquè ad justitiæ normam proferatur, solvatquè sine ullâ figura judicij actori pro expensis, & itinere in singulos dies, computandos ab illo, quo subscripta fuit citatio, usquè ad tempus, quo ipse Moschuam adductus fuit, exclusâ ultimâ hebdomadâ, decem copicos, adducenti verò pro itinere sicut erit ordinatum.

141. Sed si reus iste à Pristavo se absconderit, sive inobediens fuerit, adducat Pristavus loco illius servum, vel subditum acceptis fidejussionis literis. Si verò nec servum, nec subditos reus habuerit, referat hoc Pristavus Cancellariæ per scriptum manu suâ subsignatum, mittantquè judices, alium Pristavum cum Tzareis literis ad Palatinum illius civitatis, ubi inobediens delitescit, cum mandato, ut Strelitzios, & satellites necessarios Pristavo ad inobedientem capiendum adjungat. Quem captum Moschuam Pristavus adducat, ibi pro contumacia sua virgis cædatur, solvatquè statim sine ulla figura judicij actori expensas pro victu, & itinere juxta ordinationem, & adductori suo itineris expensas. Super actione autem contra eum intentatà procedatur, & sententia ad justitiæ amussim proferatur. Quòd si tertiò se inobedientem, & contumacem præstiterit, procedatur cum eo, ut suprà, & adductus Moschuam solvat omnes, ut suprà, expensas, & virgis cæsus conijciatur in carceres, in quibus per mensem juxta morem knutis cædatur.

142. Quòd si ad accusatoris instantiam in aliquam civitatem, sive districtum cum inhibitorijs Tzaris, aut pro quolibet alio negocio literis, vel judice mandante ad aliquem Moschuæ citandum, & ad judicium adducendum, aut aliquid aliud agendum Pristavus, aut filius nobilis missus fuerit. Isquè, ad quem mittitur, eum per se, vel per famulos, aut subditos suos percusserit, aut literas ab eo ereptas laceraverit, veritate compertâ, cædatur knutis, & pœnam insuper,

super trimestris carceris subeat, solvatquè percusso biszestiam in duplo. Et si Pristavus secum socios habuerit, hiquè pariter cum ipso vapulaverint, solvat his etiam biszestiam, & expensas in duplo, insuperque damna, si aliqua se esse passos, probaverint. Quòd si aut Pristavum, aut ex socijs aliquem occiderit, morte puniatur, solvanturquè ex bonis ejus omnia occisi debita, de quibus per scripturam constiterit. Si autem ejus famuli, aut subditi eo ablente Pristavum, vel ejus socios percusserint, aut injuriâ aliquâ affecerint, Pristavus autem, vel socij ejus dominum solum, & non ejus famulos, aus subditos accusaverint, ille autem respondeat, se nihil de his scire, inquiratur, & si ejus famuli, aut subditi rei inventi fuerint, cædantur knutis, & solvant Pristavo, & ejus socijs damna, quæ passi fuerint secundùm probationem in duplo.

143. Quòd si Pristavus, & satellites hominem, ad quem missi fuerant, de percussione, injuriâ, & inobedientiâ falsò detulerint, veritate compertâ, percutiantur knuto omnes; satellites verò solvant singuli binos rublos Tzareo ærario in aliorum exemplum.

144. Pristavus citans aliquem in civitate habeat pro sua mercede quinque copicos, & si extra civitatem ad alium quemcunquè locum mittetur, decem tàm ab actore, quàm à reo. Plus autem nullo modo audeat exigere, nihilquè à fidejussoribus accipiat. Citet autem ad judicium utramquè partem sine ullo favore.

145. In castris Pristavus pro mercede alicujus citationis unicum copicum accipiat. Si verò ex castris ad aliquem locum mittetur, habeat ab actore pro singulis milliaribus unicum copicum.

146. Si Pristavus ob munera, vel amicitiam reum ad judicium citare distulerit, aut majorem operæ suæ mercedem, quàm suprà præstitutum sit, exegerit, delatus, veritate compertâ, virgis egregiè cædatur, quodquè plus accepit, reddat delatori. Quòd si talia iterum, vel tertiò commiserit, cædatur knutis, & privetur officio suo.

147. In omnibus Cancellarijs sint Pristavi, teneanturquè dare fidejussores, qui spondeant, quòd in Tzaris negotijs nullas fraudes facient, partibus damnum nullum creabunt, captosquè ex Cancellaria, aut domo sinè licentia non dimittent, nec ulla munera ad eos liberandos accipient.

148. Pro itinere centum millium passuum accipiat Pristavus dimidium rublum. Si verò iter erit longiùs, vel breviùs, ad hujus taxæ ratam. Si ab utraquè parte ad inquirendam veritatem mittetur, dimidium ab actore, reliquum verò taxæ à reo accipiat. Finitâ autem per sententiam causâ, qui succubuerit, refundat victori solutum ab eo Pristavo. Literas autem citatorias, & inhibitorias portent ipsi Pristavi, fidejussoresquè ipsi accipiant, vel eorum fideles socij, famulos verò suos ad hæc præstanda nullo modo mittant. Sed nec ipsi, nec eorum socij aliquid à fidejussoribus accipiant. In eam civitatem, ubi Pristavus aliquis est, cum literis inhibitorijs, & citatorijs alius Pristavus non eat, nec socios suos mittat. Quos verò socios habeat, cancelliistis aperiat, ut in libro scribantur, ne deinceps consocios suos negare possit. Si Pristavus, aut ejus socij damno aliquem affecerint, veritate compertâ, exigatur hoc ab omnibus consocijs, & detur damnum passo. Ille autem, qui damnum

dedit, percutiatur knutis, trudaturquè in carceres ad tempus à Tzare ordinandum, & ſine conſocijs Priſtavi per ſe nihil faciant.

149. Si quis de injuria poſtulaverit Bojaros, Ocolnicios, Conſiliarios, Stolnicos, vel alios cujuscunquè ſtatus homines, ſive eorum famulos, poſtulati verò fuerint tunc temporis in præfecturis civitatum (exceptis præfectis Aſtracani, Sibiriæ, & Tercki, & his, qui fuerint occupati in ſervitio Tzaris in caſtris, ſive in Legatione, ſive in aliqua miſſione, propter quam Tzar ex ſua clementia ei aliud in cauſis judicialibus tempus conſtituet) procedatur in cauſa ſine dilatione, mandeturquè, ut reſpondeant pro abſentibus fratres, vel filij, vel conſanguinei, vel famuli eorum Moſchuæ præſentes, vel amici, quibus ipſi ſuper hoc mandatum dederint, nequè ob eorum ſervitium excuſentur à reſpondendo, quia non eſt caſtrenſe. Sed ſi quis actionem injuriarum intentaverit contra Palatinos, & alios Præfectos, & milites in Regno Aſtracanenſi, in Sibiria, & Tercki, ſive in caſtris in limitibus, ſive alibi exiſtentes, differatur judicium usquè ad eorum poſt finita eis à Tzare demandata negocia reditum. Si inter milites aliquid controverſiæ, vel injuriæ oriatur in caſtris, judicentur à Palatinis caſtrenſibus, ſive à judicibus ab his conſtitutis. Sed ſi actio intentetur de re facta ab aliquo, antequam ad caſtra ſe conferret, non procedatur ſuper ea in caſtris, ſed aſſignetur tempus non currendum, antequam ſervitium Tzaris finitum non fuerit.

150. Palatini, Præſides, & judices civitatum, ſi à civibus, ſive diſtrictûs incolis, munera acceperint, eosquè damno aliquo, aut injuriâ affecerint, poſtulati ſuper hoc, & veritate compertâ, reſtituant, quicquid acceperunt, & inſuper ſolvant pro pœna Tzari quicquid mandaverit.

151. Si aliquis Stolnikus, Strepſius, vel Nobilis Moſchuenſis fuerit in judicio per ſententiam condemnatus, exigantur ab eo omnia per ſententiam conſtituta, deturquè executio in ſcriptis, fidejuſſoresquè deſuper accipiantur. Quòd ſi condemnati pro executione mittere ſervos ſuos detrectaverint, eò quòd rejectam habeant, ſibi ob militarem expeditionem conceſſam, ipſi autem expeditioni perſonaliter non interfuerint, ſed vel ſervos ſuos, vel fratres, vel conſanguineos, vel filios miſerint, manentes ipſi Moſchuæ, vel in villis, rejectâ non attentâ, ad ſolutionem debiti erga actorem adſtringantur.

152. Et ſi aliqui ex diſtrictibus nobiles in expeditione non fuerint, ſed ſubſtitutis filijs, ſive fratribus, ſive conſanguineis, ſive à ſe mercede conductis hominibus, ipſi Moſchuæ, vel alibi negocijs ſuis vacaverint, exigatur ab eis, quicquid actor petijt, ſine dilatione.

153. Nemini literæ à judice non ſubſcriptæ ad civitates concedantur, eò quòd per eas multis injuriæ, & damna oriantur: Si quæ autem præteritis annis alicui datæ fuerint, irritentur, & repertæ apud aliquem, accipiantur, & Tzari transmittantur ad illam Cancellariam, ex quâ fuerunt expeditæ.

154. Si quis actor ſuccubuerit in causa abſoluto per judicem reo, vel hoc per juramentum ſe purgante, vel cum reo ante latam ſententiam transegerit, deinde eundem ſuper ea petitione de novo in jus vocaverit, reijciatur ejus libellus, & ipſe virgis cædatur pro ſua

ſua pœna, & aliorum exemplo, ſolvatquè parti adverſæ pro expenſis victûs, & itineris decem copicos in ſingulos dies, numerandos ab illa, in qua poſt citationem fidejuſſores pro ipſo ſpoponderint.

155. Fidejuſſores, qui pro principali eos fallente ſolvere debuerunt actori debitum, & Tzari pœnam pecuniariam, habeant ſuum contra eum regreſſum, exigantquè ab illo non tantùm quicquid ſolverint, ſed & expenſas pro victu, & itinere ad rationem trium rublorum in ſingulos menſes, & damna, quæ paſſi fuerint, juxta eorum juſtificationem, & judicis declarationem.

156. Si aliquis ex diſtrictibus, cujuscunquè conditionis ille fuerit, poſt acceptam citationem miſerit Moſchuam ad reſpondendum actori vel filios ſuos, vel fratres, vel conſanguineos, vel famulos; Ipſe autem Moſchuam non venerit, ſed domi remanſerit: introductâ autem actione neceſſe fuerit ratione proceſsûs ſuper aliqua re inquirere in civitate illa, in qua non poſſeſſionatus, ſive patrimoniatus moratur, remittatur ad illam, ubi ſuas poſſeſſiones, & patrimonium habet, ſive Moſchuam, interim tamen, qui ab eo miſſi fuerunt ad reſpondendum, Moſchuâ ſine licentia non abeant, quousquè judicium per ſententiam finitum non erit. Quòd ſi diſceſſerint, eorum principalis condemnetur.

157. Si filij, vel fratres, vel conſanguinei, vel amici, vel famuli inceperint pro aliquo agere, vel reſpondere, Moſchuâ usque ad finem cauſæ non diſcedant: & ſi ob ejus proceſſum contingat ſuper aliqua re in aliqua civitate inquirere, principales, qui judicijs non interfuerunt, in illam civitatem non intrent, aliò verò ire eis liceat.

158. Si actor pro quinquaginta rublis agens Stolnicos, ſive Strapzios, ſive nobiles Moſchuenſes, & aliarum civitatum, ſive alios cujuscunquè conditionis homines decem in teſtes nominaverit, & reus conventus eos recuſaverit, vel è contra, rejectis his controverſiis audiantur teſtes, & juxta eorum dicta ſententia feratur.

159. Quòd ſi alterutra partium in lite de viginti rublis decem ex mercatoribus panni, aut civibus, aut alterius inferioris conditionis hominibus, in teſtes nominaverit, audiendi erunt, & juxta eorum dicta ſententia proferenda.

160. Si verò teſtes ſupra dicti à reo convento adducti dictis ſuis ejus exceptioni non ſuffragaverint, vel diſcordes inter ſe fuerint, vel ignorationem ſuper interrogationibus adduxerint, condemnetur.

161. Si actor aliquis cujuscunquè conditionis multos univerſim teſtes ſine eorum ſpecificatione nominum examinari petierit, reus verò hoc recuſaverit, vel è contrà; non audiatur, ſed mittatur ſtatim ad eos examinandum. Omnes verò, & ſinguli ſecundùm ſtatum, & conditionem ſuam dicta ſua corroborare tenebuntur. Archimandritæ, Priores, & Monachi juxta conſuetudinem conditionis Monaſticæ. Protopopi, Popi, & Diakoni juxta Eccleſiaſtici ſtatus morem. Nobiles quicunquè & plebeij, cunctiquè Ruſſi per Domini Tzaris nomen, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Alexij Michaelowicz jurabunt. Kneſij, Myrzæ, Tartari, Ceremiſſæ, Mordwæ, cæteriquè Pagani juxta fidei ſuæ conſuetudinem. Interrogentur verò ſinguli ſeparatim nemine præſente, præter actorem, qui eorum dicta tunc ſcribenda procuret. Si teſtes Rutheni fuerint, dictis ſuis manu ſuâ

ſubſcri-

ſubſcribant, eorumquè patres ſpirituales. Si Lituani, aut Germani, & ipſi dicta ſua manu ſuâ ſubſignent, ſeu aliquis alius ad eorum inſtantiam pro eis. Si Tartari, aut ex cæteris Paganis literas pingere ſcientes etiam dicta ſua manu ſuâ ſubſignent, neſcientes verò ſcribere ſua tantùm ſigna faciant. Dicta autem teſtium ſcribant ipſi examinatores, ſed nobilium examina ſeorſim ab alijs eorum famulorum, & ſubditorum ſcribantur, ne iſti cum illis ſubſcribant. Quòd ſi reus exceperit contra aliquos teſtes, eosquè ſcriptò expreſſerit dicendo eos non eſſe examinandos, quia actoris filij, vel conſanguinei, vel amici ſint, non credatur huic exceptioni, ſed omnes examinentur, monendo eos de veritate dicenda ſine ullo affectu timoris, odij, vel amoris, & interminando eis Tzaris indignationem, ſeveramquè vindictam, ſi contravenerint. Caveantquè examinatores, ne per aliquam cum producente eos colluſionem teſtes falſum deponant. Quòd ſi fieri animadverterint, vel teſtes ad interrogata aut nihil, aut non explicitè reſponderint, faciant de hoc Tzarem literis ſuis, quæ illorum nomina ſcripta contineant, certiorem. Si verò ipſi examinatores ob munera, vel amicitiam, vel odium muneri ſibi demandato fideliter non ſatisfecerint: vel de colluſione teſtium Tzari ſcribere neglexerint, hocquè ei aliunde innotuerit, magnam hujus indignationem incurrent, magnamquè ſubire pœnam debebunt. Si autem teſtes aliquot ad actoris, aliquot ad rei favorem depoſuerint, attendatur eorum pluralitas, ita ut ille obtineat, qui plures inter illos pro ſe dicentes habuerit.

162. Quòd ſi pars, quæ in cauſa ſuccubuerit, appellationis libellum Tzari porrexerit, aſſerens teſtes plures numero contra veritatem, minores verò ſecundùm illam depoſuiſſe, ſeligantur ex utroque teſtium numero de ſingulis centenis, juxta ſuam quique conditionem, aut civium, aut militum, aut aulæ famulorum, aut aliorum quorumcunquè principaliores duco: aut ſi ad centenarium unius conditionis numerum non aſcenderint, unus: & interrogentur ſingulatim ſtrictiſſimâ inquiſitione ad eruendam veritatem, unde appareat, quænam illorum pars mendaciter teſtificata fuerit. Et ſi appellans per ſuum minorem teſtium numerum appellati majorem numerum veracibus dictis ſuperaverit, iſtorumquè mendacium probaverit, tunc ſolvant iſti Tzari pro pœna, ut ſequitur. Singuli Archimandritæ rublos quinguaginta. Priores, & Procuratores quadraginta. Theſaurarij, Vicarij & Patres conſilij triginta. Ordinarij Monachi quinque. Servitores Majorum Monaſteriorum viginti. Minorum autem quinque. Protopopi quadraginta. Protodiaconi triginta. Popi viginti. Diaconi & Cantores Eccleſiaſtici decem. Stolniki, Strepzij, Nobiles Moſchuenſes, & diſtrictuum, alijquè nobilis conditionis, omnesquè illi, qui interrogati de veritate dicenda reſpondere obſtinatè detrectaverint, ſolvant ſinguli 30. rublos. Decuriones civium 20. Cives, & alij inferioris conditionis 10. Subditi nnum. Et ex illis poſtremæ hujus conditionis, qui ex numero teſtium fuerunt, accipiantur præſides villarum, & principaliores ſubditi, & ex ijs decimus quisquè knutis cædatur. Archimandritæ verò, Priores, Popi, & Diakoni, qui falsò teſtificati fuerint, remittantur ad Patriarcham, Metropolitas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ordinarios ſuos pro punitione. Solvantquè teſtes, qui mentiti fuerint,

parti

parti per eorum mendacium læsæ damna omnia, quæ paſſa fuerit, & expenſas, quas fecerit. Et ſi torturæ aliquis pro eorum mendacio ſubjectus fuerit, huic inſuper ſolvant biſzeſtiam in quadruplo.

163. Quòd ſi appellans per minorem ſuum teſtium numerum in ſecundo examine majorem non vicerit, ſed æqualis tantùm in probationibus evaſerit, ita ut inter ſe contendentes provocent ad torturas, concedatur. Quòd ſi per torturam aliqua partium probaverit alterius mendacium, exigatur ab hac pœna pro Tzare, datâ punitione, ut ſupra ſcriptum eſt, & inſuper biſzeſtia pro torturatis in quadruplo, & ſententia feratur in judicio cauſæ principalis juxta teſtificationem horum, qui in tortura pervicerunt.

164. Si quis in aliqua cauſa interrogatus de veritate dicenda negaverit, ſe de interrogatis notitiam habere, adſint autem teſtes qui probent, eum de illis ſcire, ſolvat pro tali mendacio pœnam Tzari, & corrigatur juxta ſuperiùs ſcripta.

165. Sed ſi nullus adſit contrarius teſtis, admittatur profeſſio ſuæ ignorationis.

166. Si teſtis in depoſitione ſua ſibi contrarius deprehenſus fuerit, corrigatur, ſicut diſpoſitum eſt ſuperiùs de teſtibus mentientibus.

167. Si actor, & reus communes teſtes nominaverint, mittatur ad eorum dicta audienda. Sed ſi poſt horum examen alterutra partium alios univerſim ſumptos teſtes examinari petat, reijciatur, ne damnum, & expenſæ adverſæ parti inde enaſcantur.

168. Si partes in aliquo ex propoſitis in libello in judicio conſenſerint, & poſtmodum in eodem alios inſuper teſtes producere prætendant, non audiantur, ſed ſententia proferatur juxta eorum priorem conſenſum.

169. Si partes communi conſenſu ad trium à ſe nominatorum teſtium dicta ſe referant, & in examine eorum unus mentiatur, reliqui verò duo conteſtes eum de mendacio convincant, credatur hiſce duobus, tertio rejecto.

170. Si communis utriusquè partis teſtis muneribus, vel quolibet alio depravatus affectu mandata DEI transgrediendo in examine mentitus fuerit, pars autem læsa eum ſuper hoc accuſaverit, veritate compertâ, cædatur knutis ſine miſericordia, & parti læſæ impenſas ſolvat.

171. Sed ſi ejus accuſator non probaverit, eum fuiſſe mentitum, ſolvat ei biſzeſtiam, & cædatur knutis ſine miſericordia in aliorum exemplum.

172. Teſtimonium illius, qui dixerit, ſe ab alijs illud, quod aſſerit, audiviſſe, & nullam aliam ſcientiæ ſuæ rationem reddiderit, non admittatur.

173. Si teſtes à partibus producti Bojarorum famuli, vel ſubditi, vel mulieres fuerint, examinentur in omnibus per juramentum ante imaginem DEI ad hoc, ut veritatem dicant, quomodo ante Divini judicij tribunal ſtarent.

174. Si quis mancipium ſuum ſive maſculum, ſive fæminam quacunquè de cauſa manumiſerit, non poſſit manumiſſus contra eum, vel ejus filios, nequè pro eo, vel ejus filio teſtimonium ferre.

175. Si actor ad fundandam actionem ſuam petat plures teſtes examinari univerſim ſumptos, ſine alicujus nominis ſpecificatione,

 & reus

& reus non contradixerit ; ſed poſtea duos, vel tres ex illis, vel decem, vel viginti tantùm ſpecificatis eorum nominibus, examinari velit, reijciatur, & procedatur ſecundùm petitionem actoris, cui non contradixit.

176. Si actor patrem, vel matrem rei, vel hic actoris pro teſtibus vocaverit, non reijciantur, ſed juxta eorum depoſitionem ſententia feratur.

177. Teſtimonium autem uxoris rei pro actore, vel actoris pro reo non admittatur.

178. Si quis egerit contra Bojari famulum referens ſe ad ejus teſtimonium, famulus autem pro ſe & Domino ſuo reſpondere voluerit, vel è contrà, Bojari non interrogentur, ſed cauſa ſecundùm juſtitiam finiatur.

179. Si quis contra aliquem actionem minimi momenti, prout ſpoliationis unius, vel alterius rubli, injuſtè, & falsè intentaverit, & ad probandam intentionem ſuam aliquem infimæ conditionis hominem in teſtem produxerit, accuſatus verò, ne teſtes falſitatis peccatum committant, in eos conſentiens, quaſi reus petitam ab accuſatore ſummam ei ſolverit : & iſte ex ſucceſſu audacior factus non recedendo à judicio aliam contra illum majoris momenti actionem per novum libellum inſtituerit, nominando eosdem, quos antea in prima actione produxerat, teſtes ; Accuſatus verò in hac ſecunda in hos non conſenſerit, quomodo conſenſerat in prima, admittatur illius exceptio, & procedatur in cauſa juxta dictamina juſtitiæ.

180. Si actor, & reus communi conſenſu aliquos in teſtes nominaverint, & deinceps non recedendo à judicio eorum alteruter eos repudiare voluerit cum inſtantia, ut alij examinentur, non audiatur, ſed cauſa juxta dicta teſtium, in quos communiter partes conſenſerunt, finiatur.

181. Si actor, & reus communi conſenſu aliquos in teſtes nominaverint, quorum dictis ſtare ſe velle dixerint, & poſt biduum, vel triduum, vel poſt hebdomadam exorta fuerit inter easdem partes nova aliqua lis, pro cujus deciſione eoſdem, qui ſupra, teſtes altera nominaverit, altera autem rejecerit, aſſerens aliquam ſibi cum eis inimicitiam intercedere, non admittantur hi teſtes ad hanc ſecundam actionem, ſed benè ad primam, cujus proceſſus ſecundùm eorum dicta finiendus erit.

182. Si quis cum aliquo ex mera malitia colluſerit, petiturum ſe ab aliquo in judicio ſummam aliquam, dummodò colluſor teſtimonio ſuo petitionem corroboret. Dum autem reus conventus amicos ad fidejubendum pro ſe requirit, actor ei hunc colluſorem ſuum ſubmiſerit, ut pro eo ſpondeat. Deinde hunc eundem in teſtem ad fundendam intentionem ſuam nominaverit, reus verò colluſionem ei objecerit petens, ut ab eo ſuper ea inquiratur, ipſe autem eam confeſſus fuerit, non condemnetur reus, ſed cauſa ſecundùm juſtitiam dirimatur.

183. Si quis plures homines unâ ſimul injuriâ affecerit, unus autem horum ſolus eum pro parte ſua coram judice poſtulaverit, ſocij verò injuriati, quia abſentes, hoc non fecerint, audiatur ille, eiquè juſtitia adminiſtretur, usquequò ab accuſato, ſi condemnabitur, partem ſibi debitam exigat. Reliquis reſervatum ſit jus agendi ad eorum libitum.

184. Si

184. Si quis actionem de injuriâ in ſolidum intentet contra plures ſive fratres, ſive poſſeſſionatos in ſimul cohabitantes, unuſquè ex accuſatis, antequam tempus comparendi coram judice venerit, cum eo tranſegerit, reliqui verò tranſigere recuſaverint, non ideò condemnentur, ſed fiat proceſſus in cauſa, & juxta acta, & probata ſententia feratur.

185. Si minorennis, vel vidua, vel virgo ab aliquo conveniatur, hæcquè ad reſpondendum non ſit habilis, famulos autem, aut ſubditos, qui pro ipſa reſpondeant, non habeat, ſed tantùm conſanguineos, at abſentes, ideoquè petat, prorogari ſibi terminum ad reſpondendum, usquequò illi Moſchuam ſe conferre poſſint, concedatur dilatio juxta ejus petitionem ; ſed fidejuſſores det, qui ſpondeant, quòd tempore aſſignato ſtatuent illos, qui pro ea reſpondere debebunt ſine ulla dilatione. Quòd ſi eos non ſtatuet intra terminum, condemnetur.

186. Si quis oblitus timoris DEI, & juramenti Tzari præſtiti ex proprio motu ſine alicujus inſtigatione aliquem de percuſſione, & ſpolio falsò accuſaverit, antequam verò coram judice ambo compareant, pretium aliquod non magni momenti datum ab accuſato ad redimendam vexam per tranſactionem acceperit, & ab accuſatione receſſerit, veritate compertâ, ſolvat pro pœna Tzari rublos quinquè, innocenti verò accuſato in duplo, quicquid ab eo acceperit, & inſuper ante Cancellariam coràm multis knuto ſine miſericordia cædatur, conijciaturquè in carceres ad arbitrium Tzaris.

187. Quòd ſi ſecundò hoc crimen idem commiſerit, ſolvat Tzari decem rublos, accuſato damna in duplo, cædatur knutis, ut ſupra, ducaturquè ad carceres, ut ſupra, ſed dum ducitur, percutiatur knutis ſine miſericordia.

188. Et ſi tertiò idem peccaverit crimen, ſolvat Tzari viginti rublos, accuſato damna in duplo. Percutiatur knuto ante Cancellariam, & per forum, & trudatur in carcerem ad arbitrium Tzaris, & nullum deinceps ei judicium in ulla actione detur.

189. Si quis cujuscunquè conditionis homo libellum contra aliquem obtulerit, petendo ab eo pecunias vel mutuò, vel per depoſitum, vel alio quocunquè modo datas, nullamquè produxerit prætenſi ſui debitoris ſcripturam, nullamquè aliam probationem, nullus Priſtavus ad citandum mittatur, nullumquè contra prætenſum debitorem judicium detur.

190. Sed ſi miles aliquis in ſervitijs Tzaris exiſtens in aliqua civitate hoſpitium apud aliquem habuerit, ab eoquè in judicio petat aliquid à ſe apud illum tunc temporis depoſitum, ſcripturâ autem depoſitarij careat, nihilominùs audiatur, quia milites ſolent victualia, & arma ſua depoſitare apud illos, qui ipſis in civitatibus hoſpitium præbent, & aliquando improviſâ Tzaris ad celerem aliquam expeditionem evocatione correpti, ea apud hos relinquere coguntur, & ſi per inquiſitionem, & probationes res petitæ recuperari à depoſitario poterunt, reſtituantur actori ; ſed ſi probationes deficiant, recurratur ad juramentum accuſato deferendum.

191. Quòd ſi miles falsò hanc actionem contra aliquem propoſuerit, veritate compertâ, cædatur knutis ſine miſericordia.

192. Exceptis verò militibus, cùm in ſervitijs Tzaris Moſchuæ,

vel

vel in alijs civitatibus hoſpitio excipiuntur, nemini carenti depoſitarij ſcripturâ competat depoſiti actio, ne detur anſa falſitatibus, & injurijs.

193. Si quis cujuscunquè conditionis aliquid alicui artifici ad conficiendum dederit, hic autem negaverit, ſi hunc ille convenire voluerit, audiatur, & juxta acta, & probata ſententia feratur.

194. Si quis aliquid pignoris loco, vel ad conſervandum ſibi traditum domi habuerit, illud verò vel per incendium perierit, vel fures abſtulerint, & eodem caſu omnia ſua ſimul ipſe amiſerit, tenetur hoc indicare vicinis, & curare in Cancellarijs adnotari. Quòd ſi pignoris, vel rei datæ ad conſervandum dominus dederit libellum contra eum aſſerendo, quòd res ſuæ tantùm perierint, alteriùs verò omnia ſalva ſint, audiantur ambo, & juxta acta, & probata deciſio judicialis fiat.

195. Si quis aliquid alicui ad conſervandum dederit incluſum in arca aliqua, & ſigillo ſignatum, eoquè abſente depoſitarius ſigillum violaverit, arcamquè aperuerit, ille autem hunc convenerit, aſſerendo aliquid ſibi ex depoſito deeſſe, veritate compertâ, reddat depoſitarius depoſitum in integro. Si verò contentiones inter ipſos ſint, deveniatur ad juramentum.

196. Si quis alicui pignus aliquod pro pecunia credita, vel ob aliquam aliam cauſam dederit cum pacto in ſcriptis, ut, ſi conſtituto ad ſolutionem tempore illud non redemerit, omni jure ſuo in pignore, & ad pignus cadat, dominiumquè omne in eum, cui pignus datum fuit, translatum intelligatur, licitum erit huic pignus vendere, pignoris loco, vel dotis nomine dare.

197. Si quis equum, vel aliquod aliud animal pignoris loco alicui dederit, animal autem ex morbo, non fame, non occiſione, vel aliâ aliquâ vi, moriatur, creditor dimidium tantùm crediti ſui à debitore exigat, reliquum huic cedat. Sed ſi iſte oppoſuerit creditori, quòd malitiosé circa pignus egerit, audiantur judicialiter, & ſecundum juſtitiam cauſa inter eos decidatur.

198. Si quis cum multis conſpirans in alicujus domum latronum more vi irruerit, eumquè, vel uxorem ejus, vel filios, vel famulos occiderit, veritate compertâ, ultimo ſupplicio afficiatur. Socij verò ejus omnes percutiantur knutis, & mittantur, quò Tzar mandaverit.

199. Quòd ſi nec patremfamilias, nec ullum alium occiderint, ſed injuria tantùm, aut damno affecerint, ſolvant injuriam, vel damnum paſſo biſzeſtiam, vel æſtimationem in duplo, & omnes knuto cædantur. Sed ſi vulnera alicui tunc inflixerint, veritate compertâ, amputetur vulneranti manus, & ſocij percutiantur knutis, & fidejuſſores ſtatuant, qui pro ipſis ſpondeant, quòd in poſterum talia amplius non committent, & ſolvant biſzeſtiam vulnerato in duplo.

200. Si verò is, in cujus domum violenti irruerint, ſe, & ſua neceſſariò defendendo aliquem ex ijs occiderit, & cadaver occiſi ad judicem attulerit, veritate compertâ, nulli pœnæ ſubjaceat.

201. Si quis alicui anſam ad rixam dederit, & in ea à defendente ſe vulneratus actionem pro vulnere contra eum inſtituerit, reus verò defenſionem ſui neceſſariam contra illum exceperit, veritate compertâ, nullam accuſatus ſubeat pœnam, nihilquè vulnerato ſolvat.

202. Si

202. Si quis minatus fuerit alicui præſenti, vel abſenti, quod velit ejus domum, vel officinam cum pane incendere, ſive aliquod aliud ei damnum inferre, iſte, cui alter minatus fuerit, ſignificet vicinis ſuis illius minas, curetquè in Cancellarijs ſcribi, & inquiſitione deſuper fieri. Quòd ſi verum eſſe contra accuſati inficiationem reperiatur, cogatur ad fidejuſſores dandos, qui pro eo ſpondeant, quòd talia non ſit commiſſurus. Si verò fidejuſſores dare renuat, cædatur knutis, trudaturquè in carcerem, quoadusquè eos dederit. Si autem, poſtquam eos dederit, eveniat, ut accuſatoris ſui domus, vel officina incendatur, vel ei aliquod aliud damnum ignoti homines inferant, ipſe tortura ſubijciatur, & ſi reum ſe incendij, vel damni illati fatebitur, damna omnia ab accuſatore paſſa ei refundat, quod ſi ſolvendo non ſit, vel aufugerit, unde torqueri nequeat, exigantur ab ejus fidejuſſoribus. Sed ſi in tortura perſiſtens negaverit factum, liberetur, torturam verò ſibi imputet, & minis, quas inaniter in malis operibus jactabundus effutijt.

203. Si quis per chirographum, vel aliquod aliud inſtrumentum alicui debitor ob paupertatem, Divinâ permiſſione ab incendio, inundatione, ſpoliatione, furto, vel alio quocunquè fortuito modo cauſam habentem, fidem ſuam ſolvendo liberare nequierit, detur ei dilatio temporis ad arbitrium, modò triennium non excedat, ſed teneatur fidejuſſores opulentos dare, quibus tutò credatur, qui ſpondeant, pro ipſo, quòd conſtituto per dilationem tempore debitum ſolvet, nec in alia regna aufugiet. Quòd ſi conſtituto tempore creditori debitum non ſolverit, nec præſens fuerit, ſolvant ejus fidejuſſores, & ſi in aliud Regnum ille fugâ evaſerit, perjurij ejus pœnam etiam ſolvant. Si ante conſtitutum tempus debitor mortuus fuerit, eo finito uxor ejus creditori debitum mariti ſolvat, ſi non habeat unde, ſolvant eum fidejuſſores, qui præſentes fuerint.

204. Sed ſi fidejuſſores dare nequiverit, tradatur creditori apud eum remanſurus, uſquequò ſolverit, vel cum eo tranſegerit. Si verò nobilis, aut filius nobilis fuerit, non tradatur, ſed cædatur virgis ſuper cruribus juxta morem pro executione usque dum ſolverit.

205. Si autem fidejuſſores ſpoponderint pro eo, non quòd tempore conſtituto ſolvet, ſed tantùm, quòd comparebit, ante verò temporis terminum debitor mortuus fuerit, in nihilo erga creditorem tenebuntur.

206. Si quis ab aliquo pecunias, vel aliquid aliud mutuò acceperit ad mercandum, & quod accepit, amiſerit, vel diſſipaverit, & non habeat, unde ſolvat, tradatur creditori, ut ab eo ſe redimat.

207. Si quis de vi, quomodocunquè illatâ, ſive percuſſione, ſive vulnere, ſive damno quocunquè in judicio poſtulatus, poſt inquiſitionem, vel verificationem ſui delicti, antequam parti læſæ ſatisfecerit, mortuus fuerit, relictis poſſeſſionibus, vel patrimonijs, vel alijs bonis ſuis uxori, ſive filijs, teneantur iſti accuſatori damna ab accuſato data refundere.

208. Si quis poſſeſſionatus, ſive patrimoniatus, vel ejus famuli, aut ſubditi equum, vel aliud animal alienum in ſuis pratis, vel agris fœnum, aut fruges depaſcens invenerit, teneantur hoc vicinis ſuis notificare, & ad pecudis dominum mittere cum intimatione, ut ipſe ad videndum damnum à pecude in pratis, vel agris factum accedat. Si

acceſſerit, & damna ſolverit, reddatur ei animal: ſi non, tunc damnum paſſus animal retineat, & de damnis actionem inſtituat coràm judice, & reus teneatur ea juxta judicis ſententiam illi refundere cum expenſis pro animalis pabulo ab eo factis, & ſolvere inſuper Tzari pœnam pro vi in duplo.

209. Sed ſi animal captum incluſerit ſine pabulo, unde fame moriatur, & ejus dominus eum de hoc poſtulaverit, re probatâ, ſolvat domino pretium animalis juxta æſtimationem per judicem faciendam. Quòd ſi probaverit dominus pecudis majus, quàm æſtimatum fuerit, pro eo pretium ſibi ab aliquo fuiſſe oblatum, hoc idem ei ſolvat.

210. Si quis equorum, vel aliorum animalium gregem ſine ulla damni paſſi occaſione ex ſua, vel aliena poſſeſſione in domum ſuam abegerit, delatus, & veritate compertâ, jubeatur gregem domino ſuo reſtituere. Quòd ſi animal aliquod ex eo vel fame, vel alio modo necaverit, ſolvat ei ejus æſtimationem in duplo, & inſuper Tzari pro vi illatâ pœnam pariter in duplo.

211. Si quis accuſatus fuerit, quòd in alterius agri poſſeſſionem invito Domino intrudere ſe volens, eum tanquam ſuum ſeverit, re probatâ, amittat omne ſatum, quod cedere agri domino integrum debebit. Quòd ſi ante finem litis putruerit, vel depaſtum fuerit, ſive accuſatus illud demeſſum aſportaverit, refundat iſte accuſatori ejus pretium juxta æſtimationem in duplo, & ſolvat ſimiliter in duplo pœnam Tzari.

212. Sed ſi accuſatio falſa fuerit, & ſeminans, non in alieno, ſed ſuo agro ſeminaverit, ſolvat accuſator Tzari pœnam in duplo.

213. Nemo cujus ager ab extraneo eo invito ſeminatus fuerit, ex ſe ejus poſſeſſionem ſibi vindicet, ſed judicis officium ſuper hoc requirat, ideoquè non fruges ex eo ſine judiciali ordinatione aſportare, nec deſtruere, nec in ijs animalia paſcere audeat.

214. Si aliquis in poſſeſſionibus, vel patrimonijs ſuis lutras habuerit, qui contigua bona poſſidet, eas inde non expellat, nec occidat, nec auferat. Si contrafecerit ipſe, vel ex famulis, aut ſubditis ejus aliquis, accuſatus, & re probatâ, ſolvat earum domino pretium juxta æſtimarionem faciendam. Quòd ſi lutræ nemine eas expellente ipſæ ex ſe, derelictâ antiquâ ſede, ad aliam aliò tranſierint, ibiquè multiplicari incœperint, non poterunt ab antiquis dominis repeti, ſed pertinebunt ad dominum fundi, ad quem recenter tranſierunt.

215. Si quis alterius lupulos invito domino auferet, aut hortum deſtruet, veritate in judicio probatâ, ſolvat accuſatori damnum juxta æſtimationem.

216. Si quis aucupij gratiâ decipulas, vel pedicas tetenderit, aut alia quælibet inſtrumenta aptaverit, aliquis verò malo affectu hæc deſtruxerit, & aves abegerit, ſive eas jam tendiculis, aut alio quolibet modo implicatas abſtulerit, aut occiderit, veritate ad inſtantiam accuſatoris compertâ, ſolvat ei damnum juxta æſtimationem faciendam.

217. Pro deſtructis verò inſtrumentis, vel pice, aut allio oblitis, ſeu alio quocunquè modo vitiatis, cædatur virgis ſine miſericordia. Sed ſi retia ad gallinas ſylveſtres capiendas, vel tendiculas

diculas furto abſtulerit, ſolvat pro illis tres rublos, pro his verò unum.

218. Si quis accuſatus fuerit, quòd arborem pro alveari aptatam malitiosè ſecuerit, vel combuſſerit, vel alio aliquo damno affecerit, veritate compertâ, ſolvat pro arbore, in qua erant apes, tres rublos, pro ea, in qua non erant tunc, ſed jam fuerant, unum cum dimidio; pro aptata tantùm, ad quam nondum apes convenerant vigintiquinque altinos, & pro non aptatâ duodecim cum tribus dengis.

219. Siquis illæſo alveario apes tantum furatus fuerit, ſolvat rublum cum dimidio damnum paſſo. Sed ſi alvearia ſimul cum apibus ex domeſtico apiario, aut ex ſylvis furto abſtulerit, ſolvat pro ſingulis alvearijs rublos tres, & inſuper cædatur knutis. Si verò in alicujus ſylva ex compoſito arborem, in qua alvearia fuerint, ſecuerit, & mel acceperit, ſolvat ejus dominis ſex rublos.

220. Si aliquis poſſeſſionatus, vel patrimoniatus accuſatus fuerit de exciſo in alieno fundo invito domino nemore, re probatâ ſolvat damnum juxta æſtimationem.

221. Si quis accuſatus fuerit, quòd poma interdiu invito domino, noctu verò furtim ex alicujus horto abſtulerit, ſolvat damnum accuſatori juxta ejus aſſertionem: Sed ſi horti arbores reſciderit, vel abſtulerit, ſolvat pro quolibet tres rublos.

222. Sed ſi quis ex alicujus horto violentus, vel furtivus abſtulerit fructus, ſolvat damnum, & corrigatur juxta delictum.

223. Si quis accuſatus fuerit, quòd ex præmeditato dolo malo ſylvam alicujus incenderit, aut ſi ab equorum, ſive aliorum pecudum paſtoribus ob negligentiam in ſylva ſuſcitetur incendium, ob quod arbores ad apum labores aptatæ damnum paſſæ fuerint, vel feræ, & aves inde aufugerint, ſolvat reus Tzari pœnam ad ejus arbitrium; Accuſatori verò damna ſecundùm æſtimationem. Sed ſi incendium non ex malitia ſuſcitatum fuerit, nihil ab eo, ſive pro Tzare, ſive pro accuſatore exigatur.

224. Si, dum aliquis in agris ſuis ſtramen, aut in pratis fœnum comburit, excreſcentes flammæ vicinos hortos corripuerint, poſtulatus, fiat deſuper inquiſitio, & ſi compertum fuerit, quòd malitiosè in facto verſatus fuerit, accendendo, nempe, ſtramen, & fœnum ſuum vento flante verſus hortos, qui à flammis correpti fuerunt, quos defendere cum poſſet, neglexerit, ſolvat damna accuſatori juxta æſtimationem.

225. Sed ſi accendit ſilente vento, & dum arderent ſtramen, & fœnum, is cœpit flare, non imputetur ei in culpam, quòd ex mera permiſſione Divina evenit, incendium.

226. Si in alicujus domo fortuitum incendium vicinas etiam corripuerit, nulla contra illum actio detur.

227. Si quis domum ad habitandum conduxerit ſub pacto eam non incendendi, imò ab incendio cuſtodiendi, ex negligentia autem ſua incenſa fuerit, ejus æſtimationem locatori ſolvere teneatur.

228. Si quis animo deliberato alienam domum incenderit, re probatâ, comburatur.

229. Si quis aliquem de injuria, vel damno ſibi ab ejus famulis, vel ſubditis, qui ſe abſentaverint, illato in judicium vocaverit, hic verò comparens adducat, neſcire ſe, an famuli, vel ſubditi

ſui

ſui injuriâ, vel damno accuſatorem affecerint, & an in ſuis poſſeſſionibus, aut patrimonijs ſint; ideoquè petat tempus ſibi concedi ad inquirendum de ijs: concedatur; ſed datis priùs fidejuſſoribus, qui ſpondeant, quòd de illis inquiret, & tempore conſtituto in judicium veniet. Si verò non venerit, non ideò condemnabitur, ſed fidejuſſores ejus teneantur eum perquirere, alioſquè dare fidejuſſores, qui ſpondeant pro ipſis, quòd eum brevi ſtatuent ad reſpondendum. Interim autem, dum eum perquirunt, ſolvant accuſatori decem copicos in ſingulos dies. Si verò ſupplices petierint, dari ſibi Tzaris literas, vel Priſtavum mitti pro eo, fiat, cum aſſignatione temporis, intra quod ille comparere in judicio teneatur. Exiganturquè ab eis ſimiliter decem copichi in ſingulos dies, quoaduſque illum coram judice ſtatuerint, quod ſi intra tempus, ut ſupra, aſſignatum eum nondum in judicio ſtatuerint, & alium terminum ad hoc præſtandum petierint, concedatur, ſed ſolvant continuò accuſatori decem copicos in ſingulos dies. Si verò nequè intra ſecundum hunc terminum ille coram judice comparuerit, condemnetur abſque ulteriori proceſſu juxta petitionem accuſatoris, cui fidejuſſores omnia damna refundere teneantur.

230. Poſſeſſionati, & patrimoniati teneantur in villis, & pagis ſepes facere, unuſquiſque vicinorum pro ſua dimidia parte, ſi verò per alicujus ſepem animal in agrum alterius intraverit, ibiquè fruges damnificaverit, ſolvatur ei damnum ab eo, per cujus ſepem animal ingreſſum fuerit. Qui agros pratis contiguos habuerit, faciat inter ea ſepem, quòd ſi per hanc, aut ejus, aut vicini alicujus animalia in prata ingreſſa fuerint, ſolvant damna, quæ fecerint pratorum domino.

231. Si aliqui poſſeſſionati, ſive patrimoniati in Tzaris terris de confinijs diſputantes terminos amoverint, re probatâ, in ipſis confinijs, de quibus contendebant, cædantur knutis ſine miſericordia, trudanturquè in carcerem ad knutos per hebdomadam, ſolvantquè accuſatori pro quolibet termino amoto quinque rublos, mandeturquè eis, ut illos in antiquo loco reponant. Quòd ſi talia patrare auſi fuerint ſubditi alicujus villæ inter ſe, cædantur & ipſi knutis, & termini in loco antiquo reponantur.

232. Si quis confinia fraudulenter ſibi uſurpaverit non factis in terra eorum ſignis, re compertâ, quicquid ſoli uſurpaverit, cedat ejus accuſatori, ſolvatquè Tzari pœnam pecuniariam, & corrigatur ad hujus arbitrium.

233. Si alicubi inter excreſcentes herbas termini occulti non apparuerint, dominuſquè fundi in confinijs petierit eos renovari, mittatur aliquis bonus nobilis, qui præſentibus utrinque poſſeſſionatis & patrimoniatis confinia facientibus per vicinos ætate grandævos eos renovet, inſcribanturquè in libro, nec ideò antiqui termini eruantur, aut deſtruantur; ſed relinquantur, ne detur anſa inter confinantes litis & contentionis.

234. Si villarum, & Pagorum ad Tzaris aulam ſpectantium ruſtici confinia cum Patriarchæ, Metropolitarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Monaſteriorum, ſive poſſeſſionatorum, & patrimoniatorum terris habuerint, interquè eos lis aliqua de terminis orta fuerit, dirimatur per libros inſcriptorum limitum, aliaſquè probationes, & teſtimonia vicinorum, & ſeniorum, quos in teſtes hinc inde partes produxerint.

235. Quòd

235. Quòd ſi judicibus de partium juribus non liquerit, unde deſuper ſententiam ferre non poſſint, deveniatur ad juramentum cum prælatione imaginis, & præferat eam is, cui illud deferetur.

236. Si ſeniores, ad quorum teſtimonia partes provocaverint, inter ſe diſcordes fuerint, ita ut pars eorum pro actore, altera pro reo convento depoſuerit, mittatur ſors adhibitâ imagine, & cui illa ſaverit, terra, de qua contentio eſt, aſſignetur.

237. Si quis poſſeſſionatus, ſive patrimoniatus in fluvio, cujus utramque ripam ipſe poſſidet, detentionem aquæ facere, & molendinum de novo exſtruere voluerit, & propè talem aquæ detentionem nulla antiqua aliorum dominorum molendina, nulli agri, nullaquè prata fuerint, vel ſi fuerint, ab illa nullum capere detrimentum, aut impedimentum poſſint, liceat ei molendinum exſtruere & aquam detinere. Sed ſi contrarium patuerit, quòd, nimirùm, ab hac detentione aquæ ſuperiora jam exſtructa molendina impedimentum ſint paſſura, agriquè, & prata damnum, non liceat. Quòd ſi fecerit, & inde damnum aliquod ſuperioribus molendinis, vel agris, vel pratis emerſerit, mandetur ei, ut aquam fluere deſtructis cataractis ſinat, & damna data juxta æſtimationem faciendam paſſis reſarciat; quòd ſi machina ad aquæ detentionem ab eo exſtructa, dum deſtruitur, ab aquæ fluxu ad alicujus ripam adducatur, teneatur eam ſuis expenſis inde amovere, & in poſterum nunquam amplius talia facere audeat.

238. Si quis propria apiaria, ſive jus piſcandi in ſtagnis, aut fœnum ſecandi in Tzaris, vel alicujus poſſeſſionati, ſeu patrimoniati ſylvis habuerit, antiquâ poſſeſſione ſit contentus, nec ſectionem fœni ad aliena prata extendat. Quod ſi, ubi fœnum ſecabatur, creverit ſylva, detur illi alibi intra limites ſui juris compenſatio. Extra illos autem nemini liceat alienam ſylvam purgare, ut ſibi prata faciat, ſed ſi aliqua arbor, in qua ſuum alveare cum apibus, vel ſinè habuerit, ceciderit, licitum erit ei alveare ſuum ex ea ſecare, equè ſylvâ aſportare, modò radices, & frondes ſylvæ domino relinquat. Ligna autem ex ea auferre, vel ſylvam ſuam vocare nullo modo debebit. Et è contrà ſylvæ dominus aliena apiaria, ſtagna, aut prata ſibi uſurpare, eaquè ſua dicere non audeat.

239. Si quis ſylvam ſuam purgare voluerit, intactas debebit relinquere arbores, quæ aliena alvearia habent, quòd ſi aliquam ex ijs ſucciderit, vel combuſſerit, vel aratro læſerit, ſolvat damnum paſſo pœnam, ut ſuperius conſtitutum fuit.

240. Si quis ſylvam ſuam totam purgans in agros converterit, aliena tamen prata, & ſtagna nullo modo ſibi uſurpet, ſed tranſitum ad ea dominis concedere teneatur, qui tamen cavere debebunt, ne hâc ſervitute abutantur ſegetibus, aut fœno damnum inferendo.

241. Si quis alicujus ſylvæ dominus in alienis in ea ſtagnis invito eorum domino piſcatus fuerit, aut in pratis fœnum demeſſuerit, reſarciat ei damna ſecundùm æſtimationem.

242. Si quis in poſſeſſione, vel patrimonio ſuo ſylvas ſub certis limitibus poſſideat, in quibus arbores cum alvearijs ad ſe pertinentibus juxta librorum inſcriptiones fuerint, liceat ei illas totaliter purgare, & in agros mutare, in ijsquè ad libitum pagos, & villas erigere.

243. Si quis in judicio ab aliquo domum, ſive officinam, ſive molendinum, ſive aliquod aliud bonum immobile petierit, reus verò conventus ante litis deciſionem illud quocunquè modo alienaverit, & deinde in cauſâ ſuccubuerit, bonum ab eo alienatum à poſſeſſore auferatur, tradaturquè actori, alienans verò pretium rei alienatæ alienatario reſtituat. Sed ſi actor non obtinuerit in cauſâ, relinquatur res alienata ei, qui illam ſoluto pretio ab alienatore habuit.

244. Si quis conventus in judicio ſupra ſcripturam ſuam, per quam confeſſus fuerit, ſe alicui debitorem eſſe de aliqua pecuniarum ſummâ ſibi mutuò datâ ad purgandum patrimonium ſuum, lite adhuc pendente mortuus fuerit, deinde verò per ſententiam condemnetur, ſolvent ejus debitum actori hæredes defuncti, ſive uxor, ſive filij, ſive conſanguinei fuerint. Quòd ſi de debito per ſcripturam quidem conſtiterit, attamen ſuper eo creditor debitorem ſuum nunquam in judicio convenerit; velit autem poſt ejus mortem de eo actionem inſtituere, detur ei citatio contra demortui uxorem, vel filios, aut conſanguineos ejus bonorum poſſeſſores, & ſecundùm acta, & probata partibus juſtitia adminiſtretur.

245. Si quis alicui per ſcripturam debitorem ſe alicujus magnæ pecuniarum mutuatarum quantitatis fateri voluerit, vel ei de magno aliquo negocio ſe obligare, ſignet ipſe obligationis chyrographum, cui ſubſcribant tanquam oculati teſtes, quinquè vel ſex podiacij fori Moſchuæ, vel aliarum civitatum, ubi obligatio ſcribitur, & aliorum teſtium ſubſcriptio non ſuffragetur; Si verò obligatio non erit de magna ſumma, ſufficiet trium prædictorum podiaciorum, ſed non infrà, ſubſcriptio. Qui ſcribere neſcit, procuret, ut pater ſuus ſpiritualis, vel frater germanus, vel conſanguineus, vel aliquis ſibi confidens loco ſui ſubſcribat. Sed ſi quis creditor obligationem debitoris ſcripſerit ipſe, aut per famulum ſuum conſcribi curaverit, eamquè debitor ſubſcripſerit, tali obligationi fides adhibeatur, & juxta eam actio detur.

246. Sed ſi quis in villis & pagis alicui usquè ad decem rublos crediderit, aut bonum aliquod locaverit, accipiendo à debitore obligationis ſcripturam ab eo ſcriptam, vel ſaltem ſubſcriptam, etiamſi carebit teſtibus, ei fides adhibeatur.

247. Neſcientes verò in pagis, & villis ſcribere, in hiſce minoris ſummæ obligationibus, eas per eccleſiæ cantores, aut ludimagiſtros ſcribi, & per patres ſuos ſpirituales, aut alios confidentes ſuos ſubſcribi curent.

248. Sed obligationes, quæ fuerint ſcriptæ à popo, ſeu cantore, aut aliquo alio ſubdito alicujus poſſeſſionati, vel patrimoniati in domini favorem, nullius ſint efficaciæ, nullamquè pariant contra obligatum actionem.

249. Contractus verò emptionis, venditionis patrimoniorum, & domorum, pignoris, donationis, & cæteri omnes alicujus momenti per quoscunquè cujuscunquè conditionis homines ſcribi debeant Moſchuæ, vel in civitatibus, adhibitis, ut ſupra, pro teſtibus fori podiacijs. In villis verò, & pagis majoris momenti contractus nullus ſcribatur, præter nuptiarum pacta, teſtamenta, & mutuum.

250. Si quis intentione furtivâ cum podiacijs fori colludens ſcripſerit aliquam conſiderabilis ſummæ erga ſe obligationem ab ijs tanquam

quam teſtibus ſubſcriptam, vocatòque ad ſe, vel in alterius domum aliquo, eum vi ad illam ſubſignandam adegerit, is, qui vim paſſus fuerit, illâ eâdem die manifeſtet hoc vicinis ſuis, & Cancellariæ judicibus; in civitatibus verò Palatinis, & Præſidibus in ſcriptis, ſupplexquè petat, concedi ſibi contra violentum in confrontatione judicium intra triduum, vel quatriduum, vel ad ſummum hebdomadam. Judex verò accuſatum ſtatim citari curet, & coràm accuſatore diſtrictè examinet, et alterutrum in inquiſitione torqueri curet, quem indicia magis urſerint. Qui autem tanti criminis reus inventus fuerit, cædatur knutis coràm plurimis hominibus ſine miſericordia in aliorum terrorem, trudaturquè in carcerem ad ſemeſtre tempus, & accuſatori ſolvat biſzeſtiam. Singulis verò podiacijs fori colluſoribus, qui ſubſcripſerint tanquam teſtes obligationi, amputetur manus. Et ſi qui alij tanquam teſtes ſe ſubſcripſerint, cædantur knutis per forum, & conijciantur in carceres pro tempore à Tzare arbitrando.

251. Si verò aliquis datâ alicui verâ obligatione à ſe in foro tanquam principali, & à podiacijs tanquam teſtibus ſubſcriptâ, animo fallendi creditorem ſuum judicis officium contra hunc imploraverit, quaſi obligationem à ſe vi extorſerit, producatquè ad aſſerendam calumniam ſuam teſtes diverſos, citati verò accuſatus, & podiacij in confrontatione cum accuſatore, ejuſquè teſtibus veritatem facti tueantur, ita ut tandem emergat, cædantur omnes, tàm accuſator, quàm ejus teſtes, coràm plurimis hominibus knutis ſine miſericordiâ, ſolvantquè accuſatis biſzeſtiam. Ipſe verò accuſator ſolvat creditori ſuo debitum ſecundùm obligationis ſuæ chyrographum, & condemnetur ad knutos in carcere per ſemeſtre.

252. Sed ſi aliquis contra obligationem in foro ſcriptam manu ſuâ ſubſcriptam, & à podiacijs fori corroboratam excipere voluerit, eam per vim ſibi à creditore extortam fuiſſe, niſi præceſſerit præſumptæ iſtius vis, ut ſupra mandata apud judicem manifeſtatio, & contra vim inferentem accuſatio, non audiatur, ſed condemnetur ad ſolvendum actori debitum juxta obligationis ſuæ tenorem.

253. Si quis aliquem mutui actione producto ejus chyrographo convenerit, hic autem ſolutionem opponat, de eâ verò in obligationis chyrographo non conſtet, nequè ſeparatam creditoris quitantiam ipſe producat, vel ſi producat, non ab eo ſubſcriptam, exceptio ejus non habeat locum, ſed ſolvat integrè chyrographi ſui debitum.

254. Nulla autem de mutuo uſura exigatur, ſtatuta enim Apoſtolorum & Sanctorum Patrûm hoc vetant.

255. Actio mutui duret ad quindecim annos, ultra eos nulla amplius detur, etiamſi ejus obligationis ſcriptura aliud promiſerit.

256. Quòd ſi in chyrographo mutui ſcripta fuerit aliqua ſolutio à debitore facta cum temporis ſpecificatione, tempus quindecim annorum pro reliqua ſumma adhuc debitâ incipiat currere à die factæ ultimæ ſolutionis.

257. Si quis aliquem de mutuo convenerit petens ſolutionem juxta chyrographi tenorem, terminus autem ſolutionis nondum expiraverit, ſed dictum fuerit in chyrographo, quod datum fuerit ob antecedens debitum, teneatur debitor ſummam debitam ſtatim ſolvere ſed ſine uſura. Sed ſi obligationis ſcriptura à debitore non ſubſcripta,

vel ſine diei appoſitione ſcripta fuerit, nullius momenti ſit, nullumquè deſuper judicium detur.

258. Si quis mutui chyrographum falſum eſſe exceperit, convincatur autem de mendacio, ſolvat debitum ſecundùm obligationem ſuam creditori in duplo. Sed ſi antequam concluſum ſit in causa debitor ſpontè faſſus fuerit, quòd injuſtè contra chyrographum exceptionem falſi oppoſuerit, ſolvat tantummodò ſimplex debitum in gratiam profeſſæ ſpontè veritatis.

259. Si quis Ruſſis cujuſcunquè ſtatus debitor fuerit, & eodem tempore etiam advenis, & tàm illi, quàm iſti eum coràm judice convenerint, is verò, ut à neceſſitate ſolvendi advenæ debitum ſuum ſe ſubtrahat, dixerit, debere ſe etiam multis Ruſſis, exigatur ab eo primùm quod advenæ debet, & deinde quod Ruſſis. Similiter ſi quis Tzareo fiſco aliquid debuerit, & alios multos creditores habuerit, exigatur prius ejus erga Tzareum fiſcum debitum, & deinde alia reliquorum debitorum.

260. Si nobilis aliquis, aut nobilis filius alicui debitor ad ſolvendum per judicem condemnatus fuerit, ipſe, vel ejus ſervus pro ſumma 100. rublorum ſtet per menſem ad executionem, ſi ſumma debiti infra, vel ſupra centum rublos fuerit, ſtet pro ratâ. Si verò dilationem ſupplex petat, concedatur, ſed non ultra menſem, ne accuſatori fraus fiat.

261. Sed ſi quis ad executionem ſtare noluerit, habueritquè unde ſolvat, poſt elapſum aſſignatum menſem fiat æſtimatio domûs, & bonorum ejus, ſolvanturquè debita creditoribus, vel creditores exigant ea ab eorum poſſeſſionibus, & patrimonijs ex ſervis, & ſubditis.

162. Si quis autem non habeat, unde ſolvat, ejusquè patrimonium vacuum fuerit, æſtimetur patrimonium, deturquè creditori in ſolutum, quòd ſi illud accipere renuerit, vendatur plus offerenti, & pretium ſolvatur creditori. Si verò patrimonium hoc antiquum fuerit, ſive pro ſervitiorum remuneratione datum, & illud agnati ejus avocare voluerint refuſo æſtimationis pretio, detur eis, & de pretio creditori ſatis fiat. Si aliquid ſupererit, detur domino. Sed ſi aliquid pro integrâ creditoris ſatisfactione defecerit, illud exigat creditor à debitore ſuo.

263. Si milites cujuscunquè ſtatûs, exceptis minoris conditionis, ex executione non habuerint, unde ſe redimant, exigatur ab eis, ſive eorum ſervis, debita pecunia ſine miſericordia, & totaliter tradantur creditoribus, exceptis his filijs nobilium, qui ſunt Priſtavi.

264. Si Strelitzij non habuerint, unde pecuniam mutuò acceptam reddant, non tradantur totaliter creditoribus, ſed ſolvantur pro ipſis ex ſtipendio, quod à Tzare habent, quatuor rubli ſingulis annis, ipſi autem usquequò à debitis ſuis non fuerint liberi, pro ſolo pane ſerviant.

265. Koſaci, libratores, alijquè inferioris conditionis milites, agricolæ, & quicunquè alij, qui non habuerint, unde debita ſua ſolvant, tradantur totaliter creditoribus, donec ſe redemerint, laborentquè apud illos maſculi pro quinque rublis in ſingulos annos, fœminæ pro duobus cum dimidio. Creditores verò, quibus tradentur,

tur, dent fidejuſſores, qui ſpondeant, quòd eos non occident, nequè eorum valetudini nocebunt, & quod poſt deletum ab eis per ſua ſervitia debitum eos reddent Cancellariæ.

266. Si verò aliquis ſic traditus à creditore ſuo aufugerit, teneatur hic ſtatim de fuga illius notitiam dare cancellariæ, à qua illum ipſe accepit.

267. Si quis delatus fuerit, quòd debitorem ſibi traditum occiderit, veritate compertâ, ſubeat pœnam ad arbitrium Tzaris.

268. Si tributarij diverſæ conditionis, & mercatores, alijquè cives ſtatuerint in executione ab hominibus non tributarijs ob pecuniam mutuam poſiti, & non habuerint, unde ſolvant, vendantur domus, & officinæ eorum, ſi quas habent, & de pretio ſatisfiat creditoribus, ſed earum venditio, aut datio in ſolutum non fiat ſimilibus liberis hominibus non tributarijs.

269. Si aliquis cum ſpolio adductus fuerit in Cancellariam, feratur ſententia contra eum ſecundùm ejus demeritum, & ſpolium adductum.

270. Si adducentes aliquem in Cancellariam eum Priſtavis ad cuſtodiendum tradiderint, donec cauſa terminetur, hunc autem iſti dimiſerint, unde adductores ejus eos accuſaverint, quòd illum dimiſerint, teneantur Priſtavi dare fidejuſſores, qui ſpondeant pro ipſis cum inſcriptione, mandeturquè ipſis, ut illum perquirant, & aſſignato tempore in Cancellaria ſtatuant. Quod ſi non præſtiterint, exigatur ab ijs & eorum fidejuſſoribus, unde accuſatoribus ſatisfiat. In fuga autem captivorum Priſtavi non ſubijciantur torturæ. Sed ſi neque Priſtavi, nequè eorum fidejuſſores ſolvendo fuerint, tradantur totaliter accuſatoribus, ut ſe redimant, dent tamen iſti fidejuſſores cum ſponſione, quòd eis nullatenus nocebunt.

271. Si artifex aliquis adamantem, ſive hyacinthum, ſive ſaphyrum, ſive alium aliquem lapidem pretioſum ad purgandum, ſive ad ſigillum in eo ſculpendum acceptum per negligentiam fregerit, aut detrimento aliquo affecerit, ſolvat ejus pretium juxta æſtimationem faciendam.

272. Si quis ab aliquo ad tempus aliquod determinatum veſtes commodato, vel ſartor materiam ad eas conficiendas acceperit, & mures eas corroſerint, vel alio aliquo modo deſtructæ fuerint, ſolvat earum æſtimationem domino, ijs pro ſe retentis.

273. Si quis equum alienum, vel aliud aliquid conduxerit, & rem conductam deſtruxerit, vel aliquo modo læſerit, ſolvat domino ejus pretium juxta æſtimationem faciendam per homines ab utraque parte electos, rem autem læſam, vel deſtructam pro ſe habeat.

274. Si quis alicui vigilantiam ſuam ad cuſtodiendum ejus ligna, vel officinam, vel aliquid aliud pro mercede datis fidejuſſoribus locaverit, ipſo autem cuſtodiente aliquid perierit, vel furto ablatum fuerit, ſolvant ipſe, & ejus fidejuſſores damnum, quòd ſi ſolvendo non fuerint, tradantur damnum paſſo totaliter, uſquequò ſe redemerint.

275. Si quis initâ cum altero ſocietate cum pecunia, & mercibus aliquò proficiſcens omnibus ijs à latronibus ſpoliatus fuerit, ſocius verò eum convenerit, dimidiam ſuam earum partem petens, verificato latrocinio, & ſpolio abſolvatur à petitione; At ſi probata fuerit tantùm latronum invaſio, ſed non ſpoliatio, tunc teneatur ſocio ſuo pro dimidiâ parte petitâ ſatisfacere.

276. Nemo in vicini ſui limitibus ædificet, ſi ſecus fecerit, jubeatur quicquid ædificaverit aliò inde transferre.

277. Fornaces, & culinas propè vicini ſui parietem nemini exſtruere liceat, quòd ſi fecerit, ad quærelam vicini diruantur, ne aliquod inde damnum vicino oriatur.

278. Nemini liceat ex ædificijs ſuis eminentibus in inferiora vicini aquam fundere, aut aliquas alias moleſtias ei facere, rixasquè excitare: quod ſi fecerit, ad vicini quærelam jubeatur ædificia ſua alta longè ab imis vicini ſui transferre. Si obedire neglexerit, & continuas vicino ſuo moleſtias fecerit, diruantur ejus ædificia, ut commoditas ab eo vicinum moleſtandi ſubtrahatur.

279. Si quis cum aliquo altercans vocaverit eum meretricis filium, accuſatus probato per accuſatorem contrario ſolvat ei biſzeſtiam in duplo ſine ulla remiſſione. Quod ſi per proceſſum conſtiterit, quòd verè accuſator meretricis filius ſit, ſive legitimatus, ſive non, reijciatur ab agendo, cum legitimis patris ſui filijs non hæreditet, imò neque per ſubſequens matrimonium pater ejus poſſit illum legitimare, nec in poſſeſſionibus, & patrimonijs ſuis hæredem inſtituere; Sed nothus iſte à paterna hæreditate omninò excludatur.

280. Si quis in aliquem canem irritaverit, qui eum momorderit, aut ejus veſtes laceraverit, re probatâ, ſolvat accuſatori pro biſzeſtia, vulnere, & damno in duplo. Quòd ſi accuſator alijs probationibus deſtituatur, deveniatur ad juramentum.

281. Si quis alterius canem datâ operâ occiderit, ſolvat domino ejus æſtimationem. Sed ſi canem ſe defendendo manu, non verò ſclopeto, occiderit, nulli pœnæ obnoxius ſit.

282. Si alicujus canis ſolutus, vel aliquod aliud pecus non incluſum aliquem invaſerit, vel in corpore, vel in aliqua alia re detrimento affecerit, re probatâ, ſolvat dominus canis, vel pecudis accuſatori damnum, mandeturquè ei, ut in poſterum canem ligatum, pecus ſuum incluſum cuſtodiat. Quod ſi facere neglexerit, iterumquè accuſatus fuerit, quòd ejus canis, vel pecus damnum alicui intulerit, ſolvat ſtatim ſine ullo proceſſu accuſatori damna juxta ejus aſſertionem, & canis, vel pecus ejus huic tradatur.

283. Si quis aliquem in judicio convenerit pro ſcrofis, ſive equabus, ſive vaccis, ſive ovibus, ſive alijs quibuscunque pecudibus, ſive apibus cum augmento præteritorum aliquot annorum, audiatur, & ſi probaverit, ſe reo convento dediſſe animalia, condemnetur iſte ad hæc ei retradenda, ſed ſine augmento, imputare enim negligentiæ ſuæ debebit, quòd hoc annuatim à reo non exegerit.

284. Si quis aliquem in judicio convenerit pro fœno ſecto, ſolvat reus conventus actori probanti pro ſingulis fœni ſecti lineis unum altinum.

285. Sed ſi quis aliquem in judicio convenenerit pro ſecto fœno per acervos, re probatâ, ſolvat actori pro quolibet ſecti fœni acervo unum altinum.

CA-

CAPVT XI.

De Subditis.

1. SI ex pagis, villis, aut prædijs ruſticis ſubditi aufugientes ad villas Patriarchæ, ſive Metropolitarum, ſive Archiepiſcoporum, ſive Epiſcoporum, ſive Monaſteriorum, ſive Bojarorum, ſive Ocolniciorum, ſive Conſiliariorum, ſive ephæborum, ſive Stolnikorum, ſive aliorum cujuſcunque ſtatus, & conditionis poſſeſſionatorum, & patrimoniatorum ſe contulerint, inſpiciantur libri terreſtres præterito anno à creatione mundi 7154. poſt Moſchuæ vaſtationem patrimoniorum Cancellariæ, alijſquè traditi, & ſi in ijs fugitivi iſti, vel eorum parentes tanquam Tzaris ſubditi ſcripti fuerint, tunc illi, apud quæ ſe receperint, teneantur ſine ulla mora eos ad antiqua ſua loca cum uxoribus, & liberis, omnibuſquè bonis ſuis remittere.

2. Similiter ſi quis profeſſionatus, aut patrimoniatus in judicio propoſuerit, ſubditos ſuos aufugiſſe, eoſquè in Tzareæ aulæ villis, pagis, aut ſuburbijs, vel Patriarchæ, Metropolitarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Monaſteriorum, Bojarorum, Ocolniciorum, vel aliorum quorumcunque poſſeſſionatorum, & patrimoniatorum, etiam advenarum, bonis degere, inſpiciantur ſupradicti libri, & ſi in ijs fuerint fugitivi illi, vel eorum parentes tanquam ſubditi actoris, vel tunc, vel poſt ſcripti, retradantur ei ſine ulla mora.

3. Retrodatio autem fiat non tantùm de ijs, ſed etiam de eorum uxoribus, liberis, & omnibus bonis mobilibus. Pro poſſeſſione verò horum ſubditorum quoad præteritos annos uſque ad præſentem hanc conſtitutionem nihil ordinatur. Et ſi qui ex fugitivis iſtis filias, aut ſorores, aut conſanguineas ſubditis dominorum, ad quos aufugerunt, in matrimonium elocaverint, non imputetur eis in culpam, neque domini teneantur propter iſtas virgines ſuos ſubditos dare, conſtitutio enim iſta ad futura tantùm tempora ſe extendit, non autem ad præterita, quando prohibitum non erat alienis ſubditis receptum dare, & præſertim cùm poſt conſcriptorum ſupradictorum librorum diem, multa patrimonia, & poſſeſſiones dominos mutaverint.

4. Cùm verò ſubditi fugitivi retradentur dominis ſuis, qui eos receperit, teneatur dare retradenti quitantiam de eis, & eorum bonis ſpecificè ad tollendas in futurum lites. Eam autem in Tzareæ aulæ villis, & pagis dabunt Præfecti. In reliquis aliorum quorumcunque bonis eorum dominus. Scripta autem ſit quitantia Moſchuæ, vel in civitatibus à podiacijs fori, & in pagis, & villis, ubi podiacij fori non ſunt, à ludimagiſtris, vel cantoribus alterius villæ, aut pagi, & ſubſcripta ſit manu illius, ad quem retraditi ſubditi pertinent. Si quis autem literas pingere neſciverit, ſubſtituat patrem ſuum ſpiritualem, ſeu aliquem alium confidentem ſuum, qui ſubſignet. Nemo autem popos ſuos, aut ludimagiſtros, aut ſubditos ad ſcribendum, vel ſubſcribendum adhibeat, ne lis inde aliqua oriri poſſit.

5. Si in libris ſupradictis ſcriptæ fuerint in bonis alicujus poſſeſſionati, vel patrimoniati vacuæ ſubditorum domus, vel domorum loca, ſubditi verò, quia jam tunc aufugerant, in ijs ſcripti non fuerint,

rint, neque de eis usque ad illud conscriptorum librorum tempus actionem ullam dominus in judicio moverat, nulla ei amplius in posterum in pœnam tam longi silentij sui competat.

6. Subditi fugitivi, qui ab aliquo per judicium, vel sponte vigore hujus constitutionis domino retradentur, scribantur in Cancellaria patrimoniorum tanquam hujus, cui retraditi sunt, subditi. Nullæ autem à parte Tzaris eos retradenti juxta conscriptum librum quitantiæ dentur, sed benè ab ijs, apud quos post retraditionem subditi vixerint.

7. Si quis ab aliquo patrimoniale aliquod bonum cum subditis in supradictis libris scriptis post eorum conscriptionem emerit, & ab aliquo postmodum de retradendis sibi aliquot ex ijs in judicio conventus, per sententiam judicis ad eos retradendos condemnatus fuerit, habeat pro eis regressum contra venditorem, qui teneatur ei ex alijs patrimonijs suis tot, & pares subditos cum similibus eorum bonis vice evictorum tradere.

8. Sed si quis possessionatus, aut patrimoniatus præteritis annis litem cum aliquo de fugitivis subditis habuerit, & super ea ex mandato piæ memoriæ Magni Domini Tzaris, & totius Russiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz sententia lata fuerit, ut illi apud eos remanerent, ad quos confugerant, vel ita ipsæ partes inter se transegerunt mediante privatâ scripturâ, vel confirmato per judicem ad earum instantiam transactionis instrumento, firma, & rata in posterum sententia, vel transactio sit, neque ullus super eâ ulterius audiatur.

9. Si qui homines in descriptis, vel correctis præteritorum annorum 7154. & 7155. libris tanquam alicujus subditi tunc, aut deinceps scripti aufugerint, statim sine ulla mora cum suis uxoribus, liberis, fratribus, consanguineis, & nepotibus, cum omnibus bonis, & frugibus ab eo, ad quem confugerint, domino retradantur, nemòque in posterum alienos subditos fugitivos recipiat, multò minùs apud se detineat.

10. Si quis post hanc Tzaream constitutionem alienos subditos fugitivos, fratresquè eorum, & consanguineos receperit & penès se habuerit, dominus verò eorum fugitivos apud eum repererit, teneatur eos juxta supradictorum librorum tenorem unâ cum uxoribus, liberis, fratribus, consanguineis, & omnibus eorum bonis mobilibus, frugibus, frumento, & farinâ illicò sine ulla mora domino retradere, & insuper solvere à tempore, quo post hanc constitutionem ad eum venerint, usque ad diem retraditionis in singulos annos pro singulis Tzari tributum ab ijs debitum, & domino eorum rublos decem.

11. Si quis aliquem de subditis fugitivis in judicio convenerit, & illi in libris pro neutra partium scripti inveniantur; sed in libris præteritorum annorum 7154. & 7155. pro alterutra scripti legantur, dentur illi, pro qua scripti fuerint.

12. Si post hanc Tzaream ordinationem alicujus subditi filia adhuc innupta à domini possessione, aut patrimonio aufugerit, & alicui obligato homini, sive alterius domini subdito nupserit. Aut si quis talem ad se vocatam alicui tali in matrimonium collocaverit, conventus super hoc à puellæ domino, & re probatâ, teneatur eam illi unà cum marito, sed non hujus bonis, & quos genuerint liberos, retradere.

13. Fi-

13. Filij verò mariti ex priore matrimonio, si viduus erat, cùm eam duxit, non tradantur cum patre, sed remaneant apud dominum, apud quem nati sunt in servitute, & subjectione.

14. Quòd si dominus ad puellam fugitivam retrahendam agens dicat, eam in fuga sua aliquid abstulisse, inquiratur super hoc, & secundùm acta, & probata justitia administretur.

15. Si vidua alicujus, de cujus subjectione erga aliquem dominum, aut ex supradictis libris, aut alio quocunque probationis genere constiterit, aufugerit, & post fugam alicui alterius domini subdito, vel obligato homini nupserit, si dominus primi mariti sui ad eam retrahendam egerit, ei omninò unâ cum secundo marito suo retradatur.

16. Sed si actor sive ex libris, sive ex aliquo alio legitimæ probationis genere intentionem suam non probaverit, permaneat illa apud dominum secundi mariti sui.

17. Si aliquis subditus à domino suo fugitivus filiam suam virginem, sive viduam alicui obligato homini, sive subdito illius domini, ad quem refugerit, elocaverit, per sententiam verò judicis per antiquum dominum cum uxore, & filijs à novo retrahi debeat, retradatur unâ cum ijs etiam filia hæc cum marito suo, sed si iste liberos ex priori matrimonio habuerit, isti non tradantur.

18. Et si talis fugitivus in ipsa fuga alicui obligato homini, sive subdito alterius possessionati, sive patrimoniati eam elocaverit, etiam iste teneatur eam unâ cum marito antiquo patris ejus domino retradere.

19. Si quis possessionatus, sive patrimoniatus, vel officialis subditorum suorum filias virgines, aut viduas aliorum dominorum servis, sive subditis nubere permiserit, teneatur illis dimissoriales literas manu suâ, aut patris sui spiritualis subscriptas dare, solutionemquè, quam ab illis juxta pactum acceperit, specificè in literis dimissorialibus adnotare.

20. Si ad alicujus patrimonium, aut possessionem aliquis accesserit dicens se hominem liberum; sed velle inposterum apud eum in subjectione vivere, teneatur is, ad quem iste venerit, eum interrogare, cujus sit? ubi consanguineos habeat? ubi vixerit? unde veniat? an non subditus alicujus, & fugitivus sit? an habeat literas dimissoriales? si has ille non habeat, teneatur diligenter inquirere, an verè homo liber sit? Si hoc pro certo compererit, adducat eum eodem anno Moschuam, ut inscribatur in Cancellaria patrimoniorum. Casanenses verò, & ex districtibus Novogrodiam: Plescovienses, & ex districtibus Plescoviam: Et ubicunque sive in Cancellaria patrimoniorum, sive in civitatibus Palatini tales homines diligenter interrogent, eorumquè dicta scribant. Quòd si judicabitur conveniens tales homines in subditos concedere eos adducentibus, teneantur isti relationes illorum manu propriâ subsignare.

21. Si aliquis patrimoniatus, sive possessionatus aliquem ad inscribendum in libris patrimoniorum pro subdito suo adduxerit, non investigatâ priùs diligenter ejus conditione, eveniat autem, ut ejus dominus eum tanquam subditum suum retrahere velit, fiat justitia juxta probationes, & libros. Si evincat, retrahat illum unâ cum uxore, liberis, & bonis. Ille verò, qui ob indiligentiam suam hominem alie-

num in ſubditum ſuum ſuſcepit, ſolvat pro eo in ſingulos annos à tempore, quo illum ſuſcepit, usqùe ad illud, quo reſtituerit, decem rublos pro Tzare in pœnam, & totidem ſubditi ſuſcepti domino.

22. Quòd ſi aliqui ſubditorum filij parentes ſuos abnegare auſi fuerint, torturæ ſubijciantur.

23. Si quis cujuscunquè ſtatûs, & conditionis homo volens alienos ſubditos fugitivos ſuos facere, curaverit ab ipſis ſibi ſcriptas creditæ hujus, vel alterius rei obligationes dari, & in judicio ab eorum domino ad eos retradendos conventus obligationes haſce oppoſuerit, non audiatur, imò talium obligationum ſcripturæ ab eo accipiantur, & in libris Cancellariæ ſcribantur, ſubditi verò retradantur domino ſuo cum omni ſuppellectile, nihilquè ab ijs ſperet reus conventus pro rebus juxta eorum obligationes creditis, cùm verſatus fuerit in re illicitâ alienos ſubditos accipiendo.

24. Si qui ſubditi in deſcriptione generali facta fratres, aut filios, aut conſanguineos habuerint eum ipſis in ijsdem ædibus cohabitantes, iſti verò poſt deſcriptionem diviſerint ſe, & varias domos inhabitaverint, dominus eorum has domos vacuas non vocet, nec Cancellariam celet. De celatis verò ante primam Septembris diem currentis anni 7157. domibus nemo in judicio audiatur, neque in Cancellaria patrimoniorum libelli de tali actione recipiantur, eò quòd præteritis annis 7154. & 7155. Stolnichi & Nobiles Moſchovienſes ad deſcribendos juxta Tzaris mandatum omnium patrimoniatorum, & poſſeſſionatorum ſubditos ſub juramento deſtinati nullos præterierint, & propter falſam deſcriptionem ſeverè in deſcriptores animadverſum fuerit.

25. Si quis ſubditos ſuos fugitivos retrahere cum eorum bonis intendens horum pretium ad quinquaginta rublos, vel plures aſcendere in libello ſuo ſcripſerit: aut quæ bona fuerint, & cujus pretij ſpecificè non dixerit; reus verò conventus hos ſubditos apud ſe eſſe non fuerit faſſus, unde ad juramentum devenire neceſſe fuerit, ſcribantur pro ſingulis ſubditis in actione comprehenſis tres rubli, pro bonis non ſpecificatis quinque; In majoribus autem bonis fiat taxa ſecundùm probationes.

26. Sed ſi reus ſubditum apud ſe eſſe non fuerit inficiatus; aſſerat autem ſine bonis ad ſe veniſſe, & actor contrarium aſſeveret, ſed quæ, & qualia fuerint cum eorum computatione in libello, & citatione ſpecificè non poſuerit, unde neceſſe ſit ad juramentum devenire, taxa talium bonorum ſit quini rubli, & ſubditus domino retradatur.

27. Si quis de retraditione alicujus fugitivi ſubditi ab ejus domino in judicio conventus per juramentum à petitione actoris ſe liberaverit, & deinceps ſubditus, de quo lis fuerat, apud eum repertus fuerit, retradatur actori cum omnibus bonis juxta tenorem petitionis ſuæ. Perjurus verò per triduum in foro knutis cædatur in aliorum terrorem, & trudatur in carceres ad ſemeſtre, & deinceps in nihilo ei fides adhibeatur, nullaquè unquam detur contra quemcunque actio.

28. Si verò reus conventus de retraditione ſubditi fugitivi faſſus fuerit in judicio eum apud ſe eſſe, retradatur domino ſuo unâ cum uxore, & liberis, qui cum eo vivunt, etiamſi in libris deſcripti non ſint.

29. Sed

29. Sed ſi in judicio negaverit, & cum deventum fuerit ad juramentum, confeſſus fuerit eum apud ſe eſſe, & eum retradiderit, bona tamen ejus negaverit, condemnetur ad ea actori prætermiſſo juramento pariter reddenda, eò quòd negans priùs mendaciter totum, partem deinde malitiosè faſſus fuit, ut alteram partem poſſidere poſſet.

30. Subditos per conſcriptos libros diverſis unius domini poſſeſſionibus, aut patrimonijs diſtinctè adſcriptos non poterit is in unum cogere, ne per hoc poſſeſſiones devaſtentur.

31. Si aliquis poſſeſſionatus, & patrimoniatus ſubditos ſuos ex poſſeſſione in patrimonium tranſtulerit, poſſeſſio verò illa alicui alteri concedatur, qui pro eis poſſeſſioni retradendis in judicio egerit, retradantur ei ſtatim cum omnibus eorum bonis, frugibus, frumento, & farinâ.

32. Liceat ſubditis operas ſuas cuicunque locare per ſcripturam, vel ſine; ſed conductores nullas ab ijs obligationes ſibi ſerviendi, & apud ſe manendi exigant, & finitis juxta promiſſionem operibus eos ſine ulla mora dimittant.

33. Subditis & ſervis, qui à cujuſcunque conditionis limitaneis poſſeſſionatis, & patrimoniatis extra confinia aufugerint, indequè reverſi apud antiquos dominos ſuos manere detrectaverint libertatem petentes, nulla detur; ſed poſt examen reddantur dominis ſuis à quibus aufugerant.

34. Si verò tales fugitivi in Lituaniæ, ſive Germaniæ partibus virgines, vel viduas pariter fugitivas aliorum patrimoniatorum ſubditas duxerint, cumquè illis poſtmodum in Ruſſiam reverſi fuerint, unde lis inter diverſos eorum dominos oriatur, altero à ſubdito ſuo uxorem ad ſe trahi debere affirmante, altero ab uxore ſubditâ ſuâ virum, in hac fugitivorum judicij obſcuritate mittatur ſors, & is, in quem ceciderit, ſolvat alteri, ſive pro viro, ſive pro uxore quinque rublos.

CAPUT XII.

Quomodo judicandi ſint Patriarchæ officiales, & aulæ famuli, diverſiquè alij Homines, & ſubditi ejus.

1. PAtriarchæ officiales, aulici, filij nobilium, ſubditi, cæteriquè cujuſcunque conditionis homines, qui vivunt in Patriarchatûs bonis, judicentur in quacunque cauſa ſive actores, ſive rei in aula Patriarchæ, nunquam enim tempore anteceſſorum Tzarûm, & piæ memoriæ Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowicz ad aliquam Cancellariam vocati fuerunt, ſed ſemper ad illam Patriarchæ, cui ipſe præſidet.

2. Sed ſi Patriarchæ officiales muneribus corrupti, vel odio, aut amicitiâ depravati aliquem injuſtè judicaverint, & hic appellationem ad Tzarem interpoſuerit, admittatur, & ejus cauſa ab officialibus Patriarchæ ad Tzarem, & ejus Bojaros avocetur, & compertâ veritate, quòd illi injuſtè judicaverint, puniantur ſicuti conſtitutum eſt de judicibus Tzaris.

3. Si

3. Si verò Patriarchæ Officiales, vel aulici, vel filij Nobilium, vel ſubditi contra quemcunque in aliqua Cancellaria actionem inſtituerint, reus verò conventus non recedendo à judicio actorem ſuum reconvenerit, cauſa in eadem Cancellaria dirimatur.

CAPUT XIII.

De Monaſteriorum Cancellaria.

1. TRibunal judiciale pro Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum officialibus aulicis, filijs nobilium, & ſubditis, pro Monaſterijs, Abbatibus, Prioribus, Procuratoribus, Superioribus, Theſaurarijs, ordinarijs Monachis, Monaſteriorum famulis, & ſubditis, & pro popis, & Eccleſiæ ſervitoribus in omnibus cauſis juxta novam Tzaris ordinationem eſt Cancellaria majoris aulæ. Sed Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Alexius Michaelowicz ſupplicibus Stolnicorum, Strapeziorum, Nobilium tàm Moſchovienſium, quàm aliarum civitatum, mercatorum majorum, & minorum, aliorumquè diverſorum diverſæ conditionis hominum precibus annuens, mandavit ſtatui Cancellariam pro monaſterijs, in quâ cauſæ ad Metropolitas, Archiepiſcopos Epiſcopos, eorumquè officiales, aulicos, & ſubditos, & ad monaſteria, Abbates, Priores, alioſquè ſupra nominatos in quacunque actione quomodocunque pertinentes diſcernantur, & judicentur.

2. Si verò aliquis Metropolita, Archiepiſcopus, Epiſcopus, aut ejus Officialis, aulicus, & ſubditus, ſeu Abbas, Prior, aut monachorum ſupranominatorum aliquis, vel eorum famulus, aut ſubditus aliquem cujuſcunque hominem ad aliquam Cancellariam in judicio vocaverit, iſte verò actorem ſuum in alijs actionibus à judicio non recedendo reconvenerit, cauſâ introducatur, & finiatur in hac eadem Cancellaria.

3. Patriarchæ, Metropolitarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Monaſteriorum, Bojarorum, Ocolniciorum, Conſiliariorum, & quorumcunque aliorum cujuſcunque conditionis hominum, Villarum Præfecti, & ſubditi, qui in civitatibus, bonis Eccleſiaſticis, Bojarorum patrimonijs, & poſſeſſionibus vivunt, poſſint in civitatibus à civibus cujuſcunque conditionis uſque ad ſummam viginti rublorum in judicio conveniri, & viciſſim cives convenire. Supra verò viginti rublos in cauſis patrimoniatorum, poſſeſſionatorum, & ſubditorum nulla in civitatibus ſententia feratur, exceptis ijs, in quibus per Tzaris ordinationem Palatinus cum Diaco vivit, & exceptis inferioribus civitatibus in Cancellariâ Caſani notis.

4. Sed ſi Eccleſiaſticorum, & Monaſteriorum famuli actionem aliquam contra milites inſtituerint, & in libello ſcripta fuerint nomina Abbatum, Priorum, Procuratorum, Theſaurariorum, ſive aliquorum Monachorum, ſive Eccleſiaſtici alicujus, ipſimet autem milites ab illis percuſſi, vel ſpoliati, vel aliquâ contumeliâ affecti fuerint, in iſta Monachorum actione juxta doctrinam Apoſtolorum, & conſilia Sanctorum Patrûm mittatur ſors, & ad juramentum non deveniatur, Abbas tantùm, Prior, Præsbyter, & Diaconus, aut aliquis alius pro eis juret, qui autem juraverit, Sacramenta non adminiſtrabit.

5. Sed

5. Sed ſi in libello ſcripta fuerint nomina Epiſcoporum, Monachorum, Poporum, & Diaconorum, & actio ſit de damno in eorum poſſeſſionibus dato, vel alia quæcunque pro eorum famulis, aut ſubditis, non mittatur ſors; ſed deferatur ipſis, famuliſquè, & ſubditis juramentum.

6. Si homines laici actores, vel rei petierint, ut Eccleſiaſticas perſonas, cum quibus ipſis lis aliqua intercedat, loco juramenti, & ſortis examinet Patriarcha, ſive Metropolita, ſive Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, Eccleſiaſticos ad ordines promotos juxta ordines eorum, Monachos verò juxta profeſſionem Monaſticam, & ita lis dirimatur: Teneantur dare hujus ſuæ oblationis dictis Eccleſiaſticis per ſcripturam ſuâ manu ſubſignatam authenticam declarationem, ut illi per optionem ſibi datam vel juramentum, vel examen pro arbitrio eligere poſſint. Et ſecundùm electionem eorum cauſa poſſit decidi.

7. In actione executionum contra ruſticos detur terminus, qualis nobilibus aſſignabitur, ipſi enim pro ſubditis ſuis in quacunque cauſa agunt, & reſpondent, exceptis furto, homicidio, & latrocinio.

CAPUT XIV.

De Juramento.

1. QUicunque Moſchovitici Dominij Ruthenus homo in actionibus judicialibus in quacunque Cancellariâ juxta juris exigentiam juramentum à judice delatum præſtare debebit, ipſe, vel ejus loco ſervus ejus illud præſtet, ſed non ultra ter in diverſis actionibus. Juraturus autem viginti annorum natus eſſe debet, minores verò nec jurare poſſunt, nec admittendi ad jurandum erunt. Si quis verò tales ſervos non habuerit, ipſemet juramentum præſtet.

2. Si quis verò vel per ſe, vel per ſervos ter in diverſis actionibus jam juraverit, & deinceps ipſe, vel actor, vel reus in alia cauſa, ad cujus deciſionem requiratur juramentum, quartò jurare voluerit, non permittatur, ſed cauſâ dirimatur, per alia probationum genera. Quod ſi fieri nequeat, decidatur per torturam.

3. Si aliquis Lituanus, aut Germanus, ſive Tartarus, ſive quicunque alius exterus egerit in judicio contra Ruthenæ fidei homines, & ad litem dirimendam neceſſe fuerit devenire ad juramentum, adducatur reus conventus ad Cancellariam, in qua lis pendet, & in qua ad hunc effectum ſemper ſit crux in imagine picta, ibiquè juret. Sed ſi actor Ruthenus fuerit, reus autem conventus peregrinæ fidei homo, adducatur iſte pariter ad Cancellariam, ubi actio ventilatur, ibiquè juxta ſuæ fidei conſuetudinem juret.

4. Si aliquis Moſchovitici Dominij homo advenam aliquem in judicio de aliquo convenerit, hic autem actori juramentum deciſorium obtulerit, actorquè illud præſtare acceptaverit, permittatur. Sed ſi recuſaverit, aut ipſe ab advena conventus fuerit, & jurare detrectaverit petens, ut ſibi permittatur ſortem mittere inter ſe, & actorem, cui juramentum deferendum ſit, concedatur, & is, ſuper quem ſors ceciderit, juret, habeatquè quod ſuum eſt.

5. Si alicui actori, vel reo neceſſitas jurandi in cauſa incubuerit, ſervos autem non habuerit, qui loco ejus juramentum præſtent, ipſe verò viginti annis minor fuerit, ideoquè ad jurandum non admittendus, ſi tamen decimum quintum ætatis ſuæ annum egerit, admittatur. Minor verò quindecim annis nullo modo, ſed juret pro eo is, qui in judicio perſonam ejus ſuſtinebit. Conducti verò homines nec ad præſtandum, nec ad alteri deferendum juramentum admittantur.

6. Juramentum verò præſtantibus adſtare debebunt propter cuſtodiam nobilis, & cancelliſta, & jurati ex mercatorum centuria. Præſtabitur autem Septembris, & Octobris tempore à ſecunda uſque ad ſextam diei horam: In Novemb. Decemb. Januar. Februario à primâ uſque ad quintam: In Martio, April. Majo, & Junio à ſecunda uſque ad ſeptimam: In Julio & Auguſto à tertia uſque ad ſextam. Veſperi autem extra conſtitutas horas nemo ad jurandum admittatur, & mandetur accuſatori, & reo triduo ante diem, in quo juramentum præſtandum erit, ut ad illud ſe parent. Si verò eorum alteruter termino ad jurandum conſtituto dilatione non petitâ contumax non comparuerit, vel extra tempus juraverit, aut jurare debentem congruo tempore ad Cancellariam non adduxerit, cadat à cauſa, & condemnetur.

7. Si quis aliquem ratione ejus ſervi in libello ſpecificè nominati in judicio convenerit, reus autem conventus ad præſtandum pro ſervo ſuo juramentum ſe obtulerit, eumquè alio nomine diverſo ab eo, quo in libello vocatus ab actore fuerat, nominaverit, teneatur nihilominus juramentum præſtare juxta nomen famuli in libello ſcriptum, & non juxta illud, quo ipſe eum vocaverit.

8. Si quis contra aliquem pro trecentis, aut pluribus rublis in judicio egerit, reus verò conventus actoris juramento ſuper lite ſtare voluerit, juret ex actoris ſervis ille, cui reus confiderit, & è converſo ſi reus ſervos ſuos ad jurandum obtulerit, eligatur ille, cui magis actor confidit. Et ſi quis per binos, aut ternos libellos in eodem judicio diverſas contra aliquem actiones intentaverit, & reus conventus ſuper his omnibus juramentum vel à ſe, vel ab actore præſtandum obtulerit, lites autem nullo alio modo, quàm per juramentum dirimi queant, qui jurabit, ſive actor, ſive reus, ſeparatim in ſingulis actionibus juret.

9. Si quis juraverit, vel aliquem ad juramentum adduxerit injuſtè, re probatâ, ſeverè corrigatur juxta ſuperius in ſubditorum judicio conſtitutum.

10. In canonibus verò Sanctorum Patrûm de juramento ſic ſcriptum eſt. Si quis Chriſtianus Chriſtianum injuſtè ad juramentum præſtandum mandato ſuo adegerit, & hic juret, talem Baſilius Magnus juxta caput 82. per ſexennium in cenſurâ tenet, hoc eſt, ab Eccleſiâ ſeparat. Quòd ſi ex potentioribus aliquis falsò juraverit, aut alium jurare juſſerit, præsbyteri arceant eum ab Eccleſiâ, ejus ædes non intrent, nec in ijs Divinos cantus pſallant. Sed ſi præsbyter in domo aliqua pſallat, ubi talis perjurus adſit, eum foràs expellat. Jurantem injuſtè Baſilius Magnus cap. 64. tenet in cenſura per decennium, per biennium flere debebit, per triennium Divinos cantus audire, per quadriennium pœnitere, & per poſtremum de-

cennij

cennij annum ſtare cum fidelibus, & deinceps Divinum corpus ſumere. Extat etiam Leonis ſapientiſſimi Imperatoris conſtitutio 72. Quâ mandatur, ut falsò juranti lingua abſcindatur. Pœnitentiam autem quærenti Præsbyter præſcribat, ut per annos conſtitutos ſingularum hebdomadarum ferijs ſecundâ, quartâ, & ſexta panem ſolum cum aqua calida, & quidem ſemel in die, comedat. Ferijs verò tertiâ, & quintâ duabus in die vicibus cibo aliquo ſine oleo cocto veſcatur. Neceſſe itaque eſt, ut patres ſpirituales filios ſuos ſpirituales inſtruant, doceantquè timorem DEI, ut cum vicinis mutuam foveant charitatem, non furentur, non occidant, ſcelera nulla perpetrent, in mendacia non ſint proclives, alienum non concupiſcant, neminem injuriâ afficiant, & os ſuum, DEUM teſtem falſæ aſſertionis ſuæ invocando, non polluant, ſibiquè non maledicant. Orthodoxis enim Chriſtianis juramentum falſum omninò prohibitum à Sanctis Patribus eſt, cùm data ſit crux à Chriſto Chriſtianis in ſanctificationem, & ad viſibiles, & inviſibiles inimicos repellendos, ideoquè decet eos, illam fide verâ, & purâ adorare, cumquè timore, & tremore puræ mentis oſculari, quod qui facit, ſanctificat ſe, & ab omnibus infirmitatibus liberat. In fide autem non verâ, & falsè ſi quis illam oſculetur, iſte erit pater mendacij, & ſecundùm ſcripturam tanquam occiſor Chriſti, cùm ejus vivificam crucem contempſerit. Omnibus malis pejus eſt falſum juramentum, & falsè oſculari ſanctam crucem, ſive imaginem Deiparæ, ſive alicujus Sancti. Vidit Zacharias Propheta deſcendentem è cœlis in terram falcem igneam, quem ſi interrogaveris, quid ſit hæc falx Domini, reſpondebit, ira DEI eſt: Falx mittitur à manu DEI in hos, qui ambulant in iniquitate, & malitiâ, & eos ignis perſequitur, animæquè eorum mittentur in ignem, qui nunquam extinguitur. Omnia autem hæc ex Sanctis Apoſtolis, Sanctorûmquè Patrûm doctrinis ad juramentum pertinentia ſcribantur in omnibus Cancellarijs, leganturquè partibus à podiacio, cùm ad juramentum deveniendum erit, coràm pluribus hominibus, ut omnes de ijs notitiam habeant: Si verò actio ſit de rublo mittatur ſors, ſed ſi de ſumma majori, deferatur juramentum.

CAPUT XV.

De tranſactionibus, & re judicatâ.

1. SI alicui lites cum Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut Monaſterijs intereſſerint, & ſuper his ſcriptò tranſegerint ſub promiſſione, quòd in poſterum eas amplius non excitabunt; Deinceps verò mutati Metropolitæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Procuratores, aut Vicarij eas denuò excitare tentaverint ſub prætextu, quod anteceſſores ſui ſuper eis non juxta æquitatem tranſegerint, reijciantur, & tranſactiones in ſuo vigore permaneant.

2. Si lites inter patrimoniatos, & poſſeſſionatos de ſubditis, ſeu de terris, ſeu de alijs quibuscunque rebus ad poſſeſſionem, & patrimonium pertinentibus exortæ per tranſactionem ſcriptò comprehen-

ſam

ſam ſopitæ fuerint ſub pacto, & promiſſione eas amplius in poſterum non excitandi. Poſſeſſiones autem illæ, vel patrimonia, ſuper quibus tranſactum fuerat, ad alios tranſiverint, qui lites antiquas excitare voluerint, tranſactionem iniquam aſſerentes, non audiantur; ſed permaneant omnia juxta tranſactionis tenorem.

3. Si quis poſſeſſionatus, aut patrimoniatus aliquem ex ſubditis poſſeſſionis, aut patrimonij ſui in libris terreſtribus ſibi inſcriptum datis ei literis dimiſſorialibus libertate donaverit, poſſeſſio verò aut patrimonium ejus ad alium deinceps tranſiverit, qui libertatem ſubditi irritam facere tentaverit, eumquè ſibi reddi poſtulaverit, ſi ſubditus ex patrimonio liber dimiſſus fuerit, reijciatur ejus petitio, ſi verò ex poſſeſſione, tradatur ei, nemini enim licet ſubditos poſſeſſionum libertate donare.

4. Omnes actiones, & cauſæ, quæ ante hæc moderna ſtatuta inter cujuscunque conditionis homines in quibuscunque Cancellarijs juxta Tzaris decretum, & Bojarorum conſilia per ſententiam deciſæ fuerint, non amplius in poſterum in judicium deduci poſſint, ſed earum deciſiones ratæ, & firmæ ſint.

5. Si partes litigantes bono charitatis zelo ductæ arbitros ſibi elegerint, in quos de controverſijs ſuis compromiſerint, datâ in ſcriptis promiſſione, quòd eorum ſententiæ ſtare omninò velint, deinceps verò ſpreto arbitrorum judicio eorum laudo acquieſcere detrectaverint, ſolvant Tzari pœnam ab eo arbitrandam, & arbitris biſzeſtiam pro injuria, & nihilominùs ſecundùm arbitrorum ſententiam lis decidatur. Quòd ſi arbitri diverſas protulerint ſententias, actori altero, altero reo favente, ad inſtantiam alterutrius ex ligitantibus cauſa ab eis ad Cancellariam avocetur. Quòd ſi in laudo mandata fuerit ſolutio pœnæ pro Tzare, inhæreatur à cancellariâ ſententiæ arbitrorum, quæ ad normam legûm juſtitiæ lata comperietur. Sententia verò, quæ ab æquitate aberrabit, irritetur. Arbitro autem iniquè judicanti injungat Tzar ad arbitrium ſuum pœnam pecuniariam, & mandetur, ut ei, quem injuſte condemnaverat, ſolvat pro itinere, victu, & morâ decem copicos ſingulis diebus computandis à principio usque ad finem cauſæ. Sed ſi in arbitrorum ſententia pœna pro Tzare conſtituta non fuerit, cauſa ad Cancellariam non avocetur. Quòd ſi arbitri concordes ſententiam uniformem juxta æquitatem protulerint, condemnatus autem ab eis ad Tzarem appellaverit, reijciatur, & cauſa ad Cancellariam non avocetur, ſed rata, & firma ſit eorum ſententia, quos partes ſibi in judices ultrò elegerunt.

CAPUT XVI.

De poſſeſſionibus.

1. IN diſtrictu Moſchovienſi poſſeſſiones ſic fiant. Pro ſingulis Bojaris jugera 200. Pro ſingulis Ocolnicijs, & Dumni-Diakis, ſive Cancellarijs conſilij jugera 150. Pro ſingulis Stolnichis, Strapcijs, Dworaninis, ſive Nobilibus Moſchovienſibus, Diachis, ſive ſcribis, Streliziorum tribunis Moſchoviens. Et clavigeris aulæ in palatijs & majoribus officinis jugera 100. Pro ſingulis nobilibus ex diſtrictibus, qui per electionem ſerviunt, jugera 70. Pro ſingulis Zilcijs, ſtabularijs majoribus, & centurionibus Streliciorum Moſchovienſium jugera 50. Pro ſingulis aulæ famulis, ſtrapcijs, cribrarijs tam Tzaris, quàm Tzariſſæ, & filijs nobilium juxta eorum poſſeſſiones ex 100. jugeribus decem jugera.

2. Poſſeſſionati cujuſcunquè conditionis, qui inter ſe poſſeſſiones commutare voluerint, libellum ſuper hoc Tzari ſupplicem ab ipſis ſcriptum in Cancellaria poſſeſſionum dare teneantur.

3. Liceat Moſchovienſibus hominibus cujuſcunquè conditionis poſſeſſiones ſuas cum quocumquè Moſchovienſi, vel diſtrictuum nobili, vel nobilis filio, vel advena, jugerum pro jugero, non vacuum pro non vacuo, & è contrà commutare, & tales permutationes ad eorum inſtantiam ſcripto manu eorum ſubſignato in Cancellaria poſſeſſionum præſentato comprehenſas, quamvis impares fuerint, modò de pauculis jugeribus diſparitas ſit, in libris deſcribantur.

4. Imò ſi permutationem poſſeſſionis, vel patrimonij ſui inire cum monaſterijs, quoad horum poſſeſſiones terreſtres voluerint, ad eorum, & monaſterij permutantis Abbatis, Prioris, & univerſorum Monachorum conjunctim ſcriptam inſtantiam contrahentium manibus ſubſignatam ſimiliter in libris deſcribantur.

5. Si poſſeſſionati, & patrimoniati cujuſcunquè conditionis patrimonium ſuum in poſſeſſionem, ſive è contrà, permutare voluerint, ad eorum ſupplicem inſtantiam acceptetur permutatio, & deſcribatur in libris.

6. Sed ſi quis cum aliquo poſſeſſionem invicem permutaverit, vel patrimonium pro poſſeſſione, ſive è contrà, permutantes verò bona permutata poſſidere perſeveraverint juxta antiquam deſcriptionem, nec ea in poſſeſſionum Cancellaria tranſmutari curaverint, ſed poſt mortem alterius ex permutantibus alter ſupervivens ſupplex petierit pro eorum deſcriptione, reijciatur, & bona permutata nullatenus deſcribantur.

7. Si quis non vacuam poſſeſſionem, aut patrimonium pro vacua, vel vacuo permutaverit, ſupplex verò petierit per ſcriptum ſuâ manu ſignatum, ut permutatio in libris deſcribatur cum translatione ſubditorum poſſeſſionis, aut patrimonij ſui non vacui in vacuam poſſeſſionem, aut patrimonium, quod ex permutatione acceperit, fiat.

8. Si quis à Tzare ſupplex petierit, concedi ſibi poſſeſſiones, quæ datæ fuerint nobilibus, & filijs nobilium ſenibus, ideoquè à ſervitijs ulteriùs præſtandis exemptis, vel effœtæ jam ætatis viduis, reijciatur, ejuſquè ſupplices libelli non recipiantur.

9. Si patruus nepoti, ſive frater fratri ob ætatem ingraveſcentem poſſeſſionem ſuam ceſſerit ſub conditione in ceſſionis inſtrumento, & ſupplici libello ad eam ſuper ceſſionarium in libris deſcribendam porrecto comprehenſâ, quòd iſte cedenti uſquè ad mortem omnia neceſſaria ſuppeditabit, eveniat autem, ut horum nihil præſtet, unde cedens contra eum reclamet, quòd promiſſis non ſtet, imò ipſum ex bonis expulerit, ſubditiſquè mandaverit, ut ipſi non pareant, reſtituatur denuò ceſſa poſſeſſio cedenti, & ceſſionis literæ irritentur.

10. Si aliqua virgo, aut vidua poſſeſſionem ſibi pro victu conceſſam alicui dare ad fruendum voluerit ſub pacto, ut is ſibi omnia ad vitam tranſigendam neceſſaria ſuppeditet, & eam elocet, ſcripturam ab eo manu ſuâ ſignatam ſuper hoc accipiat. Quòd ſi concedens poſſeſſionem ingratum poſſidentem Tzari accuſaverit, quòd nihil ſibi ad vivendum ſubminiſtret, nec elocare curet, imò ab illâ ipſam expulerit, reddatur poſſeſſio virgini, vel viduæ, quæ illam conceſſerat, & literæ conceſſionis irritæ ſint.

11. Virgines autem poſſeſſiones ſibi pro victu aſſignatas alicui concedere vetentur, quoadusque decimum quintum ætatis ſuæ annum non agant. Ille autem qui à virgine quindecim annis minore poſſeſſionem ſibi conceſſam fuiſſe aſſerens ſupplex petierit, ſibi eam in libris inſcribi, reijciatur, & poſſeſſio ei nullo modo detur.

12. Ab omnibus cujuscunque conditionis hominibus, qui traditionis literis freti poſſeſſionibus incubant, ſi eas ſibi concedi à Tzare ſupplices non petierint, & in Cancellaria poſſeſſionum ſibi inſcribi non curaverint, auferantur, & diſtribuantur ad Tzaris arbitrium.

13. Poſſeſſiones hominum Moſchovienſium cujuscunque conditionis, & nobilium ex diſtrictibus, & advenarum, qui fato functi fuerint, dentur eorum uxoribus pro victu, & filijs juxta conſtitutionem. Quod ſupererit diſtribuatur inter agnatos ejus non poſſeſſionatos, aut parcè. Quòd ſi tales non adfuerint, detur alijs non agnatis ex Moſchovienſibus hominibus cujuscunquè conditionis, & nobilibus diſtrictuum ad Tzaris arbitrium.

14. Ex advenarum verò poſſeſſionibus quicquid, poſtquam eorum uxoribus, & filijs proſpectum fuerit, ſupererit, detur advenis non poſſeſſionatis, aut parcè. Nemini autem advenarum poſſeſſiones concedantur, niſi advenis, & Ruſſorum, niſi Ruſſis.

15. Si quis peſſimum opus operatus fuerit ducens quartam uxorem, & cum eâ filios genuerit, poſt ejus mortem huic quartæ uxori, filijsquè ex ea genitis poſſeſſiones ejus, & patrimonia non dentur.

16. Si aliquis cujuscunque ſtatûs Moſchovienſis homo, vel ex diſtrictibus nobilis, vel nobilis filius, vel advena improlis moriens, poſſeſſiones nullas, patrimonia nulla empta poſt ſe reliquerit, quibus uxori ejus de victu proſpici queat, ſed ſolas poſſeſſiones, quibus ob ſervitia fruebatur, vel agnationis patrimonia, provideatur ex his de victu viduæ relictæ, ſed illa non poſſit hæc bona vendere, nec pro anima ſua dare, nec oppignorare, nec in dotem ſibi adſcribere. Quod ſi iterum nupſerit, ſive monaſterium ingreſſa fuerit, ſive vitam cum morte commutaverit, bona illa propinquioribus agnatis tradantur.

17. Si vidua aliqua ad ſecundas nuptias tranſiens pactum inierit cum marito, transferendi ad eum cum filia ſua poſſeſſionem, detur huic, cùm eam duxerit, ejus pars tantùm, vel virginis, ſi hanc duxerit. Quòd ſi virgo remanſerit, partem ſuam poſſeſſionis ipſa adminiſtrabit usque ad nuptias ſuas, quam nubendo marito adferet.

18. Si vidua advenæ cum nobili, ſive nobilis filio poſſeſſionato, vel non, ad ſecundas nuptias tranſierit cum poſſeſſione ſibi pro victu conceſſa, hæc poſſeſſio detur marito.

19. Si vidua nobilis, ſive nobilis filij cum advena Ruſſico baptiſmate initiato ſecundum matrimonium contaxerit ſub pacto tranſeundi ad eum cum poſſeſſione ſibi pro victu aſſignatâ, liceat.

20. Cùm verò vidua aliqua, vel virgo matrimonium inire cum aliquo promiſerit ſub pacto transferendi in eum poſſeſſionem ſibi pro victu aſſignatam, teneatur is, antequam illam ducat, talem poſſeſſionem à Tzare ſupplex petere. Quod ſi facere neglexerit, poſſeſſio non detur ei, ſed defuncti prioris mariti agnatis non poſſeſſionatis, aut parcè, juxta reviſionem faciendam. Et ſi in illa agnatione tales non fuerint, detur alijs, qui eam à Tzare ſupplices petierint.

21. Si quis nobilis, vel nobilis filius duxerit viduam habentem pro victu ſuo aſſignatam poſſeſſionem, & dum hanc pro ſe in libris inſcribi procurat, antiquas ſuas patrimoniales poſſeſſiones occultaverit, & deinceps mortuus fuerit, reſtituatur poſſeſſio uxori, à qua venit. Et ſi ob occultatas ab ejus marito antiquas ſuas poſſeſſiones patrimoniales aliquis hanc à Tzare ſibi concedi ſupplex petierit, reijciatur, neque à viduis tales poſſeſſiones ob ſupra dictam cauſam auferantur.

22. Si vidua alicujus nobilis, qui poſſeſſione non majore 40. vel 50. vel 100. jugeribus donatus Tzari militans ſub Smolenſcia occubuit relictâ matre, vel uxore cum filijs maſculi ſexûs adhuc pueris, tali poſſeſſione ſibi, aut filijs pro victu aſſignatâ ad ſecundas poſtea nuptias cum ea tranſiverit, filij autem, cùm minorennes eſſent, jus ſuum in ea coràm Tzare non deduxerint, ſi majores facti nunc ab eodem ſupplices petierint paternam poſſeſſionem ſibi reſtitui, auferatur ab eorum vitrico, etiamſi non poſſeſſionato, & eis tradatur.

23. Si poſt mortem alicujus poſſeſſionati ejus poſſeſſio uxori ejus, & filijs, nepotibus, & agnatis tradita fuerit, iſti autem minorennes tunc fuerint, nemoquè eorum cauſam coram Tzare ſuſceperit, ſi in diviſione læſi fuerint, & majores facti de læſione agere voluerint, audiantur, & factâ confrontatione cum reis conventis, ad æquam inter eos diviſionem per judicem deveniatur.

24. Si quis nobilis, aut filius nobilis antiquas patris poſſeſſiones in vaſtatis diſtrictibus habens ſupplex à Tzare petere voluerit, ut novam ſibi concedat, teneatur paternas vaſtatas indicare. Si eas non occultabit, inquiratur, an verè ſint vaſtatæ, & ipſe non habeat, unde militiæ vacare poſſit, & re ſic ſe habente, detur ei nova poſſeſſio.

25. Si quis delatus fuerit, quòd paternam, ſeu ſuam poſſeſſionem jam habens, eam occultans, novam impetraverit, re probatâ, auferantur ab eo ex nova poſſeſſione tot jugera, ad quot paterna, ſive ſua ab eo occultata aſcendit, & tradantur ejus delatori, qui pro ea Tzari ſupplicem libellum obtulerit.

26. Sed ſi delatio falſa fuerit, veritate compertâ, ſolvat delator delato pro victu, & morâ decem copicos in ſingulos dies computandos ab illo, quo delationem ſuam fecit, usque ad finem cauſæ.

27. Si quis nobilis, vel filius nobilis ſponte ſuâ ſupplex petierit, ut antiquæ ſuæ poſſeſſiones in libris inordinatè deſcriptæ novâ correctione ordinatè deſcribantur, ſi ante hanc petitionem ſuam nemo eas ſibi concedi in occultationis earum pœnam petijt, deſcribantur de novo, & occultatio earum ei condonetur, etiamſi per unicum tantùm diem alios, qui eas petierint, prævenerit.

28. Sed ſi aliquis eas petendo eum vel per unicum diem prævenerit, auferantur ab eo, & dentur prævenienti.

29. Si alicujus nobilis vel filij nobilis longâ decem, vel quindecim, vel viginti, vel 25. & ultra annorum captivitate detenti propriæ, aut paternæ poſſeſſiones in alios diſtributæ fuerint, is autem poſtliminio reverſus ſupplex à Tzare petierit, eas ſibi reddi, præmiſsâ inquiſitione, fiat.

30. Ex poſſeſſionibus nobilis, aut filij nobilis, aut advenæ in ſervitijs Tzaris ab hoſte occiſi dentur ejus uxori, & filiabus portiones aliquæ pro earum victu, uxori, nimirùm, ex ſingulis centenis jugeribus in ſtipendium marito aſſignatis ſuper relicta ab eo poſſeſſione viginti, filiæ verò decem.

31. Si verò in Tzareis caſtris ille mortuus fuerit, & non ab hoſte occiſus, quindecim tantùm jugera uxori ejus, ſeptem verò cum dimidio filiæ dentur.

32. Sed ſi domi, & non in expeditionibus mortuus fuerit, decem tantummodò uxori, & quinque filiæ danda erunt.

33. Si poſt alicujus mortem ejus poſſeſſiones tradantur filio, cui nullum adhuc conſtitutum ſtipendium ſpecificè fuerit, iſquè in ſervitijs Tzaris interemptus, vel morbo abſumptus fuerit, relictâ uxore, & filiâ, quæ ſupplices à Tzare petant, concedi ſibi ad victum aliquam ex demortui poſſeſſionibus portionem, detur eis juxta ſuperius adnotatam taxam pro occiſi, mortui in caſtris, & domi uxore, & filiâ, habitâ ratione ſtipendij, quod alijs ejuſdem cum defuncto conditionis hominibus conſtitui conſuevit.

34. Si quis nobilis, vel nobilis filius plurium liberorum parens ætate minoribus poſſeſſiones ſuas reliquerit excluſis majoribus, iſti verò à Tzare ſupplices petierint, ut ad diviſionem paternarum poſſeſſionum æqualiter cum alijs fratribus minoribus admittantur, cùm poſſeſſiones ſibi de novo datæ exiguæ ſint, fiat, & dividantur paternæ poſſeſſiones æquali partitione vacuarum, & non vacuarum inter omnes fratres, ne aliquis eorum in paternis bonis læſionem ſentiat. Sed ſi aliquis majorum fratrûm poſſeſſionem novam opimam habuerit, excludatur à diviſione paternarum cum alijs fratribus minoribus.

35. Et cùm ante, & poſt Moſchuenſem vaſtationem filijs nobilium in Severienſibus civitatibus Bielsko, Putivolo, & Bielogrodiâ concedi ſolerent pro ſtipendijs vacua loca & ſylvæ cum arboribus, ſine apibus quidem, ſed ad alvearia aptis, ut eas in agros converterent, & loco poſſeſſionum haberent, quod factum eſt etiam erga alios de diverſis alijs locis: ſi inpoſterum ſupradictarum civitatum filij nobilium talia loca ſibi concedi in poſſeſſiones ſupplices à Tzare petierint, inquirendum erit, ſi loca petita ſint vacuà, neminiquè adhuc conceſſa, etenim exculta, & habitata nemini dari poſſunt ad excolendum pro ſtipendio in poſſeſſionem.

36. Si aliquis poſſeſſionatus invenerit vacua ſtagna, ſive in fluvijs vacuum ad piſcationem locum, qui, vel quæ ad nullum poſſeſſionatorum, vel patrimoniatorum, vel tributum pendentium pertineant, & eum, vel ea ſupplex à Tzare petierit, ſibi concedi loco excultorum agrorum in poſſeſſionem, factâ reviſione, concedantur.

37. Si aliquis nobilis, vel filius nobilis, vel cujuſcunquè ſtatûs poſſeſſionatus ſupplex à Tzare petierit, ſibi concedi poſſeſſionem alicujus defuncti, quem mortuum aſſeruerit, non relictâ poſt ſe uxore nec filijs, nec agnatis, mandetur ei, ut ſuum ſupplicem libellum manu ſuâ

ſuâ ſubſignet, & poſſeſſio concedatur. Veruntamen ſi deinceps comparuerit defuncti uxor, vel filij, vel agnati, qui aſſerant, eum dolo malo aſſeruiſſe ſupradicta in libello ſuo contenta, ut poſſeſſionem ſibi de jure debitam ipſe ſubreptitiè obtinere poſſet, auferatur ab eo poſſeſſio, & detur uxori, & filijs, vel agnatis defuncti juxta conſtitutionem, prout juſtum fuerit, & damna, quæ ille ſubditis intulit, exigantur ab eo in duplo, & dentur illis, cui poſſeſſio dabitur.

38. Si Tzaris mandato ab aliquo auferatur poſſeſſio, & diſtribuatur, & in eâ frumentum ille ſubditorum operâ ſeminaverit, metant illud ſubditi, qui ſeminarunt, & detur ex eo novo poſſeſſori ſemen ad ſeminandum per ſubditorum operas, reliquum verò cedat priori poſſeſſori. Frumentum verò, quòd ſeminatum fuit per prioris poſſeſſoris famulos, vel conductos homines, habeat totum prior poſſeſſor, totumquè ipſe metat, ſubditi enim ad tales operas ei præſtandas non tenentur.

39 Loca deſerta, terræquè vacuæ diſtrictûs Moſchuenſis, quæ concedi ſolent pro ſtipendijs ex Cancellaria majoris proventus, aliſquè, non tradantur Bojaris, Ocolnicijs, Conſiliarijs, vel alijs cujuſcunque conditionis hominibus pro pretio in poſſeſſionem, ſive patrimonium, nec pro agris colendis dentur. Sed concedantur non poſſeſſionatis, aut exiguas poſſeſſiones habentibus, qui eas ſupplices à Tzare petierint pro ſtipendijs, & cum talia loca alicui data fuerint in poſſeſſionem, non vocentur ampliùs ſtipendiorum loca.

40. Filijs nobilium ex civitatibus limitaneis, qui à Tzare ſupplices petierint, dari ſibi ex vacuâ in deſertis locis terrâ portionem aliquam poſſeſſioni ſuæ addendam, dentur ex vaſtis campis, ſeu deſertis terris his, qui habent poſſeſſionis 400. jugera 70. jugera: trecenta habentibus ſexaginta: 250. habentibus quinquaginta: ducenta habentibus, vel centum & quinquaginta quadraginta: centum habentibus triginta: & ſeptuaginta habentibus viginti quinque, & datio fiat per menſuram.

41. Loca, quæ poſtquam ab antiquo fuiſſent Ruſſorum poſſeſſiones deinceps longâ vaſtitate ſquallentia per Tzaris conceſſionem, & Bojarorum literas datas interregni tempore, cùm ſub Moſchuâ eſſent, Tartaris, aut Mordwinis conceſſa fuerunt, & modò ab eis Tzaris ſervitia præſtantibus poſſidentur per longum tempus, relinquantur eis, ſed in poſterum Ruſſorum poſſeſſiones Tartaris, aut Tartarorum Ruſſis dare non liceat.

42. Poſſeſſiones Ruſſorum, quas Tartari, & Mordwæ poſſident, ſolventes ex ijs Tzari ſingulis annis certam pecuniarum quantitatem, ſi eas in poſterum Ruſſi ſupplices petierint, auferantur ab illis, & iſtis dentur.

43. Bojari, Ocolnicij, Conſiliarij, Stolnichi, & alij cujuſcunque conditionis homines, à Kneſijs, Murzis, Tartaris, Mordwinis Zercaſſijs, Ceremiſſis, Bojakis, & Baskircijs nec poſſeſſiones, nec terras ullas emant, nec permutent, nec pignoris loco accipiant, nec ad longum tempus conducant. Quòd ſialiqui Bloſchovienſes, aut ex civitatibus Nobiles, vel filij Nobilium, vel alij cujuſcunque conditionis homines huic conſtitutioni contravenerint, auferantur ab eis tales poſſeſſiones, & ſciant ſe in gravem Tzaris indignationem incurſuros.

44. A Kneſiis, & Murzis, alijsquè ſupranominatis, qui recenter in Orthodoxa fide Chriſtiana Græco ritu baptiſati ſunt, poſſeſſiones non auferantur, nec Tartaris dentur.

45. Murzæ, & Tartari poſſeſſiones ſuas non devaſtent, nec eas deſerant, in alias civitates, villas, aut loca quæcunquè aufugientes, & à ſervitijs non recedant, ſed vivant in illis, & unuſquiſquè ſuarum poſſeſſionum curam gerat. Quòd ſi aliquis inter eos à malo genio ſeductus, nolens Tzari ſervitia præſtare, ſibi ipſi nocens, poſſeſſiones ſuas in Moſchovienſes, vel diſtrictuum nobiles, vel alios cujuſcunquè conditionis homines venditione, aut permutatione, aut oppignératione, aut locatione alienare præſumpſerit, aut eas devaſtare, ſubditos ſpoliare, aliaquè eis damna inferre, unde aufugerint, & ipſe etiam poſt eos, puniatur ſeverè ad arbitrium Tzaris, & ij, qui fugitivo receptum dederint, ſimiliter ſeverâ correctione emendentur, ne in poſterum talia audeant.

46. Terræ ad villas, ſeu pagos Tzareæ Aulæ pertinentes, quæ Bojaris, Ocolnicijs, Conſiliarijs, Stolnichis, & alijs cujuſcunque conditionis hominibus datæ fuerunt, ſi per menſuram ſcriptorum inveniantur majoris menſuræ, quàm in conceſſionis literis eas datas fuiſſe apparuerit, retrahantur ab eis. Illæ verò, quæ non majoris menſuræ inventæ fuerint, maneant apud eos, quibus datæ fuerunt. Menſura autem ad terras metiendas fiat trium ulnarum præcisè, & nec brevior, nec longior.

47. Ab ijs, quibus pertinentes ad Tzareæ aulæ villas, & pagos datæ poſſeſſiones pro ſervitijs, & Moſchuæ obſidione in patrimonium converſæ fuerint, non retrahantur.

48. Patrimonia, quæ ab antiquis patrimoniatis non recepta in poſſeſſiones mutata fuerint, retrahantur; ſed ab illis, qui terram immenſuratam habuerunt, non retrahatur, imò fruantur ea juxta conceſſionem. Pro additamento mediocris terræ dentur pro ſingulis centenis jugeribus viginti quinque ejuſdem qualitatis. Ubi verò terra mala erit, additio pariter mala ſit, & pro centum jugeribus quinquaginta, & procedatur addendo mediocri, & malæ terræ, quomodò ſuprà de bona conſtitutum eſt.

49. Permutationes factæ à poſſeſſionatis, & patrimoniatis Belojeſorenſibus in Premislia cum Bojaris, Ocolnicijs, & alijs diverſæ conditionis hominibus usque ad diem ſeptimam Martij anni 7144. ratæ, & firmæ ſint, permaneantquè poſſeſſiones, & patrimonia apud eos, quibus ab illis data fuerunt. In poſterum autem Belojeſorenſes cum nemine poſſeſſiones ſuas permutent, & ipſis ſemper, & nemini alij, illæ, quæ per mortem gentilium ſuorum diſtribuendæ erunt, concedantur.

50. Similiter Koſaci poſſeſſiones ſuas nemini vendant, nec tradant.

51. Si quis præteritis annis, dum deſcriberentur terræ, poſſeſſiones ſuas pro patrimonijs in libris deſcribi curavit, non prolatis coràm deſcriptoribus ſcriptis, unde de ijs conſtaret, neque diſpoſitis juxta hanc conſtitutionem rebus, imò patrimoniorum ſcriptis carens propriâ auctoritate ſine Tzaris mandato poſſeſſiones ſuas tanquam patrimonium ſemper habuit, deprehenſus ab aliquo, qui eas poſſeſſiones à Tzare ſupplex petat, ob fraudem ſuam ab ijs cadat, & dentur

tur eas petenti. Si verò non habuerit ille quidem ſcripturam aliquam probantem, quòd ſint patrimonia; ſed aliunde talia eſſe ſufficienter probaverit, non auferantur ab eo.

52. Si quis poſſeſſionatus, aut patrimoniatus à deſcriptoribus terrarum datum extractum aliquem ex libris habuerit, qui cum iſtis non concordet, nulla fides ei adhibeatur; imò tradatur Cancellariæ poſſeſſionum; illi autem dentur novi extractus ex libris ſcripti in omnibus de verbo ad verbum.

53. Si quis ſupplex à Tzare petierit concedi ſibi poſſeſſionem alicujus ultimi familiæ ſuæ defuncti, & eam obtineat; ſed conceſſionis documentum accipere neglexerit, eâquè tanquam ſuâ ſine inveſtituræ probatione longo tempore fruitus fuerit: Ideoquè aliquis ſupplex à Tzare petierit, eam ſibi in pœnam illius negligentiæ à Tzare concedi, non auferatur à negligente poſſeſſio; ſed mandetur ei, ut conceſſionis documentum accipiat; ſed ſolvat pro ſigillo in duplo.

54. Si quis Tzari ſupplex expoſuerit, quòd mortuo parente ſuo, dum ipſe adhuc puer eſſet, vixit apud conſanguineum, vel vicinum, qui poſſeſſiones ſuas adminiſtrabat, & qui ipſo inſcio, nec per ætatem puerilem ſciendi capace, eas cum proprijs malis commutavit, ideoquè petat, paternas ſuas ſibi reſtitui, paratus & ipſe permutatas reddere, ſtatuatur in judicio præſens cum præſente reo convento, fiat deſuper diſtricta inquiſitio, & compertâ veritate aſſertionis actoris, auferantur à reo convento permutatæ poſſeſſiones, retradanturquè actori, qui eas in libris ſub nomine ſuo deſcribi curet, & per ſe adminiſtret. Iſtæ autem confrontationes in hac actione dentur minoribus, cùm fuerint in matura ætate quindecim annorum, & etiam ante, ſi eas petierint; ſed ſi uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum eas petere neglexerint, eo tranſacto non concedantur eis amplius, nec in talibus actionibus audiantur. Si quis autem in Cancellariam poſſeſſionum attulerit permutatarum poſſeſſionum documentum ſubſcriptum per patres ſpirituales ad hoc, ut permutatio in libris deſcribatur, non fiat, ſed interrogentur permutantes, & qui loco ipſorum ſubſcripſerunt, & ijs abſentibus, & non interrogatis permutationes in libris non deſcribantur, ut lites evitentur.

55. Si Tzar aliquibus cujuscunquè conditionis hominibus conceſſerit demortuorum agnatorum, ſive aliorum ex alia familia poſſeſſiones dividendas cum viduis, & virginibus, ita ut hæ ſuam portionem habeant, reliquum autem cædat ijs, qui eas ſupplices petierunt: Eveniat autem, quòd viduæ & virgines reclament contra diviſores, quòd iniqua diviſio facta fuerit, reliqui verò contrarium exceperint: ſive in diviſione aliquis læſus fuerit, unde ſupplex à Tzare petierit, diviſionis literas ſibi concedi, concedantur, ſi eas intra annum à diviſione factâ petierit. Poſt expletum verò annum non concedantur. Sed ſi poſt obtentas literas diviſionis faciendæ diviſio æqua inter eos adhuc facta non fuerit, unde pro alijs, & pro tertijs ſupplices preces porrexerint, concedantur ijs. Ultrà tertias autem nemini dentur, ad evitandas ſupervacuas expenſas, & non neceſſariam dilationem.

56. Si aliquis viduam, vel virginem duxerit, & cum eâ bona, ſive poſſeſſiones illi pro victu aſſignatas acceperit, quæ plures, & pingues

gues fuerint, haſquè ſuis vacuis, & parvis adjunxerit, & deinde mortuus fuerit, vidua verò ejus ſupplex à Tzare petierit, ut jubere velit, ſibi pro victu dari primas poſſeſſiones ſuas, quas pro dote in domum defuncti mariti intulit: Et è contrà defuncti filij petierint fieri diviſionem inter ſe, & novercam omnium poſſeſſionum, tam paternarum, quàm novercalium æqualiter: Similiter ſi quis viduam duxerit, vel virginem cum parvis, & vacuis poſſeſſionibus pro victu conceſſis, & mortuus fuerit, & filij ejus ex primo matrimonio ſupplices à Tzare petierint, concedi ſibi poſſeſſiones priores, & antiquas patris ſui, novercæ autem reſtitui ſuas in dotem allatas: & è contrà noverca petierit, aſſignari ſibi pro victu ex poſſeſſionibus mariti ſui, non autem ex ijs, quas ipſa illi attulit: Utroque caſu detur viduæ ex poſſeſſionibus ab ea marito allatis quicquid Tzar mandaverit, prout ſuperiùs ſcriptum fuit. Sed ſi poſſeſiones ab ea marito in dotem allatæ ſuperaverint in reditibus expenſas pro victu viduæ neceſſarias, quod ſupererit, detur defuncti ejus mariti filijs. Sed ſi non ſufficerint, ſuppleatur pro victu earum ex mariti prioribus poſſeſionibus, ita ut reliquum filijs ejus cedat.

57. Si poſt mortem alicujus nobilis, vel filij nobilis, ſuperſtites fuerint ejus uxor, & liberi ex primo matrimonio, & uxor à Tzare ſupplex petat, dari ſibi pro victu ex ſtipendijs defuncti mariti, ſi ſtipendia magna fuerunt, & poſſeſſiones minores ei conceſſæ fuerint, patrimonium autem non habuerit datum ei pro meritis, ſive antiquum patrimonium fuerit, ſed non ex majoribus, detur uxori pro victu ex poſſeſſionibus ejus majoris conceſſionis, filijs autem poſſeſſiones parentis minoris conceſſionis tradantur. Quòd ſi iſtæ illis non ſuffecerint, ut inde vivant, & ſervitia Tzari præſtent, fiat omnium defuncti poſſeſſionum tam majoris, quàm minoris conceſſionis, & patrimonij ſimul collatio, & dividantur inter uxorem, & liberos per capita æqualiter, computando loca habitata contra loca vacua per menſuras, ſed quota uxoris aſſignetur ei in poſſeſſionibus, & non in patrimonijs, quæ remanere debebunt filijs, ne ex agnatione exeant.

58. Sed ſi defuncti poſſeſſiones plenæ conceſſionis datæ fuerint ejus uxori, & filijs in ſimul; Vidua autem quærula Tzari expoſuerit, quòd filij ſui alimenta ſibi non præſtent, nec honorem debitum exhibeant, imò è domo tantùm non expellant, ideòque petierit, aliquam earum portionem ſibi ſeparatim pro victu aſſignari, fiat juxta conſtitutionem. Quòd ſi poſſeſsiones defuncti fuerint minoris conceſsionis, & ex mariti ſtipendio non fuerit, quod viduæ pro victu plenè dari poſsit, dividantur hæ poſſeſsiones inter eam, & filios per capita æqualiter computando loca habitata contra vacua juxta conſuetudinem per menſuras.

59. Si quis aliquem de occultatis poſſeſsionibus detulerit, ita ut ad utriuſquè confrontationem devenire neceſſe ſit, & delatus tunc temporis vel ad expeditionem, vel ad Tzarea negocia in aliquam civitatem proficiſci debeat, vel infirmum ſe eſſe dixerit, delator verò petat, ut ad confrontationem vocetur impediti, vel infirmi frater, aut agnatus, aut famulus aliquis, aut ille, qui in alijs Cancellarijs pro eo actoris, vel rei conventi partes ſuſtinet, non audiatur, ſed differatur confrontatio quoad impeditum donec expeditus Moſchuam reverſus fuerit. Quoad verò infirmum, viſitetur, & ſi verè ægrotabit, adeò ut ad confrontationem venire non poſſit, detur ei dilatio ad ſemeſtre tempus: ſi hoc traſacto convaluerit, fiat confrontatio, ſi non, mandetur ei, ut aliquem confidentem ſuum loco ſui ad confrontationem mittat, nullaquè ulteriùs termini prorogatio ei concedatur.

60. Si Nobilis aliquis, aut nobilis filius cujuscunque diſtrictûs ſupplex Tzari expoſuerit, quòd intra limites poſſeſſionis, aut patrimonij ſui ſylvas ad agros, vel prata purgaverit, vel petierit ſibi concedi alibi ſylvas ad eas in agros convertendum, & juxta ejus petitionem agri illi recenter arati, & ſylvæ menſuratæ juxta conſuetudinem ei conceſſæ fuerint, ſupervenerit autem aliquis, qui contra hanc conceſſionem excipiendo aſſerat, ſylvas illas nullatenus impetrantis privatas eſſe, ſed communis uſus, & ſic ex libris conſtare, fiat inquiſitio deſuper, & ſi hoc verum eſſe compertum fuerit, auferantur ab impetrante ſylvæ, & ſint communes inter omnes poſſeſſionatos, & patrimoniatos.

61. Si quis nobilis ex diſtrictibus, vel nobilis filius ſenex, & infirmus, ideoquè rude donatus fuerit ſub conditione, ut ſubſtituat aliquem, qui loco ſui in civitatibus Tzari ſervitia præſtet: vel ſi aliquis ob infirmitatem ea præſtare nullo modo potuerit, & tamen poſſeſsiones habeat majoris conceſsionis, liberisquè careat, unde in ejus præjudicium aliquis à Tzare ſupplex petat, ut poſſeſsiones ejus ſibi concedantur, relictâ ex ijs apud illum portione, quæ ad præſtandum ei victum ſufficiat, reijciatur talis petitio, ſenexquè, & infirmus emeritus adminiſtret ſuas poſſeſsiones usque ad mortem, & pro ſervitijs Tzari debitis donatarium aliquem ſubſtituat, vel loco ejus pecunias ſolvat ad Tzaris arbitrium.

62. Si Stolnikus aliquis, ſeu Strapezius, ſive nobilis Moſchovienſis diſtrictûs, vel alius cujuscunque conditionis homo poſſeſsiones ſuas in Moſchovienſi diſtrictu habens mortuus in Tzaris ſamulatu fuerit, relictis poſt ſe uxore, & liberis, & ex his nepotibus, diſtribuantur poſſeſsiones ejus per reviſionem inter filios, qui eas petierint.

63. Si ab aliquo delatus aliquis Tzari fuerit de vacuis limitatis terris, & illi, quibus inquiſitio ſuper hoc commiſſa fuerit, aſſerant, terras vacuas, & non limitatas ab eo poſſideri, in libris verò repertæ fuerint iſtæ terræ in ejus limitibus deſcriptæ, inquiſitoribus non adhibeatur fides, ſed permaneat terra apud poſſeſſorem intra limites poſſeſſionis, aut patrimonij ſui in libris deſcriptos.

64. Si quis à Tzare ſupplex petierit, concedi ſibi occultatam ab aliquo, vel vacuam poſſeſsionem, vel emptam in libris deſcribi, & per trimeſtre poſt ſupplicem libellum petitionis ſuæ porrectum eam in libris deſcribi neglexerit, alius autem eam à Tzare ſupplex petierit, & impetratam pro ſe in libris deſcribi curaverit, ſi prior impetrans ejus in libris deſcriptionem in ſui favorem poſtmodum urſerit, rejiciatur.

65. Sed ſi quis pro talibus terris obtinendis libellum Tzari ſupplicem porrexerit, & brevi poſt ob repentinam occaſionem jubeatur ad Tzaris ſervitia proficiſci, porrigat alium libellum petens termini prorogationem, quod ſi neglexerit ad ſervitia Tzaris profectus, & alius ſupervenerit, qui eaſdem terras ſibi concedi petat, poſt decurſum

trium assignatorum mensium terminum huic concedantur. Sed si terminum sibi prorogari ante discessum petijt, & obtinuit, tales possessiones nemini dentur usquè ad ejus ex servitijs Tzaris reditum. Cùm verò reversus fuerit, statim novum super hoc libellum ad Cancellariam possessionum adferat; sed si post reditum suum tres menses elabi sinat, antequam eas denuò petat, dentur posteriori earum petitori.

66. Filij nobilium, qui in Aula Patriarchæ serviunt, nullam habeant à Tzare possessionem, sed eos Patriarcha ex terris suis possessionibus donet. Si autem aliquâ ex Tzaris terris possessione clam fruiti fuerint, auferatur ab eis, & detur eam petenti, pro occultatione verò mulctentur ad Tzaris arbitrium.

67. Præfectis super cribris in Cancellaria terrestri nulla detur possessio: Si aliquis eorum aliquam concessam possideat, privetur officio, jubeaturquè Tzaris servitia præstare ratione possessionis in districtu, quod si facere recusaverit, accipiatur ab eo possessio, & detur eam petenti.

68. Nobiles, qui ante in Novogrodiensi, & Plescoviensi districtu servientes inscripti deinde catalogo Moschoviensi, & in eodem districtu possessionati fuerint, si aliquas in antiquis supradictis districtibus possessiones sibi in libris inscriptas adhuc retinent, ab ijs cadant, & distribuantur Novogrodiensium, & Plescoviensium districtuum nobilibus.

69. Si quis nobilis, aut filius nobilis delatus ab aliquo Palatino fuerit, quòd Tzari servitia præstare nolens possessiones suas alicui clàm locaverit, & patrimonia vendiderit, & ex castris aufugerit, perquiratur, & repertus percutiatur knutis, & remittatur ad castra cum Pristavis. Possessiones autem ab eo locatæ auferantur à conductoribus, & patrimonia vendita ab emptoribus, eiquè retradantur sine ulla pretij accepti refusione.

CAPUT XVII.

De Patrimonijs.

1. PRæterito anno 7136. Piæ memoriæ Magnus Dominus, & Magnus Dux totius Russiæ Michaël Fedorowitz, & ejus pater piæ memoriæ Magnus Dominus Sanctissimus Philaretus Nikititz Moschoviæ, & totius Russiæ Patriarcha juxta doctrinam Sanctorum Apostolorum, & Patrûm circa avita, & pro meritis acquisita patrimonia statuerunt, quòd si aliquis patrimoniatus improlis defunctus fuerit relictâ post se uxore, & fratribus germanis, sive proximis agnatis, isti juxta gradum proximitatis succedant in omnibus ejus patrimonijs; ex reliquis verò ejus bonis uxori de dote, & victu prospiciatur, ad patrimonia autem nullo modo admittatur, nisi empta ab ejus viro fuerint. Quòd si patrimonia sua consanguineis suis, nepotibus, aut pronepotibus virginibus testamento legaverit, habeant illa ea juxta agnationis legem.

2. Si alicujus patrimoniati sine prole mascula defuncti filiæ, & sorores maritatæ supplices petierint, ad suorum respectivè patris, & fratris

fratris patrimonia tanquam hæredes admitti, fiat. Sed si prolem masculam defunctus post se reliquerit, & filiæ ad paterna patrimonia simul cum fratribus petierint admitti, reijciantur, sed admissis tantummodò masculis, filiabus ex possessionibus paternis juxta constitutionem de victu prospiciatur. Si verò fratres earum improles mortui fuerint, tunc illæ ad paterna patrimonia tanquam hæredes admittantur. Constituerat præterito anno 7137. piæ memoriæ Magnus Dominus Sanctissimus Philaretus Nikititz Moschoviæ, & totius Russiæ Patriarcha per constitutionem suâ manu scriptam, quòd in patrimonijs antiquis, aut pro servitijs datis succederent patri defuncto virilis sexûs liberi, his autem non exstantibus, filiæ. Et si permissione Divinâ neque istæ exstarent, succederent agnati juxta prærogativam gradûs propinquitatis, qui tenerentur eleemosynas pro animâ defuncti erogare, prout in constitutione. Quòd si defunctus patrimonia à se empta post se reliquisset, cederent ejus viduæ, cui licitum esset de ijs ad libitum disponere. Nunc verò Dominus Tzar, & totius Russiæ Magnus Dux Alexius Michaelowitz mandavit, & Bojari constituerunt, quòd si aliquis Bojarus, Ocolnicius, Consiliarius, Stolnikus, Strapezius, nobilis Moschoviensis, Diakus, Zylcius, districtuum nobilis, aut advena mortuus fuerit improlis, relictâ post se matre, vel uxore, nullæ autem sint in hæreditate ejus possessiones, nulla empta patrimonia, nihilquè unde matri, vel viduæ relictæ de victu prospiciatur; sed extent tantùm pro servitijs acquisita, & antiqua patrimonia, ex illis, quæ in remunerationem servitiorum suorum defunctus acquisivit, detur per revisionem matri, vel uxori ejus portio ad victum sufficiens, sub hâc tamen conditione, ut neutra patrimonia hæc vendat, aut oppigneret, aut pro animâ leget, aut pro dote scribat; sed si ad secunda vota transierit, vel in monasterium ingressa, aut mortua fuerit, reddantur defuncti agnatis juxta priores constitutiones.

3. Matri defuncti possessoris patrimonij pro meritis acquisiti detur pro victu, prout videbitur, si cum filijs defuncti simul vixerit, & ei pro victu nihil ante datum fuerit; sed si jam alias possessiones pro victu inscriptas habuerit, nihil illi ex patrimonijs pro meritis acquisitis detur.

4. Quoad antiqua, & pro meritis acquisita patrimonia mandavit Tzar, & Bojari constituerunt, decernendum esse juxta doctrinam Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum Patrûm, & constitutionem priorum Tzarûm, & piæ memoriæ parentis sui Magni Domini Tzaris, & totius Russiæ Magni Ducis Michelis Fedorowitz, & avi sui Tzarei piæ memoriæ Magni Domini Sanctissimi Philareti Nikititz Moschoviæ, & totius Russiæ Patriarchæ anno 7136. & 7137. ut supra dictum est, scriptam, ut possessore eorum sine prole masculâ defuncto admittantur ad ea ejus filiæ juxta priores constitutiones antecessorum Tzarûm. Si autem hæ filiæ moriantur relictis post se liberis, ipsis dentur, & nepotibus post avos, & avias. Si verò nullam prolem reliquerint, tunc redeant patrimonia ad agnatos defuncti eorum patris juxta gradum proximitatis secundùm priores antecessorum Tzarûm constitutiones.

5. Si quis mortuus fuerit non relictâ in hæreditate sua ulla possessione, nec patrimonio sive avito, sive pro meritis acquisito, sed

empto

empto tantùm, & remanſerit poſt eum prima, ſive ſecunda, ſive tertia ejus uxor cum prole ex harum aliqua genita, dividatur inter liberos ejus, & viduam emptum patrimonium per capita.

6. Si alicui viduæ emptum mariti patrimonium poſt hujus mortem excluſis ejus filijs dabitur, liceat illi de eo ad libitum diſponere.

7. Si aliquis ſine prole moriens empta patrimonia ſua uxori ſuæ teſtamento legaverit ſub conditione, ut ea habeat donec ad ſecunda vota tranſiverit, vel vixerit, vel monaſterium ingreſſa fuerit, purificata vel per ejus nuptias, vel per mortem, vel per monaſterij ingreſſum conditione, reddantur defuncti fratribus, aut proximioribus agnatis juxta teſtamenti ejus tenorem.

8. Si aliquis poſſeſſiones ſuas in patrimonium ſibi emerit, aut à patrimoniatis agnatis ſuis antiqua patrimonia, aut pro meritis acquiſita coëmerit, & deinde improlis mortuus fuerit uxore poſt ſe relictâ, detur huic emptum à defuncto ex ſuis poſſeſſionibus patrimonium, quod adminiſtrare poterit uſque ad mortem, vel ſecundas nuptias, vel monaſterij ingreſſum; illud tamen vendere non poſſit, nec oppignerare: Cùm autem vel mortua, vel denuò nupta, vel monaſterium ingreſſa fuerit, reddatur ex defuncti mariti agnatis illi, cui poſt reviſionem Tzar concedi ſimiliter in patrimonium mandaverit, & qui illud obtinebit, eroget pro anima illius pretium ejus juxta emptionem. Quòd ſi poſt illud emptum defunctus ædificando, vel meliorando majores expenſas fecerit, & has quoque juxta decretum ſuper hoc à Tzare faciendum in eleemoſynas pauperibus diſtribuat agnatus pro anima illius, prout inferius ſcriptum eſt. Patrimonia autem antiqua, aut pro meritis acquiſita, quæ defunctus ab agnatis ſuis ſibi emerat, viduæ ejus non dentur, ſed reſtituantur agnatis, qui tamen teneantur pecuniam ab eo pro eorum emptione ſolutam pariter pro ejus anima erogare.

9. Vendere autem poſſeſſiones ſuas in patrimonium ſecundùm Tzaris conſtitutionem nemini ſine ejus ſpeciali licentia ullo modo liceat.

10. Patrimonia pro meritis acquiſita, quæ uſque ad annos 7136. & 7137. data fuerunt uxoribus eorum, qui ſine prole mortui fuerant, & exinde uſque ad annum 7137. ab illis ablata reddita fuerant agnatis earum maritorum defunctorum, & eis exſtinctis, converſa in poſſeſſiones alijs ea petentibus data: anno deinceps 7140. juxta mandatum piæ memoriæ Magni Domini, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz, & patris ejus Tzarei piæ memoriæ Magni Domini Sanctiſſimi Philareti Nikititiz Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchæ decretum eſt, ut à donatarijs recuperentur, tradanturque ijſdem viduis, à quibus ablata fuerant, quæ ea uſque ad mortem adminiſtrent; vetentur tamen vendere, aut oppignerare, aut pro anima ſua monaſterijs, aut paræcijs dare. Poſt earum verò mortem reſtituantur agnatis proximioribus earum maritorum, unde venerant.

11. Cùm verò ante annum 7136. patrimoniati aliquot ſine prole mortui fuerint, quorum uxores patrimonia vendiderunt, vel oppigneraverunt, & deinceps mortuæ, vel monaſterium ingreſſæ ſunt, ſi de mortuorum earum maritorum agnati aliqui extent, jus habeant ea redimendi ſecundùm conſtitutionem: ſi non extent, permaneant apud emptores, vel conductores.

12. Pa-

12. Patrimonia ante annum 7136. vitâ functorum, quæ relictæ eorum matres, vel uxores poſſident, ſi poſſeſſiones pro victu non habenr, ab eis, usquequò vixerint, non auferantur, ea verò nequè vendere, neque locare, neque pro anima dare illis liceat.

13. Si poſt mortem alicujus patrimonium ejus dabitur duobus, vel tribus ejus filijs in communi, illud omnes in communi adminiſtrent, nec unus absque altero illud vendere, aut locare poſſit. Quòd ſi pater eorum multo ære alieno gravatus deceſſerit, & in hæreditate excepto patrimonio nihil fuerit, unde creditoribus ſatisfieri poſſit, quare illud vendere, vel locare ad ſolvenda paterna debita omnes in communi voluerint, frater autem major inconſultis minoribus ipſe ſolus pro ſuo commodo, & non pro ſolutione debitorum paternorum, illud vendiderit, ſi fratres ejus minorennes jam majores facti læſionem ſuam Tzari ſupplices juxta declarationem 40. annorum expoſuerint, & eam probaverint, auferatur venditum à fratre majore patrimonium ab ejus emptoribus, & fratribus læſis reſtituatur, emptor verò habeat pro integro pretio ſoluto regreſſum contra majorem fratrem venditorem, cujus tamen patrimonij quota remaneat vendita apud emptorem, niſi eam redimere velint alij fratres, quod licitum eis juxta ſuperiùs ſcriptam Tzaris conſtitutionem erit.

14. Si inter plures fratres parentis patrimonium in communi poſſidentes unus fuerit, qui ob paupertatem ſuam illud vendere, vel locare voluerit, liceat. Sed ſi fratres ejus illud dividere recuſaverint, & ſupplices à Tzare petierint, mandari fratri, ut pro portione ſuâ pretium ab ijs juxta æſtimationem accipiat, concedatur, & jubeatur frater hoc facere.

15. Si inter plures à patre defuncto relictos liberos aliquis ſurdus, aut mutus fuerit, ideoquè ab alijs fratribus, ſive ſororibus deſpicatui habitus, injurijs affectus, & à paternis, ſive maternis bonis excluſus fuerit, dividantur hæc bona inter eos æqualiter per capita, ne aliquis eorum læſus ſit.

16. Patrimonia conceſſa illis, qui regnante piæ memoriæ Domino Tzare, & Magno totius Ruſſiæ Duce Baſilio Juanowitz, & deinceps in adventu Principis Poloniæ regnante piæ memoriæ Magno Domino Tzare, & totius Ruſſiæ Magno Duce Michaële Fedorowitz obſeſſam Moſchuam defenderunt, permaneant apud eos, & juxta donationis literas, & libros conſcriptos ea adminiſtrent.

17. Si verò contra aliquos, qui tanquam ex numero Moſchuæ tunc temporis obſeſſorum patrimonia per inquiſitionem obtinuerint aliquis delationem Tzari fecerit aſſerens, quòd Moſchuæ tempore obſidionis non fuerint, nec in catalogo obſeſſorum nomina eorum ſcripta ſint, inquiratur diligenter de veritate, & fiat eorum cum delatore confrontatio, & comperto, quòd eorum aliquis verè Moſchuæ obſidionis tempore non fuerit, auferatur ab eo patrimonium ei ob hanc cauſam datum, & diſtribuatur. Sine inquiſitione verò, & confrontatione patrimonia ab eis non auferantur.

18. Patrimoniati, quorum antiqua patrimonia, excluſis novis cum omnibus additamentis ſive pagorum ab illis in ijs exſtructorum, ſive agrorum, aut pratorum eorundem ſylvis, & locis præparatorum à deſcriptoribus menſurata in libris pro ipſis deſcripta fuerunt, & per

decretum piæ memoriæ Magni Domini, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz illis tanquam antiqua ſua patrimonia confirmata fuerunt, ea tanquam talia juxta conſcriptos libros, & ſupradictam confirmationem adminiſtrent, & poſſideant. Quòd ſi in poſterum intra limites per novam menſurationem, & deſcriptionem iſtorum patrimoniorum in libris deſcriptorum apparebunt augmenta vel pagorum, vel agrorum jam antea, vel deinceps ab ejs factorum, poſſideant etiam hæc cum principali tanquam antiqua patrimonia ſua, & nullo modo ab eis auferantur.

19. Stolnichi, Strapezij, Nobiles Moſchuenſes, & alij cujuscunquè conditionis homines, quibus pro remuneratione toleratæ Moſchuæ obſidionis in adventu Principis Poloniæ conceſſæ fuerunt ex mandato Domini in patrimonia pro ſtipendijs propriæ eorum poſſeſſiones, ſed non ſufficientes, ſi ſupplices à Tzare petierint, ut is ex clementia ſua, quòd deeſt, replere velit, concedantur ipſis ex novis eorum poſſeſſionibus prædictorum pro ſtipendijs patrimoniorum ex nova conceſſione ſupplementa.

20. Stolnichi, Strapezij, & alij cujuscunquè conditionis homines, quibus in remunerationem propugnatæ Moſchuæ tempore piæ memoriæ Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Baſilij Juanowitz datæ fuerunt in patrimonia poſſeſſiones in Dorohobuze, Bielâ, Nevelinſerpsko, Novogrodiâ Severienſi, Staradubo, & Roslowiâ, quæ poſtmodum cum ijsdem ſupradictis civitatibus reddita ſunt Lituanis, ſi ſupplices à Tzare petierint, concedi ſibi ex ejus Clementiâ loco eorum alia alibi patrimonia ex novis ſuis poſſeſſionibus, detur unicuique eorum ex novis poſſeſſionibus ſuis in patrimonium ille idem jugerûm numerus, quem per literas patrimoniales, & privilegia ſua docebit, ſe in prædictis locis Lituanis reſtitutis poſſediſſe.

21. Patrimoniatis, & poſſeſſionatis, qui juxta deſcriptionem patrimoniorum, vel poſſeſſionum ſuarum in libris intra eorum, vel earum limites apiariorum loca poſſident, liceat in ijsdem ad libitum agros excolere, pagos fundare, & quæcunque alia exſtruere.

22. Verùm ſi apiaria, quamvis in eorum terris fuerint, ad eos non pertinuerint, ſed ad alios dominos, adminiſtrentur ſicuti ſuperius conſtitutum fuit.

23. Si in aliqua ſylva ad Tzarem, & non ad aliquem patrimoniatum, aut poſſeſſionatum, ſpectante fuerint alvearia, vel piſcationes, vel ſtagna, vel prata, vel molendina, vel alia ſimilia quæcunquè loca, & ea alicujus poſſeſſionati ſubditi, aut alij quicunque adminiſtrant pactâ ſolutione ad trimeſtria, non cadant ab uſu horum locorum; ſed ſolvant.

24. Villæ, & pagi cum alvearijs, & alijs bonis ad Tzaream aulam ſpectantes, qui in poſterum ex Tzaris gratia in poſſeſſiones, & patrimonia alicui concedentur, ſi in ſylvis, alijsquè pertinentijs non fuerint benè conſtituti, cùm in favorem donatariorum in libris deſcribentur, teneantur ſcriptores eos benè in ſylvis, & reliquis omnibus conſtituere, ſicuti in literis conceſſionis expreſſum erit, ad excolendos agros, exceptis antiquis poſſeſſionum, & patrimoniorum terris. Si quis autem alicujus poſſeſſionis, aut patrimonij ab antiquo, & non per conceſſionem, villarum aulæ juxta antiquos, & reviſorios conſcriptos libros poſſeſſor ſylvas, & alias pertinentias non benè ordinatas

tas habuerit, perſeveret in poſſeſſione antiqua, & utatur ſylvis in omnibus ſuis neceſſitatibus, prout antea.

25. Cùm verò præteritis annis regnante Domino Tzare, & totius Ruſſiæ Magno Duce Michaële Fedorowitz ſubrepere ei per falſas expoſitiones tentaverint aliquot malè feriati, petentes ſibi concedi poſſeſſiones, & patrimonia quorundam Stolnicorum, Strapezyorum, nobilium, filiorumquè nobilium, qui temporibus difficillimis fuerunt Tuſſini, & in diſtrictibus, quibus impoſtor incubabat, quod tamen non obtinuerunt, imò per novam confirmationem declaratum fuit, ut ſupradicti Stolnichi, cæteriquè in poſſeſſione ſuarum poſſeſſionum, & patrimoniorum perſeverare deberent, eaquè per deſuper de novo conceſſa privilegia in antiqua, & empta patrimonia eis data fuerunt, eò quòd poſt Moſchoviticam vaſtationem adjunxerant ſe ſub civitate Moſchuâ Bojaris, & Palatinis, & ſuâ cooperatione per gratiam Divinam Moſchoviticum Dominium à Lituanis recuperaverunt, declaratur nunc, ut prædicti omnes perſeverare in poſſeſſione ſuarum poſſeſſionum, & patrimoniorum juxta inviolabilem literarum ſuarum tenorem omninò debeant. Quòd ſi aliquis eorum antiqua talium poſſeſſionum, & patrimoniorum privilegia amiſit, & nova ſupplex petat, inſpiciantur in Cancellaria poſſeſſionum libri conſcripti, utrum in ijs tales poſſeſſiones, & patrimonia, pro quibus renovari ſibi privilegia petit, deſcripta ſint, & deſuper ijs privilegia conceſſa fuerint, quòd ſi de utroque ex libris conſtiterit, dentur ei nova privilegia juxta librorum tenorem, ut in poſterum ſit in poſſeſſione ſuâ tutus.

26. Patrimonia tamen Stolnicorum, Strapezyorum Nobilium Moſchuenſium, & diſtrictuum & filiorum nobilium, qui Tuſsini fuerunt, quæ à piæ memoriæ Domino Tzare, & totius Ruſsiæ Magno Duce Baſilio Juanowitz diſtributa in alios fuerunt, & uſque nunc eis reſtituta non fuerunt, remaneant apud eoſdem, qui ea habuerunt ſine ulla obligatione ea reſtituendi.

27. Si quis patrimonium antiquum, ſive pro meritis acquiſitum, vendiderit, aut locaverit, irritare hunc contractum filij ejus, aut nepotes nequeant, imò neque illud per pretij refuſionem redimere eis liceat. Si verò venditor, vel locator fratres, aut agnatos habuerit, qui venditionis, aut locationis contractui conſentiendo ſubſripſerint, neque ipſi, aut eorum poſteri irritum illum facere poterunt. Si autem non ſubſcripſerint, admittantur ad alienati patrimonij redemptionem, modò pretium emptori, vel conductori perſolvant, juxta contractûs documentum, & non per agri jugera. Quòd ſi melioramenta per propagationem agrorum, aut pratorum, aut ſylvarum facta in patrimonio ab emptore, vel conductore fuerint, agnatus hoc redimere volens, ſolvat ea etiam juxta æſtimationem, computando pro domo ſubditi habitatâ quinquaginta rublos: Pro agro noviter purgato, & ſylvæ augmento tres rublos pro ſingulis decimis; pro pratis verò noviter purgatis decem rublos pro ſingulis decimis: Et pro ædificatione Eccleſiæ, & domorum Bojarorum & famulorum, aut molendinorum, aut cataractarum ad detinendam aquam, ſolvat juxta æſtimationem à vicinis faciendam.

28. Sed ſi in inſtrumento emptionis, aut locationis patrimonij conventum inter contrahentes fuerit, quod redimere volens, teneatur pro ædificijs in eo ab emptore, vel conductore exſtruendis ſolvere, quicquid iſte ſe erogâſſe affirmaverit, tali pacto ſtandum firmiter erit.

29. Si

29. Si in aliquo patrimonio redimendo asseratur esse melioramentum ob domum forsan, in qua habitent jam divisi filij, aut fratres, aut agnati subditi alicujus, cum quo tempore venditionis, aut locationis indivisim simul habitabant, ideoquè in simul cum eo in venditionis, vel locationis instrumento venerunt, non imputentur isti in melioramentum, nihilquè pro ijs redimere volens solvat, eò quòd non noviter adventitij, sed antiqui subditi sint.

30. Tempus autem redimendi patrimonium venditum, sive locatum sit quadraginta annorum à die venditionis, aut locationis. His elapsis nemo amplius admittatur ad illud redimendum.

31. Si aliquis emptum suum patrimonium alicui vendiderit, seu locaverit, seu donaverit, & de hoc authentica documenta extiterint, vel illud per testamentum manu patris sui spiritualis subsiguatum alicui legaverit, & testes de hoc legato concordes deposuerint, nulli agnatorum illud redimere liceat. Sed si testes discordes fuerint, causa per judicialem processum dirimatur.

32. Si aliquis antiquum, vel pro meritis acquisitum patrimonium suum locaverit, aut ad tempus pactis redemptionis scripto comprehensis vendiderit, & sive tempore constituto, sive ante illud redempturus pecuniam à conductore acceptam ei obtulerit, hicquè eam accipere recusaverit malitiosè intendens, ut tempus ad redimendum præfixum elabatur, ideoquè ipse patrimonium conductum retineat, patrimonij verò dominus ad Tzarem supplex accedat, & integram pecuniarum summam, quam à conductore habuit, in Cancellariam adferat, petatquè cogi hunc ad patrimonium retrocedendum, citetur conductor cum mandato, ut locationis instrumentum secum adferat, ut constet de tempore ad redimendum præfixo. Si ex illo apparuerit, quod hoc ante oblatam à debitore pecuniam elapsum non fuerit, tradatur ei, & pecunia juxta tenorem locationis integrè creditori numeretur.

33. Sed si aliquis patrimonium suum locatum intra tempus per pacta constitutum non redemerit, eoquè elapso supplex à Tzare petierit, restaurari sibi tempus ad redimendum, ejus libellus non recipiatur, & patrimonium ejus permaneat apud conductorem, describaturquè in libros tanquam ipsius proprium juxta descriptionem locationis sine supplici libello, consulto tamen superiori consilio, an aliquis in Cancellaria judicioruu pro hoc redimendo patrimonio supplex libellus oblatus fuerit

34. Si quis patrimonium suum antiquum, sive pro meritis acquisitum, sive emptum alicui vendiderit, pretium acceperit, desuperquè venditionis documentum dederit, sed illud in Cancellaria possessionum in favorem emptoris in libris non inscripserit. Indè verò idem patrimonium alteri denuò clàm vendiderit, pretioquè accepto in libris huic posteriori emptori inscribi curaverit, possideat hoc patrimonium iste, cujus emptio descripta fuit in libris, excluso primo emptore, qui illud pro se describi neglexit. Venditor tamen teneatur ei pretium acceptum restituere, & in pœnam fraudis ante Cancellariam coràm populo cædatur knutis sine misericordiâ in aliorum exemplum. Quòd si neque pro primo, neque pro secundo emptore patrimonium venditum in libris describi curaverit, prior in emptione posteriori præponatur, & pro eo in libris describatur, posteriori verò emptori venditor pretium acceptum restituat.

35. Si

35. Si aliquis alienum patrimonium, qualecunque illud fuerit, inscio domino, & absente alicui vendiderit, vel locaverit, & instrumento emptionis venditionis, sive locationis nomen domini, suumquè ipse subscripserit, & collusione cum emptore, sive conductore factâ illud pro hoc in Cancellariâ possessionum libris inscribi curaverit; Dominus verò patrimonij hoc intellecto supplex Tzari exposuerit, supradicta omnia se inscio esse facta, ideoquè irrita fieri petierit, veritate compertâ, redeat patrimonium ad dominum suum, emptori autem, vel conductori reddat fraudulentus venditor, sive locator pretium acceptum, cædaturquè insuper knutis in aliorum exemplum, & damna, quæ patrimonij dominus ex furtiva alienatione passus fuerit, ei resarciat.

36. Si quis alicui patrimonium suum vendiderit, aut locaverit, & scribere nesciens rogaverit aliquem, ut loco sui instrumentum contractûs manu subsignet, isquè hoc fecerit: Deinde verò venditor supplex Tzari exposuerit, prædictum instrumentum fuisse se inscio ab hoc subscriptum, hic autem negaverit constanter asserens, se illud ad ejus instantiam subsignâsse, fiat inquisitio, & si apparuerit, quòd venditor falsò hunc accusaverit, cædatur knutis sine misericordia coràm populo ad aliorum terrorem, & patrimonium ejus apud emptorem, vel conductorem permaneat. Sed si quis inscio domino contractui emptionis venditionis, aut locationis à se facto illius loco subscripserit, re compertâ, cædatur similiter knutis sine misericordia, & contractus irritus omninò sit.

37. Filij Nobilium, sive ad Patriarcham, sive ad Metropolitas, sive ad Archiepiscopos, sive ad Episcopos pertinentes, qui vacuas patrimoniales terras in districtu Moschuensi, sive in civitatibus sibi in patrimonia emerint, si ab antiqua nobilium stirpe descendant, possideant ea juxta emptionem. Sed si non ex parentibus filij nobilium fuerint, nec à militibus geniti, scribantur singuli in suo districtu, ubi patrimonia sita sunt, pro castrensibus Tzaris servitijs. Quòd si eorum aliquis servitia Tzari præstare recusaverit, auferatur ab eo emptum patrimonium conferendum à Tzare, cui voluerit.

38. Si quis patrimonium suum alicui vendiderit, aut locaverit, terminumquè constituerit, & instrumentum emptionis venditionis, aut locationis in libris describi curaverit, si deinde promissis non steterit, & ex Moschovitico Dominio in aliud fugâ se proripuerit, emptor, vel locator ejus patrimonium sine ulla in posterum redemptionis spe possideat, eò quòd illud à fœdifrago ante ejus fugam emerit, agnatis autem ejus emptio non concedatur.

39. Sed si talis fugitivi patrimonium quis possidens, contractûs documentum omninò non, aut post tempus ostenderit, in libris autem descriptum non fuerit, cedat illud Tzareo fisco in pœnam neglectæ ab eo in libris suo tempore inscriptionis.

40. Si verò talis fœdifragus locato patrimonio suo ante tempus aufugiet, auferatur illud à conductore pro Tzareo fisco, & illi ex bonis fœdifragi pecunia pro locatione data restituatur.

41. Bojarorum famulis, & monasteriorum servitoribus patrimonia emere, aut conducere sit interdictum; si aliquis eorum contravenerit, ad delationem fiat inquisitio, & veritate compertâ, auferatur ab eo patrimonium, & detur delatori in possessionem.

42. Præterito anno 7136. conſtitutum fuit à piæ memoriæ Magno Domino, & totius Ruſſiæ Magno Duce Michaële Fedorowitz, quòd omnibus & ſingulis patrimonia pro ſervitijs conceſſa poſſidentibus, filijſquè eorum, nepotibus, & pronepotibus liceat ea juxta Tzareæ donationis literas ad libitum vendere, locare, in dotem, & monaſterijs pro anima dare. Si verò agnatus aliquis ea redimere voluerit, hoc faciat juxta conſtitutionem anteceſſorum Dominorum. Tzarûm circa redemptionem antiquorum, & emptorum patrimoniorum ab agnatis faciendam promulgatam. Quòd ſi alienantis agnati nulli extent, vel exſtantes redimere nolint, retrahatur alienatum patrimonium à Monaſterio pro Tzare, ex cujus ærario juxta conſtitutionem ſolvatur illi dimidius rublus in ſingula jugera, & nullo modo illud pro monaſterio in libris deſcribatur. Nunc verò Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Alexius Michaëlowitz conſultis patre ſuo ſpirituali, & apud DEUM interceſſore, Sanctiſſimo Joſepho Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchâ, Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopo, Abbatibus, Prioribus, & univerſo clero congregato, & conſecrato, & deinde Bojaris, Ocolnicijs, Conſiliarijs, Stolnichis, & alijs uniuſcujuscunque conditionis hominibus, ex eorum omnium unanimi ſententiâ ſtatuit, ut in poſterum Patriarcha, Metropolitæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & monaſteria patrimonia nulla, ſive antiqua, ſive pro ſervitijs conceſſa, ſive empta à nemine emant, aut conducant, nec ullo modo ad ſe trahant, aut pro animabus in æternam memoriam accipiant, nequè in Cancellariâ pro aliquo ex ſupranominatis inſcribantur. Quoad patrimoniatos verò, ut eorum nemo monaſterijs patrimonium ſuum det. Quòd ſi illud monaſterio per teſtamentum legaverit, illi nullo modo detur, ſed agnati ejus æſtimationem ſolvant, aut quantitatem à defuncto illi legatam. Quòd ſi nullus agnatorum illud redimere velit, vendatur vicinis, & pretium detur monaſterio juxta teſtatoris diſpoſitionem. Quòd ſi quis contra hanc conſtitutionem per aliquem ex ſupradictis modis fecerit, auferatur alienatum quocunque modo in quoscunque ex ſupradictis in Tzareum fiſcum ſine ullo pretio, & donetur illis, qui illud à Tzare ſupplices petierint.

43. Si aliquis patrimoniatus cujuscunque conditionis, aut vidua, in monaſterium ingreſſus, aut ingreſſa fuerit, patrimonia qualiacunquè (ſi quæ habuerit) illi non det, nec poſt ſuſceptum monaſticum habitum ea amplius adminiſtret, ſed reddat agnatis ad ea de jure vocatis, qui teneantur ipſi usquè ad mortem de omnibus neceſſarijs pròſpicere. Quòd ſi iſti non præſtiterint, liceat ei patrimonia ſua vendere agnatis, aut extraneis. Empta autem patrimonia poterit ad libitum cuicunque vendere, vel donare; retinere autem poſt ſuſceptum religionis habitum nullo modo.

44. Quòd ſi aliqui patrimoniati, aut viduæ patrimonia poſſidentes ante hanc Tzaris conſtitutionem habitum religioſum induerunt, ea amplius non adminiſtrent, ſed fiat de ijs, prout ſuperius dictum eſt.

45. Præterito 7136. anno piæ memoriæ Magnus Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Michaël Fedorowitz, & Tzareus ejus pater piæ memoriæ Magnus Dominus Sanctiſſimus Philaretus Nikititz Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarcha mandarunt, quòd terræ vacuæ

vacuæ in diſtrictu Moſchuenſi juxta prius mandatum piæ memoriæ Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Baſilij Ivanowitz anno 7081. emanatum vendantur, pretiumquè ſit unius rubli pro tribus terræ jugeribus. Si verò terra ad aulam pertinuerit, bina tantùm jugera pro unico rublo dentur, promiſcuè tamen bona, & mala, & mediocris menſuretur, nec ullo modo una ab altera ſeparatim vendatur. In literis verò emptionis venditionis in patrimoniales terras ementibus concedantur, ita ut uxores eorum, & filij in ijs ſuccedere, & eas in dotem dare poſſint. Quòd ſi nec uxor, nec filij exſtiterint, ſuccedant agnati, & neque his exſtantibus, retrahantur hæc patrimonia in Tzareum fiſcum, & in poſſeſſiones transeant, ſoluto per Tzareum ærarium pretio in pauperes pro animabus demortuorum patrimoniatorum erogando. Similiter nunc ſtatuit Tzar, ut vacuæ terræ in Dmitrowa, Rutza, & Zuenigorod vendantur, ſicuti in diſtrictu Moſchuenſi: quæ ita vacuæ terræ in prædictis Moſchuenſi, Dmitrowienſi, Rutzenſi, & Zuenigrodienſi diſtrictibus præteritis annis juxta mandatum piæ memoriæ Magni Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz, & Tzarei ejus parentis piæ memoriæ Magni Domini Sanctiſſimi Philareti Nikititz Moſchoviæ, & totius Ruſſiæ Patriarchæ, & Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Alexij Michaëlowitz venditæ fuerunt Bojaris, Ocolnicijs, Conſiliarijs, Stolnichis, alijsquè cujuscunquè conditionis hominibus in patrimonia, adminiſtrentur ab emptoribus, eorumquè uxoribus, & filijs pro talibus juxta emptionis literas, licitumquè eis ſit, ea vendere, locare, & in dotem dare. Terræ autem illæ, quæ his additæ patrimonijs fuiſſe ex novis deſcriptionibus apparuerint, quasquè ipſi limitibus ſuis cum ſylvis, & pratis adjunctas pro ſuis poſſidebunt, non auferantur ab eis, ſed permittantur ijs unà cum patrimonio ſuo uti. Quòd ſi quis ex eis mortuus fuerit, nec uxore, nec filijs ſuperſtitibus, dentur hæc patrimona agnatis, & his non exſtantibus, retradantur Tzari in poſſeſſiones denuò convertenda, & ex Tzareo ærario ſolvatur eorum pretium pro animabus erogandum.

46. Vacuæ ab antiquo poſſeſſionum terræ in diſtrictu Novogrodienſi vendantur Novogrodienſibus nobilibus, & filijs nobilium, ſicuti conſtitutum eſt de Moſchuenſi diſtrictu, alijsquè.

47. Si in alijs civitatibus vacuæ à longo tempore terræ fuerint, quas nemo in poſſeſſiones ſibi concedi inſtet, vendantur in patrimonium nobilibus ſtipendiarijs, qui Tzari ſervitia præſtant in his diſtrictibus, ubi illæ ſunt, fiatquè venditio per jugera centum ad rationem unius rubli pro tribus jugeribus. Non ſtipendiarijs verò, qui nulla Tzari ſervitia præſtant, non vendantur; ſi verò aliquis petierit, tales terras ſibi vendi in patrimonium, & eodem tempore alius ſibi concedi in poſſeſſionem, huic altero excluſo concedantur. Quòd ſi quis præteritis annis per mandatum piæ memoriæ Magni Domini, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz, & ſubſignatos ab eo ſupplices libellos in alijs civitatibus, exceptis ſupranominatis, poſſeſſiones, & vacuas terras emptione venditione mediante in patrimonia acquiſierit, poſſideat ea juxta tenorem ſuarum literarum.

48. Cui autem ſub Moſchuenſi poſſeſſio in patrimonium vendita fuerit, nulla deinceps ſub Moſchuenſi poſſeſſio detur.

49. Illi,

49. Illi, quibus tempore adventûs Principis Poloniæ ob ſervitia præſtita in obſidione Moſchuæ dominante piæ memoriæ Magno Domino Tzare, & totius Ruſſiæ Magno Duce Michaële Fedorowitz poſſeſſiones in Moſchuenſi diſtrictu datæ fuerunt in patrimonia, eò quòd in alijs diſtrictibus nullæ tum eſſent, quæ eis darentur, ea in poſterum poſſideant juxta tenorem Tzareæ donationis. Et ſi ſupplices petierint concedi ſibi loco poſſeſſionum ipſis, ut ſupra, in patrimonium datarum alias in eodem Moſchuenſi diſtrictu poſſeſſiones, concedantur eis juxta eorum ſtipendia, prout ſuperius.

50. Si aliquis poſſeſſionatus, aut patrimoniatus in Moſchuenſi, aut alio quocunquè diſtrictu ſupplex expoſuerit, quòd à terrarum deſcriptoribus poſſeſſionibus, aut patrimonijs ſuis limites conſtituti non fuerint, ideoquè eos conſtitui petat, detur ei ad hoc Tzareum mandatum, & ex libris extractus, ut adhibitis vicinis, & ſenibus in limitibus terra effodiatur, & columnæ ſtatuantur, cæteraquè alia fiant, quæ ad tollendas in poſterum inter confinantes lites aptiora judicabuntur.

51. Si inter aliquos vicinos de limitibus lis oriatur coràm ipſis ad limites conſtituendos deputatis, inquirant iſti de controverſia adhibitis vicinis, & ſenioribus, & juxta horum informationem terras, ſuper quibus controvertitur, menſurent, limiteſquè ſtatutis terminis faciant.

52. Quòd ſi aliqua de cauſa devenire ad deciſionem controverſiæ non potuerint, jubeantur partes juxta ſortis caſum, prout ſupra in capite de judicijs conſtitutum fuit, imaginibus prælatis jurare, & ſecundùm juramentum limites effodiantur, termini ſtatuantur, cæteraquè omnia præſentibus partibus, & vicinis fiant, quæ omnem illis in poſterum litigandi anſam eripere poſſunt. Pro conſtituendis verò limitibus mittantur nobiles probi, & benè poſſeſſionati, vel Palatinis hâc in re Tzareum mandatum detur.

53. Si quis ad limites conſtituendos, ut ſuperiùs, miſſus delatus fuerit, quòd commodo ſuo ſtudens contra æquitatem eos conſtituerit, re probatâ, cedatur knutis per forum, demandeturquè alicui alij cura limites conſtituendi, ut lites inter vicinos è medio tollantur.

54. Si aliquis ſupplex à Tzare petierit, deſcribi in libris patrimonium aliquod juxta tenorem acquiſitionis de eo factæ, vel teſtamenti, & neque in hoc, neque in illa ſpecificè ſcriptum fuerit ejus pretium, ſolvat pro ejus in libris deſcriptione Tzari juxta regiſtrum in libris, & conceſſione ex ſingulis jugeribus tres dengas.

55. Cauſæ omnes ad poſſeſſiones pertinentes, quæ ante incendium, quo die 3. Maij anno 7134. arces Krim, & Kitaij Moſchuæ correptæ fuerunt, & poſt illud uſquè ad diem 28. Januarij anno 7153. definitæ fuerunt, permaneant in poſterum juxta ſuam deciſionem ſine ulla mutatione.

CA-

CAPUT XVIII.

De Solutione pro Sigillis.

1. QUicunque à Tzareâ clementiâ aliquâ poſſeſſione donatus fuerit, ſolvat pro ſigillo tres dengas pro ſingulis jugeribus.

2. Si quis à Tzarea clementia donatus fuerit aliquâ poſſeſſione infra viginti jugera, vel inter plures diviſa poſſeſſio aliqua, ita ut ſinguli ex ea infra viginti jugera habuerint, ſolvant ſinguli quartam partem rubli pro ſigillo.

3. Si alicui Nobili, vel Nobilis filio, vel alij cuicunquè datæ fuerint juxta tenorem librorum reviſionum Tzareæ literæ pro ſui in antiquas ſuas poſſeſſiones immiſſione, & in ijs enunciatum fuerit, quòd antiquæ in poſſeſſionum Cancellaria ſimul cum alijs conceſſionis perierint, quomodò & antiqui deſcriptionum libri in ſigillorum Cancellaria per devaſtationem periere, ideoquè earum conceſſiones nullo modo poſſunt inveniri, non exigatur ab eo pro ſolutione ſigilli ad jugerorum rationem, ſed tantummodò quarta pars rubli.

4. Si alicujus Nobilis, vel filij nobilis in Tzaris ſervitijs occiſi poſſeſſiones uxori, aut filijs datæ fuerint, nequè ad jugerorum rationem ſolutio pro ſigill. exigatur, ſed tantùm quarta pars rubli.

5. Si aliquis Nobilis, aut filius Nobilis ſupplex à Tzare petierit, concedi ſibi aliquas deſertas, aut vacuas terras, aut in diſtrictibus Ukrainæ campum aliquem in poſſeſſionem, & datæ ei ſuper hoc Tzareæ literæ ad inquirendum fuerint, & inquiſitiones deſuper factæ Moſchuam remittantur, & deſcribantur tales terræ pro Tzare illi non dandæ ante hujus mandatum, nihilominus quartam partem rubli ſolvat.

6. Si alicui Nobili, aut Nobilis filio ex Tzaris clementia datæ fuerint poſſeſſiones in patrimonium per literas rubrâ cerâ ſignatas, ſolvat quartam partem rubli, & non ad jugerorum rationem.

7. Si alicui amiſſæ in Moſchoviæ vaſtatione patrimonij ſui ſive antiqui, ſive empti literæ renovabuntur, nihil ab eo pro ſigillo exigatur.

8. Mercator, ſive majoris, ſive minoris conditionis, qui Tzareas literas rubro ſigillo ſignatas obtinuerit, per quas eximatur à ſorte cum reliquis nigræ conditionis æquali, recipiendi, ſcilicet, hoſpitio milites, eiſquè potum ſubminiſtrandi: vel qui pro ſervitijs præſtitis, aut pro vectigalium, & popinarum auctione promovebitur, ſolvat pro ſigillis duos rublos cum dimidio pro ſingulis literis.

9. Si aliquis mercator majoris, aut minoris conditionis officinam lapideam à Tzare obtinuerit ſoluto ejus pretio in Cancellaria majoris proventûs Tzareo ærario, & literas conceſſionis, ſive memòriales, quomodo eas adminiſtrare debeat, Tzareo ſigillo ſignatas obtinuerit, ſolvat pro eo rublum cum quarta ejus parte.

10. Si autem non integram officinam, ſed ejus aliquam partem obtinuerit, ſolvat pro rata.

11. Nobiles, aut Nobilium filij, quorum poſſeſſiones retraditæ Lituanis, aut Coſacis, aut per inquiſitionem redditæ antiquis poſſeſſionatis, & patrimoniatis, earumquè loco ipſis aliæ alibi poſſeſſiones per Tzareas literas conceſſæ fuerint, ſi ſupplices petierint, non exigi ab

ipsis solutionem sigilli ad jugerorum rationem, eò quòd pro prioribus ab ipsis ablatis possessionibus, in quarum locum hæ subrogatæ fuerunt, pro eo solverant, nihil ab ipsis pro sigillo exigatur.

12. Quicunque ad supplices Nobilium Novogrodensium preces Novogrodiam Tzareas literas mittere voluerit, in quibus mandetur, ut eis possessio juxta descriptionem Novogrodensem detur, si Moschuæ pro sigillo solvit, non exigatur amplius pro eo Novogrodiæ ulla solutio pro supplici libello, aut pro jugeribus, sed tantùm pro sigillo quarta pars rubli, cùm ibi dabuntur ad ejus favorem literæ pro immissione ejus in possessionem. Quod etiam observetur, si Moschuæ eas acceperit, ne in duplo solvat.

13. Si ad alicujus instantiam mandatum per Tzareas literas fuerit, ut Novogrodiæ de aliqua possessione inquiratur, hæcquè post inquisitionem illi concessa fuerit per literas possessionales Novogrodiæ datas, si Moschuæ nihil solvit, exigatur ab eo pro sigillo juxta Tzaream constitutionem pro singulis agri jugeribus dimidium dengæ supra unum copicum, & pro supplici libello quarta pars rubli, quod fiat tunc, quando ei literæ immissionis in possessionem concedentur. Quòd si Moschuæ ille solverit, scribatur in literis penès sigillum, ut Novogrodiæ hoc rescire possint.

14. Si alicui, qui paternam possessionem ab alio possessam sibi in libris per correctionem inscribi supplex petierit, testamento autem paterno caruerit, decretæ fuerint literæ immissionis in eam, & aliæ ad eam à possessore recuperandam, solvat pro singulis jugeribus duas dengas cum dimidia, eò quòd patris testamentum non habuit.

15. Si quis emerit terras vacuas in patrimonia, solvat in Cancellaria possessionum pro emptionis literis altinum pro singulis rublis, & in Cancellaria sigillorum pro singulis agri jugeribus duas dengas cum dimidia, & quartam partem rubli pro supplici libello.

16. Bojari, Ocolnicij, & Consiliarij pro Tzareis literis donationis in patrimonia, & possessiones nihil solvant.

17. Nobiles, sive filij Nobilium, quibus ex mandato Tzaris in possessionum Cancellaria patrimonia per locationem, testamentum, donationem, aut alium quemcunquè modum alienata per correctionem, factâ prædictæ Cancellariæ debitâ solutione, in libris inscribentur, & immissionis literæ datæ fuerint ad civitates, per quas facultas illis fiat, has possessiones juxta Tzaris mandatum administrandi, solvant pro talibus literis sigillatis, quantùm possessionati, duas, nempe, dengas cum dimidia pro singulis jugeribus, & pro documento, quod ex literis apparebit, quartam partem rubli.

18. Si aliquis Nobilis, aut filius Nobilis adferat in Cancellariam sigillorum Tzaris literas de commutatis possessionibus, aut patrimonijs aqualiter, solvant ipsè, & alter commutans quartam rubli partem singuli. Sed si plura jugera commutando acceperit, quàm dederit, solvat insuper pro singulis duas dengas cum dimidia.

19. Si aliquis Nobilis, aut filius Nobilis possessiones suas, & patrimonia in filios, aut filias, aut fratres, aut agnatos, aut alios transferre voluerit, & per Tzareas literas hoc concedatur, solvant cedentes singuli quartam partem rubli, cessionarij autem duas dengas cum dimidia pro singulis jugeribus.

20. Si ab aliquo Nobili, aut Nobilis filio possessiones, aut patri-

monia

monia ex mandato Tzaris ablata, & in alios distributa, & deinde ad ejus supplices preces ei de novo per Tzaris literas reddita fuerint, si infra viginti jugera fuerint, exigatur ab eo pro sigillo quarta pars rubli, si supra, solvat pro singulis jugeribus duas dengas cum dimidia.

21. Redemptores vectigalium, popinarum, & quorumcunque aliorum redituum, solvant pro singulis rublis in contractu promissis altinum cum denga. Sed si sextum promissio non excesserit, solvant pro supplici libello tantùm quartam partem rubli, & nihil ultra.

22. Si verò literas à Tzare impetraverint, ut quousque conductionis tempus duraverit, in civitatibus nemini contra eos, eorumquè socios in quacunque causa actio detur, solvent pro literis singuli ex ijs nominati quartam rubli partem.

23. Sed si aliquem vectigalis, aut popinæ ad biennium, vel triennium redemptorem aliquis in judicium vocare volens, hoc sibi permitti supplex à Tzare petierit, primo anno non permittatur; sed tantùm post elapsum annum. Si verò secundo anno adhuc plures eum in judicio convenire voluerint, nec tunc permittatur nisi post illum elapsum: & sic procedatur cum venientibus tertio anno: ut, nimirùm, ad quartum remittantur. Etenim talibus vectigalium redemptoribus, quandocunquè à creditore aliquo conventi fuerint, semper annuum tempus est concedendum, ne conductioni impedimentum fiat. Nemo autem, cujuscunque conditionis ille fuerit, ad redimendum vectigalia, popinas, aliosquè redditus admittatur, præter cives, & ditiores paganos aulæ villas incolentes. Et si redemptores in conductione ultra triennium perseverabunt, procedatur cum volentibus eos quâcunque actione convenire ad formam superius constitutam.

24. Redemptores vectigalium, aut popinarum in civitatibus solvant pro sigillo, prout superius dictum est de Moschuensi, & ex civitatibus transmittatur summa ab eis soluta Moschuam in Cancellariam sigillorum.

25. Si quis eorum autem conductionis tempus ad biennium, vel triennium, vel quadriennium, vel quinquennium sine interpolatione extendere, aut de novo redimere cum additione voluerit, vel dum per annum redemit, per alterum tamen, vel etiam tertium in eodem redemptionis contractu tempus extraxerit, solvat pro sigillo pro quolibet anno ad ratam.

26. Aut si quis eorum ante tempus constitutum non renunciabit contractui suo, ita ut aliquis alius in sui locum subintrare queat, teneatur de novo in eo perseverare, additione insuper oneratus, & solvat tam pro antiquo contractu, quàm pro novo hoc onere septem dengas cum dimidia ex singulis rublis.

27. Si verò antè constitutum tempus renunciaverit, & in contractu ampliùs perseverare noluerit, liberatus autem non fuerit, nec ei juramentum delatum; sed invitus ad perseverandum in illo sine additione adactus, nihil pro sigillo solvere teneatur.

28. Pro sigillo literarum Tzaris, aut ad redemptores prædictos, aut ad alios quoscunque, qui eas supplices petierint, spectantium, & in civitates transmittendarum, solvatur in Cancellaria majoris aulæ.

29. Si quis salis officinas in civitatibus, aut molendina ad biennium, triennium, vel ultra conduxerit cum oblatione ea, ubi à tem-

pore

pore damnum paſſa ſunt, reſarciendi, ſolvat pro ſigillo unius tantùm anni ratam.

30. Redemptores vectigalium, ſeu portoriorum, aut pedagiorum, vel piſcationis, ſive alterius cujuſcunque redditûs minoris conſiderationis, puta quinque, vel ſex, vel decem rublorum, vel circa, ſi in literis conductionis dictum fuerit, quòd ipſi ſolvent in civitatibus ſummam conventam ſingulis annis, donec aliquis alius in eorum loco cum additione ſubintraverit, non declarato ſpecificè conductionis tempore, ſolvant Moſchuæ pro ſigillo tantummodò pro primo anno. Palatini verò, & Præſides civitatum unâ cum ſolutione ſummæ in contractu conductionis ab illis promiſſa ſingulis ſequentibus annis, quoadusque in conductione perſeveraverint, etiam ſolutionem pro ſigillo exigant, & omne exactum Moſchuam in Cancellaria ſigillorum tranſmittant.

31. Si quis Nobilis, aut filius Nobilis in quacunque Cancellaria contra aliquem judicialiter agens, petierit unâ cum reo convento, ſcribi ad aliquam civitatem pro oculari veritate, ſolvant actor, & reus, quilibet quartam rubli partem pro literarum ſigillo, ſed ſi altera tantùm pars hoc petierit, ipſa ſola eam ſolvat.

32. Si litigantes ſuper actione, vel eodem tempore ſuper pluribus conſentiant, ut examinetur aliquis in communem inter ipſos teſtem, vel libri inſpiciantur, ideoquè neceſſe ſit mittere ſuper hoc Tzareas literas, ſolvant pro ſigillo quotquot litigantium erunt pro qualibet actione ſinguli quartam rubli partem.

33. Sed ſi partes ad teſtes aliquos non provocaverint, ex officio verò Judicis inquiſitio aliqua ſuper lite fieri debeat, nihil pro literis ad hunc effectum mittendis ſolvere teneantur, ſed causâ decisâ, qui ſuccubuerit, ſolvat.

34. Si aliqui Tzari ſupplices preces porrexerint de juſtitia juxta aſſecurationes, & ſuper hoc dabuntur eis Tzaris literæ, ſolvant ſinguli, qui in libello ſupplices fuerint, pro ſigillo vigintiquinque altinos. Quòd ſi ſcripſerit, ſolvendum eſſe pro una tantùm aſſecuratione, exigatur ab eo quarta pars rubli pro ſupplici libello, & alia quarta pars pro aſſecuratione.

35. Pro literis ad exigendum debitum juxta tenorem teſtamenti, aut contractûs emptionis venditionis ratione ſupplicis libelli ſolvatur quarta pars rubli, & alia quarta pro confirmatione, quomodò de aſſecuratione conſtitutum eſt.

36. Si aliquis ſupplices preces Tzari porrexerit pro juſtitia adminiſtranda in cauſis non aſſecuratis, ſolvat pro ſigillo quartam rubli partem.

37. Sed ſi ſolus licèt libello ſubſcripſerit, nomine tamen plurium ſociorum illorum porrexerit, ſolvat 25. altinos.

38. Si aliquis Tzari ſupplices preces porrexerit ſui, & univerſorum concivium, aut deſtrictûs, ſive ſubditorum, & paganorum nomine, ſolvat rublum cum quadrante.

39. Si quis cum diverſis ob diverſas cauſas diverſas habens controverſias, unicum ſuper his omnibus à Tzare mandatum impetraverit, eò collimans, ut unicâ ſolutione pro ſigillo pro omnibus ſatisfaciat, non obtineat intentum, ſed exigatur ab eo pro qualibet cauſa in literis contenta rubli quadrans.

40. Si

40. Si aliquis Nobilis, aut Nobilis filius ſupplices Tzari preces porrexerit contra ſubditorum ſuorum fugitivorum fidejuſſores, qui in judicio ſponderint, quòd illi fugam capturi non eſſent, exigatur ab eo tantùm pro ſupplici libello taxa ſigilli, & nihil pro fidejuſſione.

41. Si Abbas, & Prior cum Monachis ſupplicem aliquem Tzari ſuper quacunque cauſa libellum porrexerint, eiſquè deſuper Tzareæ literæ datæ fuerint, ſolvant pro ſingulis 25. altinos pro ſigillo.

42. Si ſupplici libello eorum unicus tantùm, ſive fuerit Abbas, ſive Prior, ſive Vicarius, ſive monaſterij famulus, ſubſcripſerit, & cauſa in libello contenta ad monaſterium, & non ad ipſum ſolum ſubſcribentem pertinuerit, exigantur pro ſigillo 25. altini.

43. Si ad inſtantiam alicujus Nobilis, aut filij Nobilis datæ fuerint ad civitates Tzaris literæ ad aliquem citandum, citatus verò contumax nec fidejuſſores dederit, nec intra conſtitutum terminum Moſchuæ comparuerit, & de ejus inobedientia Palatinus ad Tzarem ſcripſerit, unde mittantur huic Tzareæ literæ cum mandato, ut exigat à contumace pro itinere, & victu, & litis protractione ad favorem actoris, ſolvat iſte pro his literis quadrantem rubli pro ſigillo.

44. Si poſt tranſmiſſas ab aliquo in aliquam civitatem citatorias Tzaris literas Palatinus propenſior in reum non adegerit eum ad fidejuſſores præſtandum, nihilquè Tzari de eo ſcripſerit, unde neceſſe ſit alias actori ſuper hoc literas concedere, ſolvat pro iſtis quadrantem rubli pro ſigillo, quem repetere deinceps à reo debebit.

45. Si Kaſanenſis Dominij, & quarumcunque inferiorum civitatum Tartari, & Ceremiſſi in aliqua cauſa ſupplices Tzari libellos porrexerint univerſim, Kneſij, nimirùm, & Murzæ, & electi milites Tartari ſimul, vel plures diverſorum cognominum libello ſubſcripſerint, & Tzareæ literæ ijs conceſſæ fuerint, ſolvant ſinguli ſtatus pro ſingulis literis 25. altinos pro ſigillo.

46. Si ex aliqua Cancellaria ad inſtantiam alicujus mittendus fuerit Priſtavus cum citatorijs Tzaris literis ſigillo munitis, exigatur ab eo pro ſigillo juxta Tzareum mandatum, nullæ autem citatoriæ literæ in quacunque cauſa ſine ſigillo dentur.

47. Si milites, vel cives, vel agricolæ ex Sibirienſibus civitatibus literas in Cancellariam ſigillorum attulerint, agentes quacunque de cauſa contra quemcunque eorundem partium Sibirienſium, nec non & diſtrictuum, & Permiæ, & Viatkæ, & Uſtiæ, aliarumquè civitatum incolam: ſive actio fuerit de locationibus juxta aſſecurationes, vel de percuſſione, & ſpolio, vel de ſimilibus, nihil pro ſigillo ſolvant, loca enim remota ſunt, & Sibirienſes rarò Moſchuam veniunt.

48. Nobiles, filij Nobilium, Tribuni militum Tartarorum, & Streliziorum, & quicunque in Sibiria, & inferioribus civitatibus inſervitijs Tzaris fuerint, quibus literæ paſsûs concedentur cum facultate juxta eorum ſupplicem libellum, ut pro uſu ſuo vinum aduſtum, mel, & lupulos ſecum ferant, vel publicanis Aſtracani, aliarumquè civitatum ad extruendas domos ligna vehant, nihil pro talium literarum ſigillo ſolvere teneantur.

49. Similiter pro literis, quæ in quibuſcunque juſtitiæ, aut aſſecurationum cauſis, & etiam in poſſeſſionum, aut patrimoniorum donationibus dabuntur Tribunis, & centurionibus Streliziorum Mo-

ſchuenſium, ipſisquè Moſchuenſibus Strelizijs juxta eorum ſupplices preces, nihil ab eis pro ſigillo accipiatur.

50. Pro literis, quæ Atamanis, & Aſautis Koſacorum in Moſchovia, alijſquè diſtrictibus tributariorum, recenter verò in libera poſſeſſione conſtitutorum, dabuntur, exigatur pro ſigillo juxta conſtitutionem; ſed pro literis, quæ eis pro eorum terris dabuntur, nihil.

51. Tribuni Streliciorum, & Coſacorum in diſtrictibus, ipſi Strelicij, & Coſaci, qui de quacunque judiciali actione, vel de inquiſitione terrarum Streliciorum, & Coſacorum ſupplices Tzari libellos porrexerint, ſi juxta hos Tzareæ ipſis literæ datæ fuerint, ſolvant pro ſigillo juxta ordinationem, quod facere teneatur quicunque alius, qui de quacunque judiciali actione ſupplices Tzari preces præſentaverit; ſed ſi hæ ipſorum militum ſint contra milites, & non contra extraneos, ſive de terris, nihil ſolvant, etenim homines militares ſunt, & fundi ad Tzarem pertinent.

52. Ex literis, quæ civitatum monaſterijs, & Eccleſijs, Abbatibus, Prioribus, & Protopopis cum Monachis de pecuniarum, & victualium quotâ: vel Strelicijs, Coſacis, alijſquè ſtipendiarijs pro annuali donatione dabuntur, ut eis Tzaris ſtipendium juxta mandatum erogetur, nihil pro ſigillo exigatur.

53. Ex Tzaris ad civitates literis, per quas conceditur Strelicijs, Coſacis, libratoribus, janitoribus, lapicidis, laterumquè coctoribus, ut juxta ſuas ſupplices preces poſſint ad aliquos rublos mercium emere non ſoluto vectigali, & potum pro uſu ſuo coquere, nihil ob eorum inopiam pro ſigillo exigatur.

54. Ex illis autem, quæ ex Cancellaria majoris aulæ, alijſquè dabuntur ſubditis villarum ad aulam Tzaream ſpectantium ex conſcriptis, & reviſorijs libris in diſtrictibus Tzari tributum ſolventibus, exigant Præſides locorum pro ſingulis, habito ad centenos ſubditos reſpectu, 25. altinos in ſupradicta Cancellaria numerandos. Sed pro datis ex alijs Cancellarijs in ſigillorum Cancellaria fiat ſolutio.

55. Pro literis paſsûs, quæ ex Cancellaria legatorum dabuntur advenis, Anglis, Hollandis, alijſquè ex alijs provincijs mercatoribus, & pro conceſſis advenis illis, qui contra Ruſſos mercimoniorum causâ Tzaris juſtitiam ſupplices imploraverint, & pro illis, per quas Anglis, & Hollandis aliquid à Tzare donatum fuerit, nihil pro ſigillo exigatur. In reliquis verò omnibus ſolvant advenæ pro ſigillo, quod Ruſſi ſolvunt.

56. Bojari, Ocolnicij, Conſiliarij pro quibuſcunque literis, etiam citatorijs per Priſtavum, quæ ad eorum ſupplices preces in quacunque cauſa in civitates mittentur, nihil ſolvant pro ſigillo.

57. Ex citatorijs literis, quæ ad inſtantiam inciſoris Tzareæ menſæ, & cubiculariorum in alias civitates mittentur, exigatur pro ſigillo juxta conſtitutionem.

58. Ex literis juſtificationis cuicunque datis, tàm ad patrimonia, quàm ad alia quæcunque negotia pertinentibus, & ex mancipiorum Cancellariâ contra mancipia, ſi ſeries facti in ijs verè ſcripta fuerit, exigatur pro ſigillo juxta conſtitutionem.

59. Pro literis in quacunque cauſa ad monaſterium ſpectante Abbati, vel Procuratori, alijsquè Monachis monaſterij Vivificæ Trinitatis Sancti Sergij conceſſis, nihil pro ſigillo exigatur.

60. Simi-

60. Similiter pro literis Abbati, Procuratori, & Monachis Monaſterij novi Salvatoris in cauſis ad illud ſpectantibus conceſſis nihil ob Tzareorum parentum reſpectum pro ſigillo exigatur.

61. Sed pro literis famulis, & ſubditis utriusquè ſupradicti monaſterij in eorum proprijs cauſis conceſſis exigatur juxta conſtitutionem.

62. Exceptis autem ſupradictis duobus monaſterijs cætera omnia, eorumquè famuli, & ſubditi pro literis in quacunque cauſa impetratis ſolvant pro ſigillo juxta conſtitutionem.

63. Advenæ ſtipendiarij non poſſeſſionati, ſive recenter, ſive ab antiquo advenerint, ſi literas Tzareas, aut Priſtavi cum citatorijs miſſionem ſupplices petierint, & impetraverint, cùm pauperes ſint, pro ſigillo nihil ſolvant. Sed ſi fuerint poſſeſſionati, ſolvant Ruſſorum ad inſtar.

64. Si in Cancellariam ſigillorum mittentur ex alijs Tzaris literæ ſcriptæ ſuper impetrantis negocijs juxta tenorem informationis à Palatino alicujus civitatis tranſmiſſæ, ſive ſupplicis ejus libelli ſub Palatini literis, exigatur ab eo pro ſigillo quicquid viſum fuerit. Exactio autem pro ſigillis fiat, quando impetrantes literas veniunt cum ijs in Cancellariam ſigillorum. Quòd ſi ipſe impetrans non venerit, non apponatur ſigillum, niſi prævia ſolutione.

65. Pro literis Tzaris ex Cancellaria judiciorum Nobilibus, & filijs Nobilium conceſſis, ut ex diſtrictuum deſcriptione ſcribantur juxta domorum deſcriptionem, vel è contrà, ſolvat quilibet impetrantium quadrantem rubli pro ſigillo.

66. Pro literis, per quas officium ſcribæ, vel viceſcribæ alicujus civitatis alicui conceditur, rublus exigatur pro ſigillo.

67. Vectores, qui à Tzare conducuntur ad vehendum ex civitate Moſchua, alijsquè ad Michaëlis Archangeli fanum, & ad civitates inferiores, & in Sibiriam cum ſuis curribus, & aurigis panem, ſolvant ſinguli pro literis dimidium rubli pro ſigillo.

68. Pro literis, quas in ſigillorum Cancellaria ex Sibirienſi adferent milites, quibus mandatum eſt, ut ſerviant inter Coſacos officiales, ſolvant ſinguli pro ſigillo quantum conſtitutum ſuperius eſt pro ſcribis, & viceſcribis civitatum, ſpontè enim pro negocijs ſuis, & non ex mandato venerunt.

69. Pro illis autem, quæ adferentur ex Cancellaria judiciorum ad favorem filiorum Nobilium pro augmentatione ſtipendij, ſive pro aſſignatione diſtrictûs, in quo ſervitia ſua præſtent, exigatur à ſingulis quadrans rubli pro ſigillo.

70. Ab aulæ diſpenſatoribus pro literis, quibus per Tzaris donationem conceditur eis pro annuo eorum ſtipendio uſusfructus villarum, & pagorum cum pertinentijs ad aulam Tzaream tam in Moſchu. quam in alijs diſtrictibus ſpectantium, exigantur pro ſigillo duo rubli cum dimidio, & talibus literis apponatur ſigillum majus in cerâ rubrâ.

71. Quòd idem fiat, & exigatur pro donationis literis, quæ civibus in civitatibus, & ſubditis in villis dabuntur pro cautela terrarum, & hominum.

CA-

CAPUT XIX.

De Civibus.

1. SUburbia quæcunque ſive ad Patriarcham, Metropolitas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Monaſteria: ſive ad Bojaros, Ocolnicios, Conſiliarios, alioſquè cujuſcunque conditionis homines pertinentia, in quibus habitant mercatores, & artifices mercaturam exercentes, & officinas ſuas habentes, nullumquè Tzari tributum ſolvunt, ſervitia nulla præſtant, auferantur ſine ulla mora cum omnibus hominibus à dominis, & cedant Tzari, præcluſa omni reſtitutionis ſpe. Quòd ſi inter eos aliquis fuerit, qui ſe obligatum ab antiquo aſſeruerit, re ſic ſe habente, domino ſuo reſtituatur, remaneatquè in ſua domo. Reliqui verò, qui, licèt obligati, parentes conſanguineos cives habuerint, ſive ex Tzareæ aulæ ſubditis, in tributariorum numerum referantur. In poſterum autem, excepto Tzare, nemo ſuburbia, ſive Moſchuæ, ſive alterius cujuſcunquè civitatis habeat. A Patriarcha verò omninò auferantur, exceptis ijs, qui ab antiquo in ſervitijs prædeceſſorum Patriarcharum eſſe conſueverunt, filijs, nempe, Nobilium, Cantoribus, ſcribis, viceſcribis, diſpenſatoribus, cuſtodibus, piſtoribus, cæteriſquè mercenarijs.

2. Quicunque autem ex ſuperiùs mentionatis mercatores, & opifices ex domibus, quas propè Moſchuam inhabitaverunt, aut alij cujuscunque conditionis homines ex quocunque loco evocabuntur ad tributa, teneantur in poſterum ſub Tzare vivere in eo, quicunque aſſignabitur, loco ſub tributo.

3. Poporum filij, Eccleſiæ cantores, janitores, & alij quicunque ſive ægri, ſive ſani, qui loca ad Eccleſias ſpectantia habitantes mercaturam exercent, & Tzaro non contribuunt, nec ſervitia, aut operas præſtant, adigantur omnes ad tributum ratione mercium in poſterum Tzari ſolvendum.

4. Stipendiarij cujuſcunque conditionis (exceptis Strelicijs) qui Moſchuæ officinas proprias, aut conductas habent, & mercimonijs vacant, retineant ſua, ut priùs officia, & ſtipendia Tzaris mereant; ſed ratione mercium ſolvant, quomodò cæteri tributarij, vectigal, non tamen eorum ad inſtar ſervitia præſtent, quis autem eorum inter tributarios adnumerari recuſaverit, vendat officinas ſuas Tzaris tributarijs.

5. Si in ſuburbijs Moſchuæ, quæ à Patriarcha, & cæteris Eccleſiaſticis, aut à Bojaris, alijſquè quibuſcunque vigore ſupraſcriptæ conſtitutionis auferentur, ruſtici fuerint, de quibus per probationes conſtiterit, quòd filij fuerint ſubditorum illius, à quo ſuburbium ablatum fuerit, ab eoquè in illud adducti, reſtituantur ei. Sed ſi Moſchuæ, vel officinas, vel cellaria habuerint, vendant ea Tzaris tributarijs, quibus ſolis, & nemini alij, liceat in poſterum officinas, & cellaria habere.

6. Ovium paſchua circa Moſchuam extendantur circumquaque ab exterioris valli foſſa per binas verſtas: menſurentur autem novâ per Tzareum mandatum factâ trium ulnarum menſurâ ad rationem millenarum pro ſingulis verſtis.

7. Quæ-

7. Quæcunque ſuburbia per inquiſitionem faciendam apparebunt extructa fuiſſe ſuper fundis Tzaris tributarijs, ſive liberis emptis, vel non emptis, ſine tamen Tzaris licentia, aut à Patriarcha, aut ab alijs Eccleſiaſticis, aut à Bojaris, aut ab alijs cujuſcunque conditionis hominibus, auferantur ab eis ſine ulla mora cum omnibus hominibus, & terris, & ſub tributo redigantur, præcluſâ omni reſtitutionis ſpe, & imputent ſibi, quòd in Tzareo ſolo ædificaverint, & fundos emerint tributari os.

8. Si Patriarcha, aut aliquis alius Eccleſiaſticus, vel Bojarus, aut aliquis alius cujuſcunque conditionis homo poſſeſſiones, & patrimonia legitimè poſſederit contigua alicujus civitatis ſuburbijs, ita ut domus horum ab illorum domibus non longè abſint, accipiantur pro Tzare, & adaptentur ſuburbijs in tributa, & ſervitia, domino autem eorum detur tantundem alibi ex Tzareis villis.

9. Similiter ſi Patriarcha, aut aliquis alius Eccleſiaſticus, aut Monaſterium, aut Bojarus, aut aliquis alius cujuſcunque conditionis villas, & pagos, patrimonia, & poſſeſſiones, vel junctas ſuburbijs, vel circa ea habuerit, accipiantur, & ſuburbijs in Tzarea tributa, & ſervitia adjungantur, & ruſtici eorundem pagorum, & villarum in ijs pariter ſub eadem conditione remaneant. Si verò in alicujus ex ſupradictis hominibus pagis, aut villis, aut patrimonijs, aut poſſeſſionibus procul à ſuburbijs ſitis mercatores habitaverint, qui olim civitatum incolæ fuerint, in ijſque ſuas officinas habeant, & merces, reducantur ad antiqua ſua in civitatibus loca, & fiant tributarij; ſed ſi ſubditi aliqui in illis fuerint, qui in civitatibus officinas habeant, & merces, etiamſi nunquam antea fuiſſent cives, & tributa ſolviſſent, jubet Tzar, ut tales adigantur ad præſtandum fidejuſſores, qui pro eis ſpondeant, quòd in poſterum omni mercaturâ abſtinebunt, nec popinas conducent, nec ſalis officinas. Si quas autem harum habuerint, hominibus vendant tributarijs.

10. Paſcua pro ovibus ſint in civitatibus, prout ab antiquo ſub anteceſſoribus Tzaribus fuerunt: ab eo autem, qui aliquid ex ijs ſibi uſurpavit, re probatâ, auferatur, & reſtituatur civitati.

11. Strelicij, Coſaci, & Dragoni, qui in civitatibus mercaturam exercent ſedentes in officinis, ſolvant ex mercibus vectigal, & pro officinis certam pecuniarum ſummam, à civium tributis, & tributorum ſervitijs cætera exempti.

12. Reliqui verò inferioris conditionis milites, qui mercaturæ vacant, & officinas in civitatibus habent, non ſolùm vectigalia pro mercibus ſolvant, ſed & Tzari cum alijs civibus tributum, ſervitiaquè præſtent. Si quis autem eorum tributarius fieri recuſaverit, vendat officinas ſuas hominibus Tzari tributarijs.

13. Cives illi, qui vel ipſi, vel eorum parentes præteritis annis Moſchuæ, vel in aliis civitatibus, aut ſuburbijs habitabant ſolventes Tzari tributum; modò verò locaverunt operas ſuas tributarijs in ſuburbijs, vel Patriarchæ, aut alicui alij ex Eccleſiaſticis, vel Bojaris, aut alijs cujuſcunque conditionis hominibus in aulis, vel patrimonijs, vel poſſeſſionibus, vel Eccleſiaſticis fundis, avocentur omnes ad antiqua ſua loca ſine ulla mora, & reſtitutionis ſpe. Cùm autem avocati fuerint, nemini in poſterum ſe locent, aut inſcribant, nec alicujus ſubditos, aut ſervos ſe nominent, ſi contra fecerint, cædantur knutis per forum, & deportentur in Lienum Sibiriæ. Conductores verò eorum

ſciant, ſe in maximam Tzaris indignationem incurſuros, interimquè auferantur ab eis terræ iſtæ, ubi illi ab ipſis conducti habitabant.

14. Si cui juxta Tzaris mandatum in ſuburbio Moſchuæ, vel alibi in aliqua civitate domus, vel hortus attributus fuerit, habeat in ijs famulos ſuos permanentes, vel ſi famulis careat, ſubditum unum ſuum in domum ad eam habitandam inducat. Quòd ſi poſt hanc Tzaream conſtitutionem in talibus ædibus ſuis multos ex ſubditis ſuis tenuerit, auferantur iſti omnes ab eo in tributarios Tzaris, etiamſi in libris ædium domino inſcripti fuerint.

15. Sed ſi in poſterum ad ædes domini ſui extra urbem ſitas plures ex ejus patrimonijs, & poſſeſſionibus ſubditi ob opus aliquod neceſſariò à domino per eorum miniſterium faciendum venerint, non auferantur ab eo, neque aditus ad civitatem eis ſit interdictus. Famuli, & ſubditi Bojarorum, vel alterius cujuſcunque, qui Moſchuæ, vel in alijs civitatibus tributarias domos, vel officinas, cellaria, & ſimilia empta, aut conducta poſſident, & mercaturæ vacant, vendant ea tributarijs hominibus, & civibus, omnibuſquè, præter Tzari cives, mercatores, & tributarios, mercaturam exercere ſit interdictum. Quòd ſi in poſterum aliquis ſupradictorum aliquem ex ſupradictis tributarijs locis emere auſus fuerit, auferatur ab eo ſine ulla refuſione pretij Tzareo fiſco applicandus, ſciatquè præterea, quòd in magnam Tzaris indignationem ſit incurſurus, ideoquè per forum meritò corrigendus.

16. Si aliquis mercator, vel civis, pro debita à ſe aliqua pecuniarum ſumma alicui ſervo, vel ſubdito, ei tributariam domum ſuam, vel officinam, vel cellarium ad conſtitutum tempus locatum inſcripſerit, intrà illud autem ædificium locatum non redemerit, teneatur ſervus ille, vel ſubditus, cui fuit inſcriptum, illud poſt elapſum locationis tempus tributario alicui vendere, interimquè domum illam non habitare, nec in officina, aut cellario mercaturam ullo modo exercere. Si contra fecerit, auferatur ab eo ædificium Tzareo fiſco applicandum ſine ulla pretij refuſione.

17. Subditi, qui Moſchuam, vel ad alias civitates ex diſtrictibus merces venales adduxerint, vendant eas liberè ſine ulla vectigalis ſolutione in foro mercatorum ex ipſis curribus, aut navibus, quibus eas adduxerint, in foro autem officinas non emant, nec conducant.

18. Si contra tributarios alicujus civitatis homines, qui ad aliquos confugientes accepti ab his pro locatis poſſeſſionibus in tributarios fuerint, illi, à quibus accepti, actionem de pecunijs creditis juxta eorum chirographa, vel alia documenta inſtituere voluerint, non audiantur, & obligationis inſtrumenta teneantur tradere Cancellariæ.

19. Si qui Moſchuenſium ſuburbiorum tributarij cives alias civitates jam incolunt, vel è contrà alicujus civitatis cives Moſchuæ habitant, perſeverent ubi ſunt, nec de loco in locum, aut de civitate in civitatem reducantur.

20. Cives verò omnes, qui in ſuburbijs civitatum ſub Patriarcha, alijſquè Eccleſiaſticis, & Bojaris, cæteriſquè cujuſcunque conditionis hominibus vivunt, cenſeantur ſinguli cum reliquis civibus civitatis ſuæ ſub tributo. Diſperſi verò in diſtrictuum villas, & pagos perquirantur, & ad ſuas ſinguli civitates remittantur.

21. Si

21. Si quis liber homo alicujus tributarij filiam virginem duxerit, non ideò tributarius fiat.

22. Si quis liber homo civis alicujus tributarij viduam duxerit, non ideò hæc libera erit, imò ſi ejus prior maritus in libro tanquam tributarius ſcriptus fuerit, fiat etiam ſecundus maritus tributarius, quia talem uxorem duxit.

23. Si quis liber homo civis alicujus filiam duxerit ſub pacto, ut in ædes ſuorum tranſeat, cum eis habitet, & vivat uſquè ad eorum mortem, de neceſſarijs ad vitam tranſigendam interim eis proſpiciens, intelligatur factus tributarius, & ſi ad aliquem tranſierit, reducatur, & inter cives cenſeatur.

24. Si aliquis artifex perſonaliter tributarius ex tributarijs parentibus ortus abſolutus fuerit à tributo pendendo, vivatquè Moſchuæ in aula, ſeu armamentario, vel in aliqua Cancellaria, & aliquis ex ſocijs, vel vicinis ejus ſupplex à Tzare petierit, ut denuò inter tributarios cenſeatur, conſulatur omninò ſuper hoc ſpecificè Tzar, ſine cujus mandato ille nullo modo tributarius renuncietur.

25. Qui ab antiquo tributum pendere ſoliti fuerunt, denuò cum liberis ſuis inter tributarios recenſeantur.

26. Qui verò Moſchuæ, vel in alijs civitatibus perſonaliter tributarij vivebant cum filijs ſuis, & cum ipſis non coacti, ſed ſponte ſuâ facti omnes Strelicij ſunt, reducantur patres, & duo filij cum eorum ſingulis ex Streliciorum ordine, & tributum pendere, ut antea, adigantur ſinguli in ſuis civitatibus; tertius vero filius, ſi exſtiterit, perſeveret Strelicius eſſe.

27. Si qui tributariorum filij relictis parentibus facti fuerint Strelicij, inquiratur de ſingulorum patribus, an plures filios habeant. Et ubi compertum fuerit de aliquo, quòd unicum tantùm, vel duos filios habeat, retrahantur iſti ab ordine Streliciorum denuò ad tributa. Sed ſi aliquis pater tres filios habuerit, tertius non retrahatur.

28. Cives Moſchuenſes, vel aliarum civitatum tributarij, qui facti fuerint libratores, vel diſpenſatores, vel aliquam aliam conditionem à tributo eximentem acceperint, perquirantur diligenter, & denuò tributarij fiant.

29. Sed illi, qui præteritis annis facti Coſaci ſerviunt cum iſtis ab antiquo poſſeſſionatis, & pecuniæ ſtipendia merent, victuquè menſali ſunt honorati, non retrahantur ad tributa; ſed perſeverent in ſuo ſervitio Coſacorum.

30. Verumtamen illi, qui recenter poſt Smolenſcenſe bellum facti ſunt Coſaci, & Smolenſcenſi oppugnationi non interfuerunt, retrahantur ad tributa.

31. Quod etiam fiat de illis, qui poſt inquiſitionem inventi fuerint pedeſtri militiæ nomen dediſſe.

32. Et de illis, qui vectores facti ſunt.

33. Illi verò, qui in captivitate fuerunt, vivant ubi libuerit, per eam enim liberati à tributo ſunt.

34. Civitatum mercatores, qui in Goſti, ſive mercatores majores, & panni venditores accepti fuerint ſub conditione, ut Moſchuæ habitent, ſi perſeveraverint in ſuis civitatibus antiquas ſuas habitare domos, ibiquè mercaturam exercere, non ſolventes cum alijs civibus pro domibus tributum, nec pro mercibus vectigal, adi-

gantur

gantur ad vendendas domos ſuas civibus, & Moſchuam tranſeundum. Quod ſi facere noluerint, ſolvant denuò cum alijs civitatis ſuæ civibus tributum.

35. Tributarij, qui ex civitatibus Moſchuam advenerunt, ibiquè domos, & officinas ædificarunt, remaneant tributarij, & in civitatibus ratione mercium vectigalia cum reliquis civibus ſolvant, & omnia ſervitia præſtent.

36. Qui verò ex ijs Moſchuæ proprias domos non habent, & merces à civitatibus allatas in ſuis, vel conductis officinis vendere ſolent, in poſterum eas ad hoſpitale forum afferant, ibiquè eas vendant. In publico verò nullas officinas conducant, & ſi quas proprias habent, tributarijs Moſchuenſibus vendant.

37. Si ab aliquo antiquus ejus, & obligatus ſervus, aut ſubditus, de quo per libros conſcriptos appareat, aufugerit, & vel Moſchuæ, vel in alia civitate uxorem duxerit civis filiam, reddatur cum uxore, & filijs ei, à quo aufugit, nec in ſuburbijs uxoris ergò retineri poſſit.

38. Si civis alicujus filia virgo fugiens alicui erga aliquem obligato homini in fuga nupſerit: vel ſi civis aliquis virginem, vel viduam aliquam ſeduxerit, eamquè alicui ſibi obligato elocaverit, pater verò fugitivæ, & ſeductæ quærelam ſuper hoc Tzari ſupplex expoſuerit, perquiratur, & inventa retrahatur cum marito, & filijs ad ſuburbium, ibiquè omnes tributarij vivant.

39. Cùm verò aliqui tributarij vendere ſoleant liberis hominibus tributarias domos ſuas per ſimulatæ locationis contractum, negligentes poſtmodum ex compacto cum emptoribus earum intra conſtitutum tempus redemptionem, ut omne in hos earum dominium transferatur, & à tributo in horum beneficium liberentur; Si in poſterum tributarius aliquis libero homini tributarias ædes ſuas vendiderit, aut locaverit, auferantur ab emptore, vel conductore ſinè ulla pretij ab eo numerati refuſione, & denuò tributo ſubijciantur. Libelli autem ſupplices pro recuperando pretio non recipiantur, & venditor knutis cædatur.

40. Si quis Ruthenus, cujuscunque conditionis ille fuerit, domum, vel aream ad domum ædificandum Moſchuæ in Arce Kitay, vel Bielgorod, vel extra in ſuburbijs habuerit, nulli Germanorum eam vendat, vel Germanorum viduis locet. Si qui verò Germani, vel eorum filij, vel uxores in Cancellariam terreſtrem attulerint inſtrumenta emptionis venditionis, aut locationis alicujus domus, aut areæ ſibi à Ruthenis factæ, ut in libris deſcribantur, reijciantur, & venditores ſciant, ſe propter hoc in magnam Tzaris indignationem incurſuros. Sepulchra autem in domibus Germanorum facta deſtruantur, nec ulla amplius in poſterum fiant, ſed extra civitatem procul ab Eccleſia DEI.

CA-

CAPUT XX.

De Servis.

1. Filij Nobilium, qui in ſtipendijs non benè conſtituti in diſtributione, & conſcriptione militum, alijsquè Tzaris ſervitijs non comparuerunt, quiquè nullam poſſeſſionem, nullum patrimonium poſſidentes præteritis ante hanc conſtitutionem annis rogarunt Bojaros, ut in domos ſuas pro famulis ab eis reciperentur, permaneant apud illos, prout antea.

2. In poſterum verò nullus ex filijs Nobilium ſive in ſtipendijs conſtitutus, ſine non, à Bojaris in ſervum recipiatur, & nemo in Cancellaria mancipiorum obligationem pro ſervitijs ab aliquo eorum inconſulto Tzare accipiat.

3. Si aliquis nobilis filius poſt hanc conſtitutionem ſupplex petierit à ſervitio, quo alicui obſtrictus ſit, liberari, ex mandato Tzaris, & Bojarorum conſilio liberetur, modò ſervitium cum civitatibus Tzari præſtet. Sed ſi hoc præſtare malitiosè renuerit, rogans potius apud Bojarum aliquem in ſervitio recipi, reſtituatur priori domino ſuo, ut ei ulteriùs ſerviat.

4. Si quis à domino ſuo aufugiens ad Bojarum aliquem, vel Ocolnicium, vel Conſiliarium, vel alium quemcunque confugerit, indequè prioris domini ſervos, vel ſubditos ſeduxerit, vaſtitatem per hoc in domos illius inferens, vel aliquid ab eo furatus fuerit, vel ejus ædificia incenderit, detur ei pro quocumque damno ſuo actio contra illum, apud quem fugitivus malefactor refugium habet. Si autem contigerit, quòd fugitivus aliquis per obligationis ſuæ documenta causâ cognitâ reddi debeat domino ſuo in ſervitutem, reddatur cum omnibus ſubſtantijs, uxore, & filijs ſuis in ratione comprehenſis, vel in ſervitute natis.

5. Sed non reddantur filij illi, qui nati ante ſervitutem patris alicui ſerviunt, vel ſibi vivunt.

6. Si aliquis in libris ſubditorum pro ſubdito alicujus deſcriptus à domino ſuo ipſe, vel ejus filius aufugerit, & alicui Bojaro per obligationis documentum ſe in ſervum dederit, reddatur domino ſuo. Mittantur verò ſingulis annis Tzaris literæ in omnes civitates ad Palatinos, per quas jubeantur, nullas dare pro alienis ſubditis, aut eorum filijs obligationes alicui ſerviendi.

7. Si aliquis alicui in ſervum ſe obtulerit liberum ſe hominem profitens, ab hoc, cui ſervitia ſua obtulerit, examinetur diligenter, cujus, & qualis ſit? ubi vixit? ſi militis alicujus, aut ſervi filius? ſi in Tzari ſervitijs, aut ejus tributarius? ſi alicujus domini ſubditus ſit? Si hæc omnia ille negaverit, ducat eum ad Cancellariam mancipiorum, ubi ſimiliter examinetur, & ſi idem reſponderit, dicta ejus regiſtrentur, & detur ad ſerviendum obligatio, cui nomen ſuum, quomodò & in libris, ſi literas pingere noverit, inſcribat.

8. Si quis poſt mortem domini ſui in ſervum ſe alicui alij obtulerit adferens præmortui domini ſui, vel ejus aulæ præfecti dimiſſoriales, adducatur ad Cancellariam mancipiorum, ubi examinatis cum eo dimiſſorialibus mandetur ei, ut obligationem novo domino ſerviendi

det, quam Cancellarius dimiſſorialibus conjunget, & manu ſuâ ſubſignatas omnes ſimul in Cancellaria conſervabit, deſcripto in libris hoc homine cum capillorum, & faciei coloribus, & lineamentis.

9. Si quis habens ſervum ſibi pro ſervitijs obligatum, eum filio ſuo obligare volens miſerit ad Cancellariam mancipiorum pro nova ejuſdem erga filium ſuum ſervitutis obligatione non datis dimiſſorialibus ſuis, obligatio petita non detur.

10. Si ſervus poſt domini ſui mortem libertatem conſecutus dimiſſoriales ſuas alicui attulerit ſervitium ei ſuum offerens, relictiſquè apud eum dimiſſorialibus ad alium iverit cum eadem ſervitij ſui oblatione, & obligationem ſuam ei dare voluerit, non permittatur; ſed adigatur dare eam erga illum, ad quem priùs cum dimiſſorialibus ſe contulit.

11. Si aliquis ſervus dimiſſum ſe à Domino ſuo dixerit, literas autem dimiſſoriales non oſtenderit, interrogetur, unde factum, quòd dimiſſorialibus careat? cui ſerviverit? & ſi dominus vixerit, cur eum ſine dimiſſorialibus dimiſit? ſi verò mortuus, an reliquerit poſt ſe uxorem, aut filios? ſi ei ab antiquo, an ex nova ſua obligatione ſervitia præſtitit? ſi ex obligatione, ubi illa ſit? & quare ipſi poſt mortem domini dimiſſoriales non datæ? Quòd ſi reſponderit, dominum, à quo ſe dimiſſum aſſerit, vivere, nemo poterit ab eo novam obligationem ſine domini dimiſſorialibus habere.

12. Sed ſi ejus dominus mortuus fuerit relictis filijs, qui ſupplices à Tzare petant, eum ſibi dari ad ſervitia vigore documentorum, per quæ appareat, illum ab antiquo ad ſerviendum obligatum, & in libris nulla inveniatur ejus erga dominum ſuum ſcripta recens obligatio, tradatur illis juxta petitionem, & ei, cui ille ſervitium ſuum obtulit, non detur.

13. Si aliquis per teſtamentum injunxerit filij ſuis, vel amicis, ut poſt mortem ſuam ſervos ſuos manumittant, hi autem hoc non præſtiterint volentes eos apud ſe diutiùs detinere, ſi illi ſupplicem de hoc libellum ad Cancellariam mancipiorum dederint, mittatur ex ea Priſtavus, qui citet defuncti teſtamentarios executores ad comparendum præſentes cum præſentibus ſervis, & veritate horum aſſertionis compertâ, mandetur illis, ut his ſine ulla mora manumiſſionis literas dent.

14. Si quis ex permiſſione Divina repentinâ morte obierit relictis poſt ſe ſervis obligatis, quibus uxor defuncti, ſive filij, ſive fratres dimiſſoriales literas dare recuſaverint, ſi ſervi contra eos reclamaverint, inquiratur ſuper facto, & comperto, quòd ſervierunt illi demortuo ex obligatione propria, & non ex derivata in ipſos ab antiquo, adigantur rei conventi ad libertatem eis concedendam, & ſi ipſi ſponte alicui ſervitia ſua obtulerint, detur eis obligatio, etiamſi dimiſſorialibus caruerint.

15. Si aliquis liber homo Moſchuæ, vel in civitatibus ſponte alicui ſervitium ſuum obtulerit, manſeritquè apud eum tanquam ejus ſervus per bimeſtre, vel circa, poſt quod tempus adductus ab eo in Cancellariam mancipiorum fuerit cum petitione, ut adſtringatur ad dandam obligationem ſervitij juxta oblationem ſuam, ſi hanc dare adductus noluerit, inquiratur quanto tempore poſt oblatum ſervitium ſuum apud actorem manſerit, & ſi infrà trimeſtre, renuncietur liber, nullaquè

què obligatio detur; ſed ſi ſupra, tunc adigatur etiam invitus domino ſuo ſervire, & obligatio deſuper detur.

16. Si aliquis liber homo alicui ſponte ſine obligatione tanquam famulus ſerviens inſcio, vel ſciente domino abierit, hic autem cupiens eum diutius in famulatu detinere eum accuſabit, quòd aliquid è domo abiens furto abſtulerit, nulla accuſatori ſuper hoc actio detur, cùm imputare ſibi debeat, quòd famulo crediderit, & eum apud ſe habuerit.

17. Si aliquis alicui non datâ de ſe obligatione inſervierit, & tempore famulatus ſui ſe in diverſis ſcripturis ſervum iſtius, apud quem famulatur, ſcripſerit, & deinceps, illi ulterius ſervire nolens abierit, alteriquè domino obligationem ſerviendi dederit; antequam verò hæc plenè perfecta fuerit, prior dominus illum convenerit, quaſi ſibi ex ſupradictis ſcriptis ſuis obligatum, non recipiatur ejus libellus, nemini enim permiſſum eſt habere ſervos ſine eorum obligatione, & ex eo, quòd ille ſervum ejus ſe ſcripſit, non inducitur ipſius ſervitus.

18. Obligationes autem pro ſervitio ſcribant podiacij fori usquè ad trinum rublum pro ſingulis, nec plus, nec minùs; Pro Tzare autem exigatur pro ſingulis rublis unus altinus.

19. Sed nulla ſervitij obligatio detur pro minoribus quindecim annis. Si quis autem falſificaverit obligationem, ventiletur cauſa in judicio.

20. Si aliquis acceperit ab aliquo ſervo obligationem in divitem plenum, & antiquum ſervum absquè inquiſitione, & dimiſſoriali, retradatur ſervus ei, cujus eſt obligatio antiquior.

21. Servus, qui à Domino ſuo ad alium aufugit ſervitium ſuum ei offerendo, unde natæ inter dominos contentiones, cædatur ſeverè knutis, ut reliqui à talibus abſterreantur.

22. Si quis ſuper aliquem abſentem obligationem ſerviendi clàm acceperit, inſpiciantur libri obligationum in Cancellaria mancipiorum, & facies prætenſi obligati, an cum ſignis in illis notatis conveniat; quod ſi non, non detur ullo modo actori; ſed ejus obligatio irrita ſit, actor verò propter obligationem clàm acceptam cædatur knutis. Mutanti verò nomen non credatur.

23. Si aliquis ſervus, vel ſubditus à domino ſuo aufugerit relicto patre, ſive matre ſua, & alteri novam ſervitij ſui obligationem dederit, repetatur autem à domino ſuo, ſtatuatur cum patre, aut matre præſens cum præſenti, & ſi compertum fuerit, quòd in ſervitute ab eis natus fuerit, reddatur domino, à quo aufugerat, & nova obligatio irritetur.

24. Sed ſi patrem, vel matrem, aliosquè conſanguineos ſuos abnegaverit, ipſi autem conſtanter teſtentur eum filium ſuum, aut conſanguineum eſſe, inficiari autem hoc, ut à ſervitute ſe ſubtrahat, torturæ ſubijciatur: ſi in prima tortura confeſſus non fuerit, iteretur: ſi hanc etiam negando toleraverit, reſtituatur ei, cui ſuam dedit ſerviendi obligationem.

25. Si ſervus, vel ſubditus relictâ uxore à Domino ſuo aufugerit, & in fuga aliam duxerit primâ abnegatâ: ſive aliqua ſerva, aut ſubdita ſimiliter de marito fecerit, procedatur cum ijs, prout ſupra in capite mancipiorum de hoc conſtitutum fuit.

26. Si

26. Si ab aliquo obligata aliqua virgo, vel vidua, vel ſubditi filia aufugerit, & nupſerit in civitatibus limitaneis alicui militi, ſolvat maritus pro obligata quinquaginta rublos, pro ſubditi filia decem.

27. Si quis contra ſervum aliquem manentem produxerit obligationem ejus erga ſe dicens, eam in aliqua civitate in libro ſcriptam eſſe, hocquè aſſeratur in ipsa obligatione, cui vel Palatinus, vel aliquis alius officialis ſubſcripſerit, inſpecto autem libro ſcripta in eo non inveniatur, qui eam produxit, non inculpetur, imò detur ei in ſervum nova obligatio; ille tamen, qui ſubſcripſit obligationi, corrigatur arbitrio Tzaris.

28. Cùm in vaſtatione Moſchuæ multa de antiquis ſervis antiqua documenta perierint, mandatum fuit præteritis annis 7121. & 7122. à Magno Domino, & totius Ruſſiæ Magno Duce Michaële Fedorowitz, ut domini, quibus illa perierant, hoc manifeſtare deberent. Si itaque in poſterum aliquis aliquem ſibi in ſervum aſſerere ex antiqua obligatione voluerit, documenta autem in judicio non oſtenderit, ſed remiſerit ſe ad ſuam, ut ſupra, manifeſtationem, perquiratur de ea, & inventa juxta illius tenorem juſtitia adminiſtretur. Si autem nullam manifeſtationem fecerit, ſed jus ſuum in ſervum prætenſum probare voluerit per inquiſitionem, fiat hæc diſtrictè, & ſi per eam intentionem ſuam probaverit, reddatur ei ſervus, ut in debito ab antiquo ſervitio in poſterum apud eum perſeveret.

29. Si apud aliquem Dominum ex obligatis ſervis vernæ nati fuerint, qui apud eum nullâ datâ de ſe obligatione vixerint, eam dominus ab ijs ſibi dari curet. Quòd ſi facere recuſaverint, detur contra invitos, eò quòd per multos annos apud illum ſine obligatione permanſerunt.

30. Si quis per aliquam obligationem alicui pro ſervo inſcriptus fuerit, trahat & uxorem, ſi fæmina fuerit, trahat & maritum. Vel ſi alicui antiqui ſervi teſtamento legati, vel in dotem dati fuerint, ſimiliter maritus uxorem, & uxor maritum trahat.

31. Si duo de dominio in ſervum in judicio contenderint oſtendentes uterquè plenariè ſcriptam ejus obligationem, tradatur illi, qui priorem tempore habuerit.

32. Et ſi aliquis factus fœdifragus ex Dominio Moſchovitico in aliud aufugerit, ideoquè ex mandato Tzaris, & Bojarorum conſilio ſervis ejus dabitur libertas, iſti verò ſervitia ſua alijs dominis poſtmodum obligaverint, eveniente caſu, quòd Tzar fœdifrago delicti pœnam condonet, unde in patriam revertatur, nullam tamen actionem habeat revocandi ad ſervitium ſervos, ut ſupra, libertate donatos.

33. Si alicujus ſervus ductus in captivitatem fuerit in extraneam provinciam, liberatus non ampliùs domino ſuo ipſe, nec uxor ejus, nec filij in ſervos tradantur. Quòd ſi illi denuò ſervire voluerit, adducatur ad Cancellariam mancipiorum, ibiquè interrogetur, an ſponte ſua antiquo domino ſervire velit? Si reſponderit affirmativè, ſcribatur in antiqua ejus obligatione, quòd ſpontè ſervitium ei ſuum denuò obligare voluerit, & exigatur ab unoquoque altinus.

34. Sed ſi ſervus in extraneum dominium aufugerit, indequè quoquomodo reverſus in Moſchoviam fugerit, reſtituatur domino ſuo, non enim in aliena provincia captivus, ſed fugitivus fuit.

35. Si

35. Si aliquis ſervus, vel ſerva à domino ſuo aufugerit, & alij denuò ſervitium ſuum obligaverit, &, dum apud ſecundum dominum vivit, in captivitatem abductus, ſive abducta fuerit, cùm reverſus, vel reverſa fuerit, reſtituatur priori domino ſuo, ut ſerviat ei juxta ſuam priorem obligationem; ſecundò autem domino nullo modo ulteriùs in ſervitutem detur.

36. Si aliquis cujuſcunque nationis captivus militis filius in Orthodoxa Chriſtiana fide baptizatus ad ſervitia Tzari præſtanda non idoneus, vel ab ijs liberatus, voluerit ſervitia ſua alicui obligare, qui eum recipit, accipiat ab eo obligationem, quam in libris deſcribi curet in Pricas Cancellariâ.

37. Si verò hoc facere neglexerit, & ſervus aufugerit aliquid auferens, ipſe verò ad ablatum recuperandum producat quidem illius obligationem, ſed in Pricas Cancellaria non inſcriptam, nulla ei actio contra fugitivum furem detur, eò quòd mandatum Tzaris de inſcribenda obligatione neglexerit.

38. Si quis aliquem in judicio de mutuata aliqua pecuniarum quantitate per obligationem, aut aſſecurationem convenerit, reus autem debitum faſſus fuerit, aut per proceſſum condemnatus, ſed non habeat, unde ſolvat, nequè fidejuſſores, qui pro eo ſpondeant, tradatur actori, apud eum in ſervitio remanſurus, quoadusquè ſolverit.

39. Pro ſervitio autem ſuo aſſignentur ei ſingulis annis quinque rubli excomputandi à debito ſuo: Fœminæ verò, & virgini maturæ duo cum dimidio, filijs autem ejus decennio majoribus duo; minoribus nihil, quia non laborant: Cùm verò per ſervitia ſua totum debitum ſolverit, reſtituatur in libertatem. Si verò actor mortuus fuerit debito nondum plenè extincto, ſerviat pro reliquo ejus filijs, qui pariter teneantur eum poſt integram ſolutionem libertati ſuæ reſtituere.

40. Si aliquis cujuscunque ſtatûs tempore famis, vel alio quocunque ſervos ſuos alere nolens, eos è domo ſuâ emiſerit, nullis datis dimiſſorialibus, nec obligationibus reſtitutis; ſed juſſerit eos, ut ſibi ipſi de victu interim proſpiciant, recepturus denuò eos cum libuerit, ideoquè nemo eos in ſervitium ſuum admittere audeat, ad talium ſervorum ſupplices preces mittant judices Cancellariæ mancipiorum pro eorum domino, & eum interrogent, an verè eos emiſerit? ſi affirmaverit addens, quod nullum in poſterum jus in eos ſibi reſervatum velit, jubeatur huic reſponſioni ſuæ manu ſuâ, vel per aliquem confidentem, ſi ſcribere neſciat, ſubſcribere. Si contumaciter hoc facere noluerit, adigatur, ut etiam coactus ſubſcribat. Hoc peracto detur ſervis illis libertas cum dimiſſorialibus ex Cancellaria, & ſervire deinceps, cui voluerint, eis liceat. Non interrogato tamen, ut ſuprà, eorum domino, libertas non detur.

41. Quòd ſi dominus interrogatus reſponderit, ſervorum aſſertionem mendacem eſſe, eoſquè à ſe nunquam è domo emiſſos fuiſſe, reddantur ei ſervi cum mandato, ut eos alat, ne fame pereant, & nihil eis ob eorum mendacium mali inferat.

42. Si aliquis tempore famis ipſe ſe cum uxore, vel filio, vel filia alicui ad laborandum pro victu tradiderit, ſuſceptori autem obligationem de mutuata pecunia pro victu ſubminiſtrato dederit, permanere

apud hunc debebit, quoadusque totum hoc debitum solverit, vel laborando extinxerit, computando mercedem laboris sui, & suorum juxta taxam superiùs scriptam.

43. Si plures apud aliquem vivant per inscriptionem, in qua nomen tantùm unius scriptum fuerit cum ejus promissione manendi apud dominum usque ad mortem suam, vel aliquod aliud determinatum tempus, & huic conditioni fuerit ab omnibus contraventum, accipiatur tantùm ille pro transgressione inscriptionis suæ, contra reliquos verò, uxorem scilicet, & filios, nulla actio detur; sed ille juxta datam assecurationem apud dominum usque ad tempus præfixum permanere teneatur, post ejus verò mortem uxor ejus, & filij eant, quò libuerit.

44. Si parentes liberos suos alicui ad tempus pro operibus suis ei præstandis dederint, scripto manu suâ subsignato promittentes, quòd illi non aufugient, nihilquè mali patrabunt, & hoc scriptum in Cancellaria mancipiorum registratum fuerit; vel si fidejussionem de hoc vicinus aliquis præstiterit, illi verò ante constitutum tempus aufugerint; sed dominus eos à fuga ad se retraxerit, & fidejussores pro transgressione inscriptionis, & ablatis à fugitivis in judicio convenerit, hi autem ab illis aliquid ablatum negaverint, probationes verò defecerint, deveniatur ad juramentum, & pro transgressione inscriptionis nihil à fidejussoribus exigatur. Injungatur autem retractis fugitivis, ut juxta inscriptionem suam apud dominum usque ad promissum tempus laborare perseverent; sed si tales inscriptiones in libris Cancellariæ scriptæ non fuerint, nulla domino actio detur.

45. Si quis aliquem vigore assecurationis in judicio convenerit, in qua scriptum fuerit, quòd illum ab executione pro aliquo debito redemerit, ideoquè promiserit, quòd vellet apud eum, & ejus filios vivere, uxorem ducere, & cum ea illi servire, tempus autem definitum non fuerit, tradatur ei totaliter in servum, quomodò ei sponte se dedit.

46. Si quis in posterum conveniet in judicio patrem, & filium, aut duos fratres, vel consanguineos pro servitijs in una eademquè obligatione sibi ab eis promissis, non audiatur, rei conventi declarentur liberi ab eo, constitutum enim à Tzare est, ut obligationes servitutis accipiantur à singulis, & non à pluribus simul.

47. Sed si quis ante hanc Tzaream constitutionem tales obligationes à pluribus accepit, adducat obligatos cum obligationibus Moschuæ ad mancipiorum Cancellariam, in civitatibus autem in curiam ad Præsides, ab ijsquè novas obligationes juxta hanc constitutionem sibi dari procuret, relictis antiquis in Cancellaria, vigore quarum libertas servis danda non erit.

48. Si aliquis aliquem de servis suis fugitivis in judicio convenerit, & hic negaverit, eos apud se esse, præstito desuper juramento, deinceps illi apud eum visi fuerint, ita ut actor eos captivet, corrigatur reus conventus ob falsum juramentum, prout superiùs in capite judiciorum scriptum est.

49. Sed si dixerit, quòd apud se quidem fuerint, sed postea aufugerint, & in aliquam civitatem se receperint, teneatur eos perquirere, ad quod præstandum tempus ei præfigatur, cùmquè eos invenerit, ducat ad Cancellariam mancipiorum, ex qua domino suo retradantur.

50. Sed

50. Sed si dixerit, nescire se, quò fugitivi se receperint, teneatur nihilominùs de eis perquirere, ideoquè assignetur ei primò tempus bimestre, & deinde quadrimestre: Quòd si intra hoc semestre fugitivos non invenerit, detur prorogatio ad aliud semestre, quod tamen fiat ergo illum, qui dixerit, fugitivos ad longinquas civitates se contulisse. Si verò intra trini hujus prorogati termini tempus fugitivos non præsentaverit, solvat juxta Tzaris mandatum actori pro singulis quinquaginta rublos. Quòd si postmodum fugitivos statuet, dentur actori, à quo solutos pro eis rublos ipse repetat.

51. Servus, qui alicui obligationem suam ei serviendi dederit, post ejus mortem non possit ulteriùs ab ejus filijs in servitute retineri, sed liber sit, & servitia sua, cui voluerit, in futurum obliget.

52. Si quis servum, vel servam suam vivens libertate donaverit, aut moriens testamento eum, vel eam, manumitti jusserit, præstent hoc ejus hæredes, nec in posterum filij, aut fratres, aut consanguinei ejus in eum, vel eam jus aliquod habeant.

53. Si quis apud aliquem servum captivum prehenderit, & ad mancipiorum Cancellariam adduxerit, factaquè contra eum inquisitione, illum, apud quem eum prehendit, in judicio convenerit, hic autem contra servum excipiat dicens, quòd ejus dicto fidem adhibere nolit, sed ipsemet respondere velit, concedatur, sed præsente servo. Quòd si dixerit, quòd servus pro se respondeat, faciat hoc servus, ejusquè dictis in utramque partem fides adhibeatur.

54. Si quis aliquem de servis fugitivis, rebusquè ab eis ablatis per libellum subscriptum, vel citationis literas compellaverit, per hebdomadam autem à citationis die ad prosequendam actionem non comparuerit, vel si citatus, datis fidejussoribus, per hebdomadam respondere distulerit, procedatur cum ijs, quomodò superiùs in capite de judicijs statutum est.

55. Si aliquis cujuscunque conditionis homo servum de servitute debitâ in judicio convenerit, ostendens hujus obligationem scriptam anno 7120. vel ante, vel subsignatam manu Cancellarij, & Cancelliste; etiamsi talium obligationum liber non exstiterit, nihilominùs fides ijs adhibeatur, & servus ei tradatur, tales enim obligationes scriptæ fuerunt antequam eligeretur in Tzarem, & totius Russiæ Magnum Ducem piæ memoriæ Michaël Theodori.

56. Si quis aliquem ex servis fugitivis in judicio convenerit nullâ factâ de ab eis furto ablatis mentione; sed in libello ad citandum scripserit, quòd post repertos servos de ablatis ab eis actionem instituet, nulla ei postmodum detur.

57. Incola alicujus civitatis, si in ea à Præfecto, vel Præside obligationem servitutis acceperit, irrita sit, etenim nemini Præfectorum licèt hoc facere.

58. Si quis aliquem de servitute sibi ex obligatione ab eo debita in judicium vocaverit, jubeatur servus fidejussores dare; quòd si nullos invenire possit sponsores, custodiatur apud Pristavum usquè ad causæ exitum.

59. Cui inter duos litigantes de servo, vel servâ hæc, vel ille per judicis sententiam adjudicabitur, restituatur servus cum uxore, si fuerit uxoratus, vel serva cum marito, si maritata fuerit.

60. Servi ab antiquo ad servitutem obligati, etiamsi divites, & medio-

mediocriter divites, & empti, aut captivi ex alijs Provincijs, assignari inter dotem poterunt uxoribus, filijs, nepotibus, & pronepotibus, & testamento legari, & eorum, quibus vel in dotem, vel per testamentum dati fuerint, servi esse debebunt. Sed servi per novam obligationem, & vitalitij nec dari in dotem, nec testamento legari poterunt. Quòd si aliquis hoc fecerit, detur ijs, etiamsi fœminis, libertas.

61. Si aliquis antiquum servum suum sorori suæ, aut filiæ in dotem dederit, hæc verò, vel illa, ex Divinâ permissione mortua fuerit, nullâ post se prole relictâ, reddatur servus ei, qui eum in dotem dederat, etiamsi apud novum dominum uxorem duxisset, vel, si fœmina est, nupsisset. Verumtamen juxta doctrinam Sanctorum Apostolorum, & Patrûm inter virum, & uxorem divortium non fiat, sed cujus vir erit, sit & uxor.

62. Si quis servos suos obligatos testamento mandaverit, ut uxori, & filijs suis serviant, illi autem hoc facere renuerint, sed cum alio domino datâ de se obligatione convenerint, huic dentur, & antiqui domini testamentum nullius sit, quoad eos, efficaciæ; etenim servi erga neminem obligantur ultra ejus mortem, postquam uxor ejus, & filij nullum in ijs jus habent, imò eos in libertatem emittere tenentur.

63. Si testator legando servum uxori, vel filijs suis dixerit, in testamento illum ab antiquo suum esse, vel per aliud, quàm per servitutis obligationem sibi obstrictum ad servitutem, hocquè sine contradictione tunc testes asseruerint, sed postea de illo inter aliquos lis orta fuerit, vel ipse à Domini sui uxore, aut liberis se in libertatem asserere voluerit, illi autem nulla habeant, præter testamentum, documenta, per quæ servi obligationem doceant, iste verò excipiat, se tantùm vigore obligationis servitutis domino suo fuisse obligatum; interrogetur, ubi, & quando dedit domino suo servitutis obligationem? Hoc si dixerit, inquiratur de ea in libris obligationum, & si reperiatur, & scripta sit in favorem solius testatoris, teneantur uxor ejus, & filij servo libertatem dare; sed si reperta non fuerit, tradatur legatario, ut ei juxta testamentis tenorem inserviat.

64. Servus post mortem domini sui in libertatem dimissus, si uxorem, vel filios domini sui in judicio convenire pro detentis bonis suis voluerit, non audiatur.

65. Servi Bojarorum, qui præteritis annis 7141. & 7142. interfuerunt cum Dominis suis Tzari militantibus Smolenscensi oppugnationi, & in Lithuaniam, vel Poloniam captivi abducti, deindequè postliminio reversi, receptis uxoribus libertatem consecuti sunt, si filios in servitute genuerunt, qui specialem servitutis obligationem de se dederint, maneant apud dominos suos, prout antea, sed servi illi, qui tempore prædicto, vel ex castris aufugerunt à dominis suis ad Cosacos, vel aliò, vel inservierunt alijs dominis, & captivi facti sunt, ac deinde liberati, restituantur dominis suis ad priorem servitutem juxta antiquas obligationes, & nunc, & in posterum fiat de talibus, quomodò superiùs dictum est.

66. Si servus, aut serva à domino aufugiens monasticum habitum susceperit, aut servus in fuga sua in præsbyterum, aut Diaconum ordinatus fuerit, dominus verò eum captivum fecerit, voluerit què

ritquè ab eo ablata exigere, & ad continuationem servitij eum adstringere, audiatur in Cancellaria mancipiorum. Si probaverit obligationem ejus ad servitutem, & furtum acceptis ab eo per executionem ablatis domino reddendis, remittatur ad Patriarcham, sive ad suum ordinarium, ut de eo juxta constitutionem Apostolorum, ac Sanctorum Patrûm disponat.

67. Sed si talis servus fugitivus ipse ex se habitum Monasticum induerit, ac pileolo sacerdotali caput operuerit, exuatur eo, & reddatur.

68. Lituani captivi, qui è domibus Bojarorum duxerunt uxores Russas horum ab antiquo servas: vel virgines Lituanæ captivæ, quæ nupserunt ab antiquo obligatis servis, si dixerint, quòd ire in Lituaniam, non autem apud dominos, è quorum domibus uxores, vel maritos habent, manere velint, dimittantur à quocunque eorum domino cum uxoribus, vel maritis Ruthenis in servitutem obligatis in libertatem, ut vivant omnes, ubi eis libuerit. Illi verò utriusque sexûs Lituani captivi, qui servitutis obligationem erga aliquem, antequam ad Bojaros venirent, habuerunt, si dixerint, se apud illum transire velle, reddantur illi. Sed si postea supplices preces ad libertatem obtinendam porrigere voluerint, non accipiantur, imò permaneant apud dominos suos. Quod autem ordinatum est superiùs, statutum sit, & in posterum pro talibus captivis Lituanis.

69. Advenæ non baptisati Moschuæ, & in alijs civitatibus habeant ad domesticos labores, & servitia advenas pariter cujuscunque fidei; Rutheni verò apud eos per obligationes, vel liberè, vel in servitute nullo modo sint. Etenim anno 7136. data notitia fuit Magno Domino Tzari, & totius Russiæ Magno Duci Michaëli Fedorowitz, ac ejus Tzareo patri piæ memoriæ Magno Domino Sanctissimo Philareto Nikitæ Moschoviæ, & totius Russiæ Patriarchæ, quòd Moschuæ, & in civitatibus Orthodoxi Christiani serviant alienis à fide, & non baptisatis advenis Germanis, apud quos in præjudicia, violationem fidei, & multas abominationes incurrunt; morientibus Patris spiritualis copia non fit, & viventes coguntur in quadragesima, alijsquè jejunijs carnes comedere. Ideoquè mandaverunt, omnes orthodoxos Christianos è domibus non baptisatorum advenarum esse evocandos, & quòd in posterum apud eos non sint, ne animæ Christianæ inquinentur, & sine patribus spiritualibus moriantur. Quare nunc propter hanc causam Christiani Russi advenis non baptisatis nullo modo serviant, aut in domibus eorum sint. Quòd si aliquis eorum huic constitutioni contra fecerit, corrigatur severè in aliorum exemplum.

70. Si Moschuæ, vel in civitatibus apud advenas non baptisatos fuerint advenæ pariter non baptisati empti, vel captivi in servitute, & supplices à Tzare petierint, ut liberati à dominis suis baptisentur in orthodoxa Christiana fide, fiat; sed solvant ipsi per se singuli quindecim rublos dominis suis pro sua redemptione. Quòd si apud advenas in emptionis literis appareat, quòd eos pluris emerint, non credatur; in similibus literis enim plus scribitur, quàm solutum fuerit.

71. In civitatibus Præfecti, alijquè præsides dent obligationes servitutis manu suâ subsignatas sine sigillo, unde talia munia nescientibus literas pingere non demandentur. Quod si in aliqua civitate Pa-

latinus, vel Præſes ſcribere non eſt doctus, neque adeſt ullus ſcriba, obligationes ſervitutis nulli det, ſed qui eas voluerit, eat ad civitates, ubi erunt Palatini ſcribere docti, vel ſcribæ, eaſquè ab illis ſibi dari curent.

72. Singulis annis mittant Palatini, & alij Officiales ex civitatibus Moſchuam obligationum libros manu ſuâ ſubſignatos, & non cum ſigillo. Obligationibus verò, quas mittent ſigillatas, & non ſubſcriptas, nulla fides adhibeatur; ſed ijs tantùm, quæ manu Præfecti, vel Præſidis, vel ſcribæ fuerint ſubſignatæ.

73. Si quis in Cancellaria mancipiorum inſtantiam fecerit, ut inſcribantur in libro literæ emptionis alicujus Tartari in ſervum, quibus hic non contradicat, fiat. Sed ſi contradixerit, fiat inquiſitio, & juxta eam ſcribantur, vel non. Quòd ſi compertum fuerit, literas falſas eſſe, vel in abſentia ſcriptas, non inſcribantur, ſed circa eas ordinetur, quod juſtum erit.

74. Si à litigantibus in judicio de ſervo aliquo productæ fuerint duæ de eo datæ Moſchuæ obligationes, & in libro ambæ, diverſo quamvis tempore, inſcriptæ. Servus verò, de quo diſceptatur, corporis habitum, & faciei lineamenta ſimilia ijs, quæ in altera harum obligationum deſcripta ſunt, diſſimilia autem illis, quæ in altera, habuerit, tradatur in ſervitutem illi domino, qui obligationem, in qua appoſitè ſimilitudo ejus deſcripta fuerit, produxit, etiamſi altera poſterior tempore fuerit.

75. In poſterum autem pro deciſione talium contentionum deſcribantur in ſervorum obligationibus eorum ſpecies oris, crines, & corporis habitudo, ut dominus ſervorum ſuorum phyſionomiam cognoſcat, & tollantur lites.

76. Si quis antiquos ſuos, ſive emptos ſervos alicui per teſtamentum teſtibus, & ſigillo authenticum, & legitimum legaverit, illi autem à legatarijs aufugerint, & alijs dominis obligationes ſervitutis dederint, annihilentur iſtæ, & reſtituantur illi legatarijs.

77. Si quis duxerit ſervum ad mancipiorum Cancellariam, ut inſcribatur in libro obligatio, quam ille dedit ſervitutis, alius verò ſupervenerit aſſerens, deberi ſibi hunc ſervum, quia prius ſibi ſervitium ſuum obtulerat, ideoquè munera acceperat, reijciatur, & inſcribatur obligatio pro eo, qui ſervum duxit ad Cancellariam, alter autem ſibi imputet, quòd munera dederit ſervo ante acceptam ab eo obligationem.

78. Si actor, vel reus conventus, dum de ſervo diſceptatur, nullam ejus obligationem produxerit, nihilquè aliunde probaverit, unde in cauſa ſuccubuerit; poſt ſententiam verò latam obligationem produxerit, non recipiatur, obſtat enim ei res judicata, prout in capite de judicijs dictum eſt.

79. Si quis delatus à ſerva ſua fuerit, quòd cum eâ carnaliter ſe miſcuerit, ſuſceperitquè ab ea prolem, remittantur ambo Moſchuam ad Patriarcham, alibi ad ordinarios ſuos, ut ab ijs judicentur juxta doctrinam Apoſtolorum, & Sanctorum Patrûm per interrogationem patrûm ſpiritualium utriuſquè.

80. Si alicui data fuerit ex judicio vera de aliquo ſervo litera, & deinde mortuus fuerit, teneantur uxor, & filij ejus hunc obligatum ſervum liberare, litera enim poſt mortem ejus, cui data fuit, perdidit

perdidit omnem efficaciam ſuam, uxorquè ejus, & filij nullum per eam jus in ſervo ſibi vendicare queunt.

81. Sed ſi vera litera data fuerit de antiquo, vel empto ſervo, hic etiam uxori ejus, & filijs erit obligatus.

82. Si quis apud parentum dominum in obligata ſervitute natus, factus adultus, relictis parentibus aufugerit, & obligationem ſervitutis alicui dederit, reſtituatur parentum domino, à quo aufugit, nihil enim juris in eo habet ille, cui poſtremò ſe obligavit.

83. Si aliquis antiquus, vel obligatus ſervus poſt ductam in domo domini ſui uxorem aufugerit eâ relictâ, & aliam ſuperinduxerit. Poſtea verò vel ipſe ſponte ad dominum ſuum, & primam uxorem ſuam redierit, vel dominus eum captivum fecerit, ſerviat ei cum prima uxore ſua juxta ſuam obligationem, vel antiqui ſervitij debitum; ſecunda verò uxor remaneat apud dominum, apud quem fugitivo nupſit. Quòd ſi durante ejus fugâ prima ejus uxor fatis conceſſerit, reddatur domino ſuo cum iſta ſecunda uxore. Et quod dictum eſt de maſculo, intelligatur ſtatutum & de fœmina ſerva, quæ relicto marito aufugerit.

84. Si alicujus ſervus mulierem liberam duxerit, hæcquè poſt mariti mortem à domino aufugerit, alijquè domino ſervitutis obligationem de ſe dederit, ad inſtantiam primi domini ei retradatur annihilatâ poſteriori obligatione. Quòd ſi apud ſecundum dominum alicui nupſiſſet, tradatur cum ea etiam maritus.

85. Si aliquis obligatum ſervum habuerit, qui uxoris ſuæ, vel filij obligatam ſervam viduam, vel virginem duxerit, poſt mortem domini tradatur in ſervitutem ſervus uxori ejus, vel filio, cujus erit ſerva, quam duxit, ſi verò mortua fuerit uxor, vel filius ſuperſtite marito, vel patre, ſerva tradatur huic in ſervitutem.

86. Servus antiquus, ſive obligatus, qui à domino aufugiens in fuga uxorem duxerit, ex eâquè filios ſuſceperit, & deinde alicui ſe obligaverit in ſervitutem ſpecificè cum his filijs ſuis fugæ tempore genitis, ſi à primo domino prænenſus, & juxta antiquæ, vel obligatæ ſervitutis probationes ei retradendus fuerit, tradantur cum eo etiam ejus uxor, & filij.

87. Si quis fugitivum ſervum non adhibito priſtavo prænenderit, ducat eum ad Cancellariam cum omnibus, quæ ſecum habuerit, & de eo agat contra illum, apud quem in fuga manſit; quòd ſi ex probationibus neceſſitas reſultabit retradendi ei fugitivum, retradatur cum uxore, & filijs, & omnibus bonis, quæ habuit, cùm ad ſecundum dominum venit, ſuper quibus ſi aliqua inter hunc, & primum dominum lis orta fuerit, à judicibus dirimatur, facto deſuper ſecundùm juſtitiam decreto.

88. Si ab aliquo domino ſervi antiqui, vel obligati, vel empti, vel extranei captivi aufugerint, dominus autem remunerationem promiſerit cuicunque, qui eos prænenderit, & aliquis ſub hac promiſſione eos à ſe prænenſos ad eum adduxerit, teneatur dominus huic ſolvere ſine ulla tergiverſatione quicquid promiſerat, & inſuper pro expenſis victûs prænenſorum duas dengas pro ſingulis in ſingulos dies.

89. Si verò aliquis fugitivos prænenſos domino non reddiderit; ſed eos in laboribus apud ſe detinuerit, & per judicialem proceſſum ad inſtantiam domini hoc verum eſſe compertum fuerit, auferantur

ferantur ab eo fugitivi, & domino retradantur, cui ipſe inſuper ſolvere teneatur pro ſingulis ſeptem copicos in ſingulas hebdomadas, quibus eos in laboribus detinuit.

90. Si quis adducens alicui aliquem ad ſerviendum fidejuſſerit pro eo, quòd probè, & rectè ſe geret, non furabitur, nec quicquam mali faciet, & de hac ſponſione ſua literas dederit, eveniat autem, ut ille mali aliquid patret, & aufugiat, unde dominus ejus agat contra fidejuſſorem pro illo, & rebus ab eo furto ablatis, & omnibus damnis datis, fidejuſſor verò contra ſponſionis ſuæ literas nihil exceperit, mandetur ei, ut fugitivum perquirat, aſſignato termino, intrà quem eum in judicio ſtatuet. Hoc elapſo detur ſecundus terminus, & poſt hunc tertius, ſicuti ſuperiùs conſtitutum eſt. Et ſi elapſus etiam iſte tertius terminus fuerit, & fidejuſſor fugitivum in judicio non ſtatuerit, ſolvat actori quinquaginta rublos, & ablata à fugitivo, damnaquè data juxta probationes, & ſententiam.

91. Domino, cui fugitivus ſervus de jure retraditus fuerit, ſeriò mandetur, ne eum occidat, aut fame interire faciat.

92. Si aliquis fugitivum ſervùm ſuum apud aliquem cum veſtimentis ſuis prænſum in Cancellariam adduxerit dicendo, quòd cum veſtibus multa alia furto abſtulerit, ſervus verò de veſtibus confeſſus, reliquum negaverit. Ille autem, apud quem confugerat, dixerit, quòd ſervus ſervitium ſuum ei obtulerit liberum hominem ſe profeſſus, & veſtes quidem habuerit, quas ipſe non curet; ſed nihil inſuper bonorum apud eum ſe vidiſſe, reddantur veſtes actori, & de reliquo fiat proceſſus, & ſecundùm acta, & probata ſententia feratur.

93. Si controverſia inter aliquos de ſe ſervo fugitivo fuerit, unde iſte datus fuerit Priſtavo cuſtodiendus uſque ad litis deciſionem, cùm per ſententiam domino ſuo reddetur, is, qui in cauſa ſuccuberit, ſolvat Priſtavo tres dengas pro compedibus, & quatuor pro victu ſervi in ſingulos dies.

94. Si litigantes de aliquo ſervo deciſionem litis concorditer detulerint dictis illorum, qui intra decem millia paſſuum circa ſuas poſſeſſiones habitant; cùm autem ad locum Commiſſarij ad inquirendum deſtinati pervenerint, 20. vel 30. homines ad teſtificandum comparuerint, & partes aſſeruerint, præter hos, intra ſpatium ſupradictum neminem habitare, accipiatur hæc inquiſitio pro univerſali, & his paucis hominibus fides adhibeatur.

95. Si inter litigantes de ſervis, & rebus ab eis ablatis neceſſe fuerit ad juramentum devenire, & ſive actor, ſive reus, qui illud præſtare debebit, per ſervum ſuum, quem in judicio nominabit, præſtari voluerit: Deinde dixerit, hunc aufugiſſe, vel mortuum eſſe, & loco ejus alterum pariter ſervum ſuum ad jurandum ſubſtituerit. Adverſa verò pars exceperit contra hunc ſervum, quòd ei non credat, ſed alij pariter ejus ſervo, quem nominabit, non audiatur, ſed juret ille, qui à debente juramentum præſtare ad jurandum adductus fuerit.

96. Illis, qui Tartaros emptos baptiſatos, & deinde ab eos in libro inſcribendos in Cancellariam adducunt, nulla detur de eis ſervitutis obligatio, ſed aſſerantur in libertatem; etenim per mandatum Tzaris nemini licet baptiſatos homines vendere.

97. Si

97. Si quis emptum Tartarum captivum ſibi donatum ad Cancellariam mancipiorum cum donationis literis adduxerit, ut ſibi inſcribatur, fiat, regiſtratis in libro donationis literis.

98. Si quis juxta emptionis, vel donationis literas Tartaros ad ſibi pro mancipijs inſcribendos in Cancellariam adductos dixerit, quòd empti apud Tanaim, vel in civitatibus fuerint, ſive etiam ipſemet eos captivos fecerit, inſcribantur in libro.

99. Si aliquis habens ſervos Tartaros recenter baptiſatos, quos, dum emit, uxori & filijs ſuis non inſcripſerit, ſed tantùm ſibi, mortuus fuerit inteſtatus, vel ſi teſtamentum condidit, eos nemini legaverit, uxorquè, & filij eos liberare noluerint, eò quòd mancipia empta ſint; iſti verò ſupplices à Tzare petierint in libertatem aſſeri, adducentes ſe uxori, & filijs demortui domini nullo modo eſſe obligatos, eò quòd neque in emptionis literis, nequè per teſtamentum dominus eos ipſis inſcripſerit, aut legaverit; nihilominùs remaneant apud uxorem, & filios defuncti, multi enim ſervos emunt ante nuptias ſuas, ſi quis autem tales ſervos emerit, eos pro ſe tantùm inſcribi curet, non enim convenit, ut empti ſervi pro uxore, & filijs inſcribantur.

100. Si quis de ſervo cum aliquo litem habens produxerit aliquod documentum, per quod appareat, quòd avus ſuus illum emerit nullâ factâ de filijs, aut nepotibus, aut pronepotibus mentione; reus verò conventus oſtenderit ſervi novam ex Cancellaria obligationem, remaneat ſervus apud hunc, & non tradatur actori, qui eum ex documento avito, in quo de ipſo nulla mentio, retrahere injuſtè prætendit.

101. Si quis ſervum præhenderit tanquam ſibi de ſervitute obligatum, eumquè apud Priſtavum cuſtodiendum reliquerit, nullâ deinceps contra eum actione intentatâ, ſolvat Priſtavo pro compedibus, & ſervi victu juxta ſuperiùs conſtitutum.

102. Si quis aliquem tanquam ſervum ſuum in judicio convenerit, & ad probandam intentionem ſuam antiquam obligationem ante vaſtationem Moſchoviticam ſcriptam, manuquè Cancellarij, vel alicujus in civitatibus officialis ſubſignatam oſtenderit, libri autem, in quibus inſcripta fuit, non extiterint, & podiacij, ac teſtes in ea ſubſcripti mortui fuerint, inquiratur, an aliqua ſimilis obligatio præſtò ſit? hâc inventâ, fiat inter eas comparatio, & ſi ambæ ab uno eodemquè officiali obſignatæ fuerint, & caracter ſimilis apparuerit, fides productæ ab actore obligationi habeatur.

103. Si aliquis liber homo ſervitia ſua alicui Protopopo, vel Protodiacono, vel alij Eccleſiæ Præpoſito, vel Monaſterij alicujus famulo obligare voluerit, detur eis obligatio ad conſtitutum tempus, in perpetuum autem nullo modo.

104. Quod fiat etiam erga ſervos alicui domino obligatos, ſi aliquis liber homo eis ſervitia ſua obligare voluerit. Si verò obligatis ſervis alicujus liberi hominis de ſervitute in perpetuum præteritis annis data fuerit obligatio, annihiletur, & irritetur, prout anno 7143. mandatum fuit.

105. Si quis moriens filij ſui ſervis libertatem legaverit, teneatur filius obedire, eiſquè literas dimiſſionis à ſervitio dare cum plenaria libertate.

106. Si præteritis annis uſque ad vigeſimamſextam Auguſti diem anni 7148. obligationes aliquæ, & obligationum libri ex civitatibus

Moſchuam miſſi fuerint, quibus nullus officialium ſubſcripſerit, ſed de quibus nulla querela Tzari porrecta, & nulla lis orta fuerit, fides ijs adhibeatur, ſubſignenturquè tàm hi, quàm illæ per Cancellarium.

107. Si inter duos de ſervo controverſia fuerit aſſerente altero, eſſe eum antiquum ſervum ſuum, altero autem excipiente, eum ſibi ſervum eſſe obligatum, uterque autem eum diverſo nomine, & cognomine vocaverit, & alteruter litigantium provocaverit ad teſtimonium multorum in univerſum, ſtatuatur ſervus coràm his teſtibus, & ſi dixerint, quòd eum ab antiquo noverint alicujus ex litigantibus ſervum antiquum fuiſſe, tradatur illi. Si autem, quòd eum à decem, vel viginti annis apud illum in ſervitio viderint, neſcire ſe tamen, an illius ſervus antiquus ſit, inſpiciatur tempus obligationis ab altera partium productæ; & ſi ante hoc ſervus à teſtibus viſus fuerit apud hujus adverſarium, tradatur ei tanquam ſervus antiquus, ſed ſi poſt, detur ei, cujus eſt obligatio, tanquam ſervus obligatus.

108. Sed ſi alterutra partium provocaverit ad communem famam, vel ad univerſale teſtimonium teſtium in longinquis regionibus, puta in Sibiria, vel Aſtracani habitantium, adverſarius autem exceperit, quòd ſolùm moram reſpiciens ad gentes tàm longè diſſitas deciſionem cauſæ remiſerit, non mittantur eò propter hoc Tzaris literæ, ſed dirimatur quæſtio ſecundùm juſtitiam, & mora omnis abſcindatur.

109. Si quis ante hanc Tzaream conſtitutionem ſervum ſuum fugitivum apud aliquem præhenſum in Cancellaria adduxit, ab eoquè per longum tempus ſervitium non exegit, ſervus vigore hujus novæ Tzareæ conſtitutionis reſtituatur ei, apud quem illum prior dominus prænderat, qui imputare ſibi debebit negligentiam ſuam in exigendo ab eo ſervitium. In poſterum autem nemo in ſervorum actione, niſi causâ cognitâ, condemnetur.

110. Si aliquis adduxerit in Cancellariam mancipiorum præhenſum à ſe ſervum, quem eſſe dixerit alicujus domini in ſervitijs Tzaris in longinquis regionibus, puta in Sibiria, aut Aſtracani, ſive alibi degentis, apud quem ſervitutis obligatio ſit, & ipſe abſente domino contra ſervum agere noluerit, reddatur ſervus ei, apud quem præhenſus fuit, uſquè ad domini ejus reditum, promittatquè is ſcripto manu ſuâ ſubſignato, quòd eum in judicio tempore debito ſtatuet. Si verò eum apud ſe habere noluerit, tradatur ejus adductori ſub fidejuſſione. Quòd ſi is fidejuſſores non habuerit, detur Priſtavo in cuſtodiam. Alere autem eum debebit ille, qui eum præhendit, vel alter, apud quem præhenſus fuit; quod ſi neuter eorum præſtiterit, alat eum Priſtavus, & deinde exigat expenſas pro victu, & mercedem pro compedibus ab eo, qui in cauſa ſuccubuerit.

111. Si aliquis poſſeſſionatus, ſive patrimoniatus à ſubdito ſuo, vel ejus filio, aut à ſubdita, vel ejus filiâ obligationem ſervitutis acceperit, obligatus autem, vel obligata ab eo aufugerit, & alicui alij ſimilem de ſe obligationem dederit, apud quem prior dominus illum, vel illam præhenderit, ſecundus verò exceperit contra illum, quòd obligationem à ſubdito ſuo inconceſsè acceperit, ideoquè in ſuo jure acquiſito per legitimam ſervi obligationem manuteneri petierit, reſtituatur quidem ſervus domino ſuo priori, non in ſervitutem, ſed in ſubjectionem. Ille verò ob tranſgreſſionem Tzarei mandati, quo prohibentur

hibentur domini ſubditos ſuos in ſervos ſibi obligare, corrigatur ad arbitrium Tzaris.

112. Si aliquis obligatus ſervus à domino ſuo aufugerit, & alij obligationem ſervitutis dederit. Deinceps hoc relicto ad priorem dominum ſuum reverſus fuerit, cui uſquè ad mortem ſerviverit. Poſt ejus verò mortem tranſmiſſo ſecundo domino tertium ſibi elegerit, cui datâ obligatione ſervitium ſuum promiſerit, valeat hæc obligatio, utpote data ab homine poſt domini ſui mortem libero, & ſervus hujus ſit. Obligatio verò, quam dedit ſecundo vivente verò domino ſuo irrita ſit.

113. Si ab aliquo domino ſervus aufugerit, ab altero autem ſerva, ambo obligati, vel antiqui, vel alter eorum tantùm obligatus, in fuga autem per matrimonium inter ſe initum jam conjuncti à dominis ſuis præhenſi fuerint, quorum alter ſervum, alter verò ſervam ſibi reddi inſtent, mittatur ſors, & is, cui faverit, habeat utrumque, refundat tamen alteri pro ſervo, vel ſerva decem rublos, ſed non ideò hos ſervos dicat emptos, imò tantummodò obligatos.

114. Si aliquis tributarius in Cancellariam mancipiorum obligationem filij ſui, vel fratris, vel agnati pro famulatu ad plures annos erga aliquem cujuscunquè ſtatus hominem non tributarium attulerit, inſcribatur uſque ad quinque annos, & non ultrà.

115. Præterito anno 7132. mandavit piæ memoriæ Magnus Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Michaël Fedorowitz, ut ſive Aſtracani, ſive in Sibiriâ nemo Tartaros, ſive eorum utriuſquè ſexus liberos emere, aut dono accipere, aut baptiſare, & in Ruſſiam adducere audeat. Nunc verò Magnus Dominus Tzar, & totiùs Ruſſiæ Magnus Dux Alexius Michaëlowitz conceſſit omnibus, exceptis Palatinis, & officialibus ſuis in Sibiria, & Regno Aſtracani, ut tales Tartaros ad libitum emere, ſicut antiquis temporibus, poſſint, & ſi aliquis Tartarus adducetur ad inſcriptionem in libro vigore emptionis, aut donationis, deſcribatur in libris cum omnibus faciei, & crinium notis, & lineamentis, & habitudine corporis, & detur ex eis extractus manu Cancellarij ſubſignatus ei, qui illum ad inſcribendum adduxit.

116. Si quis in Regno Aſtracanenſi, vel in Sibiria Tartaros, vel eorum filios furto ab aliquo abſtulerit, vel violentus rapuerit, verificato per inquiſitionem delicto, ſeverè corrigatur. Tartari verò, ſi non fuerint baptiſati, reddantur eis, à quibus ablati, vel erepti fuerint; ſed ſi eos baptiſaverint, retineant, ſolvendo illis, à quibus eos furto, vel vi eripuerunt, pretium eorum juxta communem majoris notæ æſtimationem.

117. Omnes verò cauſæ ad ſervos quomodocunque ſpectantes, quæ in quibuſcunque Cancellarijs quocunque modo per Tzareum mandatum, & Bojarorum conſilium ante hanc conſtitutionem finitæ fuerint, ratæ, & firmæ permaneant, nec in poſterum ullo modo reaſſumi, aut iterum in judicium deduci queant.

CA-

CAPUT XXI.

De Latrocinijs & Furtis.

1. LAtrocinia, homicidia, & furta, quæ in diſtrictu Moſchuenſi, alijſquè, in civitatibus, & ſuburbijs Moſchovitici Dominij commiſſa fuerint, deferantur ad latronum Cancellariam.

2. Quæ verò Moſchuæ, ad Cancellariam terreſtrem.

3. De his autem criminibus judicialiter cognoſcere in civitatibus ad ſolos Conſules, & advocatos pertinet, non verò ad Palatinos, ſed ubi illi deficiunt, ad iſtos.

4. Ideò in civitatibus ad conſulatûs munus adſciſcendi erunt Nobiles commendatæ probitatis, ob ſenectam, aut vulnera emeriti, vel militaria ſervitia per vicarios filios, aut agnatos Tzari præſtantes, & & qui literas calleant; nam carentes hâc qualitate nullo modo in Conſules eligi poterunt. In illis verò civitatibus, ubi nullius nobilis copia haberi poterit, aſſumantur ad Conſulatum nobilium filij, iſdem, ut ſupra, qualitatibus ornati. Eligendorum autem Conſulum facultas ſit in civitatibus apud Nobiles, filios Nobilium, cives, & alios principaliores cujuſcunquè conditionis homines in diſtrictu habitantes. Electionis verò diploma ab electoribus ſubſcriptum mittendum erit Moſchuam in Cancellariam latrociniorum, ad quem Conſules adducentur ad præſtandum juramentum juxta formam ibi deſcriptam. Poſt quod præſtitum remittentur ad exercitium muneris ſui cum inſtructione à Cancellarijs ſubſcripta, per quam doceantur, quomodo de latrocinijs, & furtis cognoſcere debeant. Conſulibus adjungendi erunt jurati homines, & ſcribæ, dandiquè cuſtodes carcerum, omnes à ſupradictis Conſulum electoribus eligendi, qui juramentum pariter præſtare debebunt, juxta formam ex Cancellaria latrociniorum in omnes civitates mittendam à Cancellario ſubſcriptam, coràm Conſulibus, ad quos à Palatinis erunt adducendi.

5. Diſtrictè Conſulibus injungatur, & ſeriò mandetur, ut attentâ vigilantiâ contra fures, & latrones inquirant, nec ullo modo permittant, eos in ſuis jurisdictionibus nidificare, aut per eas vagari.

6. Si Conſules & eorum jurati, & ſcribæ accuſati fuerint de conniventia cum latronibus, cauſa in Cancellaria latrociniorum cognoſcatur.

7. Sed ſi accuſatio fuerit de odio, aut amore Conſulis erga aliquem latrocinij, aut furti delatum, delegetur cauſa alterius Civitatis Conſuli.

8. Furi, vel latroni in curiam adducto, ſi adductorem, vel ejus famulos, aut ſubditos furti, vel latrocinij, vel cujuscunquè maleficij culpaverit, fides nulla adhibeatur, ut unuſquiſque à calumniarum metu ſecurus fures, & latrones inſectetur, & in curiam adducat.

9, Fur de furto convictus interrogetur per torturam de alijs in genere furtis, & homicidijs. Si nulla alia confeſſus fuerit, pro primi furti ſui pœnâ cædatur knutis, abſcindatur ejus auris ſiniſtra, & datis ejus bonis in perpetuum accuſatoribus in carceres ad biennium

nium trudatur, ex quibus nunquam exeat, niſi compeditus ad labores, quo Tzar juſſerit, ducendus. Expleto autem biennio deportetur in aliquam civitatem limitaneam ad Tzaris arbitrium, præſtaturus ibi ſervitia, quibus erit idoneus, datis tamen ei priùs literis Cancellarij manu ſubſignatis, per quas conſtet de exacta ab eo per biennalem carcerem furti pœnâ, & ſuâ dimiſſione.

10. Si poſtmodum ſecundum commiſerit furtum, denuò torqueatur, & ſi nulla alia confeſſus fuerit, nullumquè homicidium, cædatur knutis, abſcindatur ejus auris dextera, & quadriennali carcere maceretur, procedaturquè in reliquis omnibus cum eo, quomodò ſuperiùs de primo furto ejus ſtatutum eſt.

11. Crumenarum ſectores eâdem pœnâ puniantur, quæ ſuperiùs furibus pro primo furto eſt conſtituta.

12. Fur, qui de tertio, aut quarto furto, vel pluribus convictus fuerit, quæſtione adhibitâ ſuper adhuc pluribus, & ſuper homicidijs interrogetur, & licet nihil confeſſus fuerit, mortis pœnam luat, bonaquè ejus accuſatoribus in perpetuum tradantur.

13. Fur, ſi in primo furto perpetraverit homicidium, morte puniatur, ejuſquè bona Eccleſiæ tradantur.

14. Si quis aliquid ab Eccleſijs furatus fuerit, ſine ulla miſericordia moriatur, ejuſquè bona Eccleſiæ tradantur.

15. Cùmquè Moſchuæ, & in civitatibus ſint, qui chartis luſorijs, aut teſſeris ludant, & jacturam reſarcire volentes domos alienas furtivi evacuent, plateas civitatis inſideant, pertranſeuntes adoriantur, pileos ab eis vi auferant, eos ſpolient, & cultris interficiant, proclametur Moſchuæ, & in civitatibus à præconibus per multos dies, ut omnes & ſinguli, cujuſcunque conditionis fuerint, tales fures, ubicunquè apparuerint, præhendant, & ad Cancellariam adducant, indictâ loco mulctæ hoc (ſi præſtare poterunt) negligentibus dimidij rubli pro ſingulis non præhenſis malefactoribus ſolutione. De furibus verò ab ijs ad Cancellariam adductis fiat diſtricta inquiſitio, & comperto, quòd pictis chartis, & teſſeris ludere conſueverint, cæteraquè ſupradicta patraverint, puniantur juxta ſuperiùs conſtitutum de furibus.

16. Latro præhenſus quæſtioni ſubijciatur, ſi alia latrocinia confeſſus non fuerit, neminemquè unquam à ſe occiſum dixerit, abſcindatur ei auris dextera, boniſquè ejus accuſatori in perpetuum traditis conijciatur in carcerem ad triennium, à quo nunquam exeat niſi compeditus juſſu Tzaris ad laborandum, & triennio expleto fiat de eo in omnibus, quomodo ſuperiùs de furibus pro primo furto conſtitutum eſt.

17. Si verò denuò quis latrocinatus fuerit, torqueatur in genere ſuper alijs latrocinijs, & ſi in torturâ duo latrocinia à ſe commiſſa confeſſus fuerit, etiamſi nullum homicidium intervenit, pœnam mortis ſubeat, ejuſquè bona accuſatori in perpetuum dentur.

18. Si latronum aliquis in quæſtione aliquem ſocium latrocinij nominaverit eum culpando, quòd conjunctim ſemel latrocinatus cum ipſo fuerit, & in latrocinio homicidium commiſerint, ſive domos, aut fruges incenderint, rei hujus latrocinij, quamvis primi, moriantur.

19. Jubeantur per Tzareas literas civitates omnes proclamare per præcones in omnibus ſuburbijs, diſtrictibus, villis, pagis, & nun-

dinis, quòd ſi comparuerint homines abſciſſis auribus, & ſcriptam ſuam ex carceribus dimiſſionem non oſtenderint, eos prænendant, & in civitates ad Palatinos, aut Advocatos, vel Conſules adducant, qui eos examinent, & Tzarem conſulant, quid de ipſis fieri mandet, ijs interim uſque ad Tzaris mandatum in carceribus cuſtoditis.

20. Si quis autem tales homines celaverit, eoſquè ad Palatinos, aliosquè officiales non adduxerit, delatus & reus repertus ſolvat rublos decem, ut alij diſcant furibus, & latronibus receptum negare.

21. A latronibus, qui in tortura multa latrocinia, homicidia, & incendia morte punienda faſſi alios nominaverint horum criminum ſocios; ſed abſentes, differatur exactio pœnæ, donec rei præhenſi fuerint, ſi hoc intra ſemeſtre obtineri potuerit, ultra ſemeſtre enim nullo modo erit differenda, ne anſa eis detur innocuos in ſocios criminis vocandi, ut imminentem mortem à ſe repellant.

22. Bona furum, & latronum dentur accuſatoribus in ſolutum pro compenſatione damni accepti: ſi non ſuffecerint, exigatur reliquum ab ijs, à quibus judices poſt inquiſitionem exigendum eſſe judicaverint.

23. Si latro in tortura latrocinia à ſe cum ſocijs ſuis commiſſa confeſſus quicquid latrocinando abſtulerit ſpecificè narraverit, nihilquè ultra ſe abſtuliſſe dixerit, hoc tantùm, & nihil ſupra, ejus accuſatores ab eo poterunt exigere.

24. Si verò dixerit, oblitum ſe eſſe, quid ipſe, & ſocij abſtulerint, exigant ab eo accuſatores quartam partem quantitatis in libello accuſationis petitæ.

25. Sed ſi narraverit ſpecificè ablata, de reliquis autem, quæ accuſatores repetunt, non recordari ſe dixerit, quis quid acceperit, exigant ab eo integrè, quicquid ſe cum ſocijs abſtuliſſe ſpecificè confeſſus fuerit, & de reliquis partem quartam, ut ſupra.

26. Si poſtquam ſatisfactum fuerit accuſatori, aliquid ex latrotronis bonis ſupererit, cedat Tzareo fiſco.

27. Si verò latronis bona pro ſatisfactione accuſatoris non ſufecerint, nullum nihilominùs haberi poterit pro defectu ad alia aliorum latronum bona recurſum.

28. Si quis pro latrone præhenſus, & torturæ admotus nihil de latrocinio confeſſus fuerit, fiat de ejus vita, & moribus diſtricta inquiſitio, & ſi contra eum depoſuerint, quòd latro ſit, & facinoroſus, torturæ denuò ſubijciatur, & ſi neque tunc aliquid de ſe confeſſus fuerit, condemnetur ad knutos in carcere juxta gravitatem indiciorum ex proceſſu contra eum reſultantium.

29. Sed ſi teſtes dixerint, eum eſſe hominem probum, nulloquè ſcelere, quòd ſciant, contaminatum, poſt inquiſitionem, & torturam det fidejuſſores probos, & honeſtos, & vel eoſdem, qui pro eo teſtificati fuerint, qui ſpondeant, quòd nullum in poſterum furtum, aut latrocinium perpetrabit.

30. Si quis aliquem cum re furto ablatâ coràm judice adduxerit dicens illam ſuam, deinde verò per duas hebdomadas cauſam proſecutus non fuerit, cadat juxta Tzaris mandatum ab hac actione omninò. Sed ſi illam ad conſanguineum, vel amicum ſuum tunc abſentem ſpectare aſſeruerit, unde antequam huic ſignificetur, fieri non

non poterit, ut cauſa expediatur, aſſignetur adductori juxta Tzaream conſtitutionem certus terminus, intra quem principalem ſuum ad agendum ſtatuat. Hoc elapſo, ſi is non comparuerit, liberetur adductus cum re, quam furto ablatam adductor dixerat.

31. Si accuſator cum latrone, vel cum adducto cum re furto ablata non exſpectatâ judicis ſententiâ tranſegerit, & tranſactionis documentum in Cancellariam attulerit, non recipiatur, ſed proferatur ſententia contra reum juxta conſtitutiones, & ejus delictum, & accuſator mulctetur pecuniaria pœnâ juxta quantitatem furti, ut addiſcat non tranſigere cum latrone.

32. Si fur, aut latro torturæ ſubijciendus fuerit, fiat ſtatim nullo habito reſpectu dierum ad commemorationem alicujus Tzaris, ſive Sancti dicatorum, etenim malefactores illi Orthodoxos Chriſtianos feſtivis diebus occidunt, martirijs afficiunt, & concremant.

33. Si aliquis fur, aut latro, dum juxta diſpoſitionem ſuperiùs ſcriptæ conſtitutionis in carcere per ſemeſtre detinetur, aliquem ſocium malefactorum ſuorum nominaverit, de quo nihil à principio, nec in quæſtione dixerat, fides ei non habeatur, ne innocuis hominibus tales nequam nocere poſſint.

34. Fures, aut latrones, qui ultimo ſupplicio afficiendi erunt, ſint in carceribus in hypocauſto per ſex hebdomadas, ut conſcientiam ſuam examinare queant, hoc termino elapſo ducantur.

35. Si prævalente contra aliquem malâ famâ facta fuerit de ejus vita, & moribus inquiſitio, per quam reſultaverit, eum pro fure, vel latrone haberi, præhendatur, & quicquid habet in ædibus ſuis deſcribatur, mandeturquè vicinis, & cohabitantibus, ut illud omne ſub fidejuſſione cuſtodiant uſque ad finem cauſæ. Ille verò torturæ admoveatur, & ſi furta, & latrocinia à ſe commiſſa nominatis ſocijs criminis confeſſus fuerit, præhendantur & iſti, bonaquè eorum omnia in ædibus deſcripta cuſtodiantur, ut ſupra. Confrontatio deinde fiat, & ſi tortus aliquem ex ijs agnoverit, confirmaveritquè præſens contra præſentem, quòd priùs contra abſentem in quæſtione dixerat, iſte autem petierit, ut de vita ſua, & moribus inquiratur, tradatur Priſtavo ad cuſtodiam, & fiat de eo univerſalis inquiſitio. Si teſtes eum improbum hominem eſſe depoſuerint, torqueatur, & ſi furta, aut latrocinia à ſe, & ſocijs perpetrata confeſſus fuerit, procedatur contra eum, & ejus accuſatorem juxta ſuperiùs ſcriptam conſtitutionem, bonaquè eorum vendantur pro ſatisfactione illorum, qui per eorum furta, & latrocinia damnum paſſi eos accuſaverant.

36. Si verò teſtes in inquiſitione eum probum hominem eſſe dixerint, præſtet fidejuſſores, qui pro ipſo ſpondeant cum inſcriptione eorum, qui ad ejus favorem teſtificati fuerint, quòd in poſterum non latrocinabitur, nec furabitur, nec furibus, aut latronibus, aut rebus ab illis furto, vel vi ablatis receptum dabit, nec mala ulla perpetrabit, & ſi neceſſitas venerit, eum in judicio ſtatuent, & exigatur ab eo ſatisfactio pro damnis accuſatoris, reddanturquè ipſi bona ſua. Et ſi accuſatus fuerit de latrocinio, in inquiſitione autem teſtes hoc de eo reticuerint, torqueatur, & fiat de eo ſecundùm juſtitiæ exigentiam, & de teſtibus ſecundùm illud, quod ſuperiùs capite de judicijs conſtitutum fuit.

37. Si quis diffamatus, & ſub fidejuſſione vivens furtum commiſerit,

ſerit, præhendatur, & puniatur juxta condignum, fidejuſſores verò ſolvant omne damnum ab eo furto ſuo accuſatori illatum.

38. Si quis tortus aliquem ſocium latrocinij, aut furti à ſe commiſſi nominaverit, & captum in confrontatione agnoverit, & contra eum in ſuo dicto perſtiterit, hic autem, cùm vagabundus ſit, & nullibi habeat fixum domicilium, pro inquiſitione de vita, & moribus non inſtiterit dicens, ſe nemini notum, torqueatur, & ſi furatum ſe, aut latrocinatum fuiſſe ob paupertatem confeſſus fuerit, ultimo ſupplicio nihilominùs afficiatur, ſi negaverit, fidejuſſores ſtatuat, qui pro ipſo ſpondeant cum inſcriptione. Quòd ſi hos non habuerit, trudatur in carcerem ibi cuſtodiendus uſquequò eos invenerit.

39. Si tres, aut quatuor, vel plures furti, aut latrocinij alicujus correi quæſtioni adhibiti culpaverint homines bonæ famæ Nobiles, ſive mercatores in talibus facinoribus nunquam depræhenſos, neque ullâ notâ inuſtos: hi autem pro inquiſitione de vita, & moribus inſtiterint, concedatur. Si teſtes eos homines probos eſſe depoſuerint, jubeantur ſidejuſſores præſtare, qui pro ipſis ſpondeant, bona autem eis reddantur, nullâ ex ijs detractâ pro accuſatoris damnis ſatisfactione. Sed ſi teſtes eos malos dixerint, torqueantur, & ſi furta, aut latrocinia à ſe commiſſa faſſi fuerint, ultimo ſupplicio afficiantur, & bona eorum vendantur pro refectione damnorum accuſatoris. Diffamati autem homines in furto, aut latrocinio bis, & ter acriter torqueantur.

40. Sed ſi correi latrocinij, aut furti culpaverint aliquem pro ipſis intercedentem, torqueatur iſte nullâ ei conceſsâ inquiſitione, & procedatur cum eo ſecundùm juſtitiæ dictamina.

41. Veruntamen ſi præter correorum accuſationem acceſſerit etiam diffamatio ex dictis teſtium in inquiſitione de vita, & moribus deponentibus, quòd homo facinoroſus ſit, etiamſi in quæſtione confeſſio delicti ab ei extorqueri nequiverit, nihilominùs ultimo ſupplicio afficiatur, & bona ejus dentur accuſatori in ſatisfactionem damni.

42. Si aliquis à latrone in tortura de ſocietate criminis culpatus ad inquiſitionem de vita, & moribus provocaverit, in ea autem dimidia teſtium pars eum virum probum eſſe dixerit, reliqua malum, torqueatur, & ſi nihil confeſſus fuerit, præſtet fidejuſſores, qui pro ipſo ſpondeant cum inſcriptione eorundem teſtium, qui ad ejus favorem depoſuerunt, & ſolvat accuſatori damnum à latrone illi datum. Si verò pars teſtium aſſerentium eum eſſe malum hominem aliam numero, puta quindecim, vel viginti, ſuperaverit, prævaleat, & reus torqueatur acriter. Sed ſi nihil faſſus fuerit, trudatur in carcerem uſque ad Tzaris mandatum, & ejus bona dentur accuſatori pro damno furti, aut latrocinij. Si verò deinceps de latrocinio infamatus fuerit, ultimo ſupplicio afficiatur, & qui eum dixerant probum, corrigantur juxta conſtitutum in capite de judicijs.

43. Si aliquis à duobus, vel tribus latronibus de ſocietate criminum culpatus, ideoquè tortus nihil confeſſus fuerit, & ad inquiſitionem de vita, & moribus provocaverit, decernatur ei hæc, ſed ſi teſtes in examine dixerint, quòd eum non noverint, aut quòd noſcant, ſed an probus, vel improbus homo ſit, ignorent, conijciatur in carceres quoaduſquè Tzar mandaverit, quid de eo ſtatuendum ſit, & bona ejus vendantur pro ſatisfactione accuſatoris.

44. Si latro aliquis aliquem ſocium criminis nominaverit in confrontatione verò hoc non confirmaverit, illumquè inter alios multos non agnoverit, ſive agnitum excuſare conatus fuerit, torqueatur latro acriter ad eruendam ab eo veritatem, an non ex colluſione eum haud agnoſcere, aut excuſare voluerit? Et ſi dixerit, quòd falsò eum culpaverat, tradatur culpatus Priſtavo ab eo cuſtodiendus, usque quò facta fuerit de ejus vita, & moribus inquiſitio. Si teſtes in ea dixerint, eum malum hominem eſſe, torqueatur, & ſi correum ſe latrocinij confeſſus fuerit, ultimo ſupplicio afficiatur; ſi negaverit, trudatur in carcerem uſque ad Tzaris de eo decretum. Si verò latro dixerit, quòd hunc hominem excuſare ex colluſione voluerit, præhendantur hujus colluſionis internuncij, & cum latrone confrontentur, & diſtrictè deſuper inquiratur, & veritate compertâ, cædantur knutis, ſolvant accuſatori damnum à latrone illatum, ſed ſi per inquiſitionem colluſionis miniſtri non apparuerint, dimittantur, nullâ eis pœna interrogatâ.

45. Si latro, aut fur alicujus ſervum, aut famulum ſocium criminis nominaverit, hujus autem dominus culpatum penès ſe eſſe dixerit, ſed eum coràm judice non ſtatuerit, ſolvat ipſe accuſatori damnum à latrone, vel fure illatum, & fidejuſſores dare adigatur, qui ſpondeant, quòd intra terminum ei à judice præfixum culpatum præſentabit in judicio ad confrontationem cum culpante. Culpatus verò, cùm à domino ſuo præſentabitur, cum hoc confrontetur, & fabricato proceſſu ſententia de eo juxta conſtitutiones proferatur.

46. Sed ſi dominus ſervum apud ſe eſſe negaverit, & petierit de hoc inquiri, fiat: ſi teſtes examinati dixerint, culpatum apud eum fuiſſe, procedatur cum eo in omnibus, prout ſuperiùs dictum eſt. Si dixerint non fuiſſe, nihil teneatur ſolvere accuſatori.

47. Si latro aliquem Nobilem, aut Cancellariæ alicujus Præſidem, aut Nobilis filium, ejuſquè ſervos, aut famulos, aut ſubditos ſocios criminis nominaverit, præhendantur omnes, eorumquè domus, & bona omnia deſcripta ſigillentur. Omnes autem cum latrone confrontentur, & ſuper correitate diſtrictè inquiratur. Quòd ſi neceſſe fuerit ad torturam devenire, incipiatur à ſervis, vel famulis, vel ſubditis. Si iſti etiam dominum de latrocinio culpaverint, tunc ille etiam torturæ ſubijciatur, & procedatur in reliquis cum eo, quomodo de alijs latronibus conſtitutum fuit.

48. Si verò Nobilis aliquis, aut Cancellariæ Præſes, aut Nobilis filius, ſervos, aut famulos, aut ſubditos ſuos coràm judice adduxerit, eos fures, aut latrones, aut quomodocunquè malefactores dicens, & hoc latrones, aut fures captivi non dixerint, nihilominùs torturæ ſubijciantur, & factis ſuis condignâ pœnâ afficiantur.

49. Si quis de furto, aut latrocinio aliquo in ſpecie accuſaverit aliquem, contra quem nulla indicia exſtiterint, nemo contra furem, aut latronem captum dixerit, nulla mala fama clamaverit, remittatur cauſa ad Cancellariam judiciorum, in qua ſi judicatum fuerit deveniendum eſſe ad torturam, denuò ad latrociniorum Cancellariam reijciatur.

50. Si quis ad alicujus inſtantiam per Priſtavum, & ſatellites adductus coràm judice fuerit cum re furto ablatâ, & de conſcientia criminis ſe non purgaverit, aut excuſaverit, torqueatur, & puniatur condignè.

51. Si ab aliquo per furtum, vel latrocinium aliquid ablatum fuerit, manifeſtet hoc in Cancellarijs, & in civitatibus apud Palatinos, & Conſules rebus furto, vel per vim ablatis ſpecificè deſcriptis, & ſi deinceps ex his aliquid apud aliquem agnoverit, denunciet eum, ut præhendatur, qui, ſi purgare ſe neſciverit, torqueatur, & inquiratur de crimine ſuper eo omni meliori modo. Si verò manifeſtationem neglexerit, non torqueatur ab eo delatus, ſed procedatur inter eos judicialiter, & lis per juramentum decidatur, ut nemini injuria fiat.

52. Quicunque equum Moſchuæ, vel in civitatibus, vel in diſtrictibus emerit, curet eum in libris Cancellariæ vectigalium cum omnibus ſuis ſignis deſcribi. Si hoc non fecerit, auferatur ab eo equus in pœnam non ſoluti juxta Tzareum mandatum vectigalis. Sed ſi aliquis hunc equum apud emptorem tanquam ſuum, & ſibi furto ſublatum agnoverit, & alia plura cum equo pariter ablata ab eo in judicio exegerit, detur equus accuſatori, & de reliquis fiat proceſſus, & ſecundùm acta, & probata in eo ſententia proferatur.

53. Sed ſi miles aliquis in caſtris à milite equum emerit, quem tertius poſtmodum ſuum eſſe aſſeruerit, venditor autem equum à ſe venditum fuiſſe inficiatus fuerit, audiantur emptor, & venditor à judice, & juxta acta, & probata inter eos ſententia feratur. Ante judicium verò nullus miles de equis in caſtris emptis condemnetur, etenim ibi ſine deſcriptione in libris equi paſſim à militibus emuntur.

54. Si quis à ſolo accuſatore cum re furto ablatâ ſine Priſtavo coràm judice adductus fuerit, & exceperit, quòd talis res ſibi violenter impoſita fuerit, inquiratur de hoc perquàm diſtrictè in loco, ubi cum re furtivâ captus fuerit, & juxta teſtium dicta ſententia feratur. Quòd ſi nulli aderint teſtes examinandi, fiat judicialis proceſſus, & ſecundùm acta, & probata cauſa dirimatur.

55. Sed ſi teſtes dixerint juxta accuſati exceptionem, accuſator cædatur knutis coràm populo ſine miſericordiâ, & ſolvat accuſato biſzeſtiam in duplo, ut alij à talibus impoſturis in poſterum ſibi temperent.

56. Similiter ſi aliquis fraudulenter in alicujus domum aliquid clàm intulerit, vel inferri curaverit quaſi furtivum, & hunc furti accuſaverit, re compertâ, cædatur knutis coràm populo ſine miſericordiâ, & ſolvat impoſturam paſſo biſzeſtiam in duplo in aliorum exemplum.

57. Si quis Priſtavo, & ſatellibus violentus reſtiterit, ne rem furtivam apud ipſum repertam auferant, aut jam ablatam ab eis recuperaverit, examinentur ejus vicini, & ſi hoc teſtificati fuerint, torqueatur, & condignâ pœnâ deinceps puniatur.

58. Si aliquis per alicujus furis, vel latronis captivi dictum, vel per inquiſitionem de furto, aut latrocinio indicijs gravatus, ideoquè coram judice conſtitutus, ſpontè torturâ non adhibitâ delictum confeſſus fuerit, torqueatur ſuper alijs in genere furtis, & latrocinijs, & condignâ pœnâ puniatur.

59. Si, dum latrones alicui vim inferunt, vicini audientes ejus clamores in ejus auxilium non prodierint, vel ſi poſt factum à ſpoliato ad latrones perſequendum vocati exire renuerint, delati, & per inquiſitionem veritate compertâ, ſolvant ſpoliato damnum à latronibus illatum, & cædantur knutis ſinè miſericordiâ.

60. Si quis à latronibus ſpoliatus, vel à furibus furtum paſſus eos inſecutus fuerit uſquè ad aliquam villam, aut pagum, ubi apud incolas inſtiterit, ut illi præhenderentur, hi verò hoc præſtare recuſaverint, fiat deſuper inquiſitio, & veritate compertâ incolæ prædicti torqueantur, & pœnâ condignâ puniantur.

61. Si apud aliquem in civitatibus, ſuburbijs, diſtrictibus, villis, & pagis latro aliquis, aut fur perquiſitus fuerit, ille verò hunc apud ſe eſſe negaverit, & poſtmodum apud eum inventus fuerit, corrigatur, prout ſtatutum fuit ſuperiùs in capite de judicijs contra eos, qui veritatem fallacijs ſuis velant.

62. Si Moſchuæ in plateis inter aliquos tributarios, ſive in civitatum ſuburbijs, ſivé in diſtrictuum villis, & pagis latro aliquis, aut fur ab exteris hominibus, & non à loci incolis, præhenſus fuerit, torqueatur ad hoc, ut dicat, cuinam in loco capturæ ſuæ notus ſit? ſi reſponderit, quòd incolæ omnes illius loci eum noverunt, exigatur ab eis mulcta pro Tzareo fiſco juxta conſtitutionem, & inſuper damnum ab eo accuſatori datum, ut inde diſcant alij latrones, & fures non occultare, & receptum illis non dare. Sed ſi dixerit, quòd nonnullis tantùm notus ſit, ab his ſolis, & non ab omnibus incolis mulcta, & damni recompenſatio exigatur.

63. Si latrones torti aliquem culpaverint de receptu ſibi in hoſpitijs, vel tranſitu dato, vel de præſtitâ protectione, capiatur iſte, bonaquè ejus deſcripta ſub ſigillo cuſtodiantur. Deinde factâ cum latrone confrontatione examinetur, & reus inventus, puniatur latronis ad inſtar.

64. Sed ſi dixerint, quòd apud eum mobilia per latrocinium, vel furtum ablata, & pro talibus ei indicata depoſitaverint, vel illa ei vendiderint, fiat hujus cum illis confrontatio, & ſi de emptione faſſus fuerit, torqueatur ſuper alijs in genere furtivis rebus emptis, aut apud ſe cuſtoditis, & ſi de aliquâ aliâ confeſſus fuerit, ſolvat recompenſationem damnorum omnium juxta ſuam ante, & poſt quæſtionem confeſſionem, & fidejuſſores ſtatuat, qui pro eo ſpondeant cum inſcriptione; ſi verò fidejuſſoribus caruerit, in carceribus cuſtodiatur donec eos invenerit; ſed ſi negaverit furtivæ rei depoſitum, & emptionem, nihilominùs torqueatur, & indè ſtatuatur de eo juxta condignum.

65. Si quis ab aliquo rem furtivam emerit tanquam venditoris propriam non acceptis de hoc ſponſoribus, ſolvat ejus pretij refuſionem; ſed ſi eam acceptis ſponſoribus emerit, nihil ſolvat.

66. Si captus aliquis fur, aut latro alicujus ſervum culpaverit, & res eò devenerit, ut refuſio damni per furtum, & latrocinium dati ſit exigenda, ſolvat eam ejus dominus.

67. Si diffamatus de furto, & latrocinio, dum cauſa agitur, mortuus fuerit, poſt ejus obitum verò deciſa fuerit cum neceſſitate exigendi ab eo refuſionem damni, exigatur hæc ab eo, cui is ſerviebat.

68. Sed ſi ſerviverit huic quidem, at extra domum, non exigatur damni refuſio à domino, ſed à ſervo, cujus bona poſt ejus mortem vendi debebunt.

69. Si

69. Si aliquis in civitatibus, aut ſuburbijs, aut in diſtrictuum villis, & pagis homicidium commiſerit, aut alicujus domini ſervus alterius domini ſervum occiderit, interrogetur per quæſtionem homicida, an ex deliberata voluntate, vel ex ebrietate crimen commiſerit? ſi reſponderit, quòd in rixâ caſuali ex ebrietate, cædatur knutis, & fidejuſſores det, qui pro eo ſpondeant, quòd in poſterum ſimilia non committet. Hoc facto tradatur unâ cum uxore, & filijs domino ſervi occiſi, ut ei ſerviat; uxor verò, & filij ab hujus domino accipi non poterunt. Imò ſi actionem de debito aliquo occiſi erga ſe inſtituere voluerit, ejus libellus non ſuſcipiatur.

70. Sed ſi occiſorem ſervum loco ſervi ſui occiſi accipere renuerit dicens, eum furem eſſe, ſolvat ei illius dominus quinquaginta rublos.

71. Si Nobilis alicujus filius, vel ejus conſanguineus, vel famulus ſubditum alicujus occiderit, & in quæſtione dixerit, quòd eum non ex præmeditato, neque ex ebrietate, ſed in rixâ interfecerit, accipiatur ab hoc Nobilis filio ejus melior ſubditus cum uxore, & filijs cum ipſo adhuc indiviſim habitantibus, & detur domini occiſi, à quo tamen hujus uxor non accipiatur. Occiſor autem omnia debita occiſi, de quibus per authenticas obligationes conſtiterit, ſolvat, reliqua verò non, & trudatur in carceres, donec Tzar aliquid de eo ſtatuerit, nullatenus tamen morte afficiatur.

72. Si quis aliquem animo deliberato occidiſſe convictus fuerit, morte afficiatur.

73. Si alicujus ſubditus ſubditum alterius domini occiderit, & tortus dixerit, hoc à ſe ex ebrietate, & non ex animo deliberato factum, cædatur knutis, & fidejuſſores det, qui pro ipſo ſpondeant, quòd in poſterum talia ampliùs non committet; deinde tradatur cum uxore, & filijs, & bonis domino occiſi, à quo hujus vidua non erit accipienda. Quòd ſi dominus dixerit, illum eſſe furem, ideoquè pro ſubdito habere noluerit, petieritquè loco ejus aliquem alium, quem ſpecificè nominaverit, ejuſdem domini ſubditum, tradatur ei cum uxore, & filijs, & bonis omnibus, ac frugibus tàm collectis, quàm ſatis. Occiſor verò, poſtquam knutis cæſus fuerit, reddatur domino ſuo.

74. Si quis ſpoliatus à latronibus fugâ elapſis aliquid ab eis ſibi ereptum apud aliquem agnoverit, & dato contra eum libello damna ſua plura expoſuerit: accuſatus verò in quæſtione dixerit, illud ab aliquo ſe emiſſe, vel per commutationem habuiſſe, aliquis autem pro hoc culpato abſente ſpoponderit, quòd eum intra terminum aſſignatum ad confrontationem cum captivo in judicio ſtatuet, & non præſtiterit, ſolvat accuſatori omnia damna ab eo in libello expoſita, & inſuper det fidejuſſores, qui ſpondeant, quòd culpatum ad confrontationem præſentabit. Si ſponſores non habuerit, loco culpati, ſi ſervus fuerit, accipiatur melior ſervus, ſi ſubditus, melior ſubditus, & cum captivo confrontetur, juxtaquè hujus dicta torqueatur, ut dicat, ubi culpatus latitet, & ſi illius fuga dolo careat.

75. Sed ſi culpatus præſens fuerit, & in confrontatione cum culpante factum negaverit, res autem à ſpoliato pro ſua agnita in libro inſcripta non fuerit, neque literas emptorias habuerit, neque pro eo emptor à venditore ſponſores acceperit, torqueatur culpans, & ſi in dicto perſtiterit, torqueatur & venditor, & ſi venditionem rei à ſe factam

faſſus

faſſus fuerit, torqueatur denuò, ut dicat, unde illam habuerit, & juxta inquiſitionis ſeriem decernatur. Si verò venditionem negaverit, nihilominus ſolvat partem refuſionis accuſatori, & fidejuſſores pro ſe ſtatuat. Damna verò exigantur ab eo, apud quem res furtiva agnita fuit.

76. Si in facta de alicujus vita, & moribus inquiſitione vicini ejus dixerint, eum eſſe de furto, aut latrocinio, aut homicidio ſuſpectum, vel quòd cum latronibus converſetur, eis faveat, receptumquè præſtet, eorumquè furta conſervet, iſte autem contra teſtes exceperit, quòd ex invidia hoc depoſuerint, petieritquè à Tzare ſupplex, ut alteram fieri univerſalem inquiſitionem jubeat, ſuperſedendum erit à quæſtione, & denuò mittendum ad inquirendum de eo. Si in hac ſecunda inquiſitione numeroſi teſtes eum probum virum eſſe aſſeruerint, nihilquè contra eum mali dixerint, & numero ſuo numerum aliorum in prima inquiſitione examinatorum ſuperaverint, ita ut quindecim, vel viginti, vel plures ſupra illos numerati fuerint, terminetur cauſa juxta inquiſitionem. Illi verò, qui falsò eum malum dixerant, ſolvant Tzari pœnam, & corrigantur, ſicuti ſupra in capite de judicijs conſtitutum eſt.

77. Si quis pro latrocinio, aut furto captus culpaverit aliquem de favore, & protectione ſibi ab eo præſtita, & de conſervatis, & venditis rebus per latrocinium, aut per furtum ablatis; iſte autem habitans in poſſeſſionibus, aut patrimonijs Patriarchæ, aut Metropolitarum, aut Archiepiſcoporum, aut Epiſcoporum, aut Monaſteriorum, aut Bojarorum, aut Ocolniciorum, aut aliorum cujuſcunque conditionis hominum, & reſciens, ſe ab illo fuiſſe culpatum, inde fugâ ſe ſubtraxerit ad alium confugiens, qui eum receptaverit, & penès ſe foverit, vel ex ditione ſuâ aliò dimiſerit, vel à Priſtavis eripuerit, fiat ſuper hoc diſtricta inquiſitio examinatis vicinis, & admiſſis manifeſtationibus, & ſi conſtiterit, quòd culpatus, antequam culparetur, aufugerit, nihil ille, apud quem manebat, ſolvat, ſed ſi conſtiterit de ejus poſt culpationem fuga, ſolvat refuſionem damnorum, & det fidejuſſores, qui ſpondeant, quòd culpatum inveniet, & in judicio ſtatuet.

78. Qui verò culpatum aliquem, ut ſupra, apud ſe foverit, vel liberum è ditione ſua emiſerit, ſolvat damnum paſſo refuſionem, & Tzari quinquaginta rublos pro mulcta, detquè fidejuſſores, qui ſpondeant, quòd culpatum coràm Judice præſentabit.

79. Si aliquis poſſeſſionatus ſervum aliquem, aut ſubditum ſuum, quem latronem, aut furem eſſe ſciverit, occiderit, ut ejus furta, & latrocinia judicem celet, re probatâ, auferatur ab eo poſſeſſio, & diſtribuatur, & ſolvat accuſatori damna. Quòd ſi hoc fecerit non poſſeſſionatus homo, cædatur knutis per forum, & accuſatori damna pariter ſolvat.

80. Sed ſi hoc perpetraverit aliquis alius, aut ſubditus, ultimo ſupplicio irremiſſibiliter afficiatur.

81. Si aliquis culpatos aliquos de latrocinio, aut furto vi à lictoribus eripuerit, cædatur knutis, & ſolvat Tzari mulctam quinquaginta rublorum pro ſingulis, accuſatori verò damna, & fidejuſſores det, qui ſpondeant, quòd ereptos à lictoribus malefactores coram judice ſtatuet.

82. Si quis ab aliquo diſtrictu, ubi furatus, aut latrocinatus fuerit, in alium ſe contulerit animo ibi domicilium figendi, inter-

 rogetur

rogetur à Conſule, unde veniat? ubi habitaverit? & cur domicilium mutare velit? ſi appoſitè reſponderit, & nulla de ſe alicujus furti, aut latrocinij indicia fecerit, nulluſquè exſtiterit contra eum accuſator, permittatur ei habitare, ubi magis libuerit; ſed nunquam niſi prævio hoc examine. Quòd ſi quis aliquem talem in civitatibus, vel ſuburbijs inconſulto conſule apud ſe receptaverit, comparuerit autem deinceps aliquis, qui hunc de furto, aut latrocinio accuſaverit, enarrando res omnes furto ſibi, vel per latrocinium à malefactore ablatas, ſolvat ejus receptator accuſatori dimidiam partem pretij rerum harum pro pœnâ receptati hominis conſule inconſulto.

83. Priſtavi, qui ad cupiendos fures, & latrones mittentur, faciant hoc ſine fraude nemini parcendo, captos nullo modo muneribus acceptis dimittant. Si in aliquo horum contravenerint, ſolvant accuſatori damna, cædantur knutis, & in carcerem ad knutos trudantur.

84. Si aliquis ex juratis apud Conſules captivum furem, aut latronem dimiſerit, vel bona ab hoc furto ablata, vel violenter erepta furatus fuerit, & aufugerit, ejus bona dentur accuſatori pro dimidiâ parte refuſionis damnorum. Quòd ſi tanti pretij non fuerint, quod deerit, ſolvant illi, qui eum in juratum elegerunt, & inſuper dent fidejuſſores, qui ſpondeant, quòd eum coràm judice ſtatuent. Cùm verò is præſentabitur, cædatur knutis, & privetur officio.

85. Si ad inſtantiam accuſatoris, vel accuſati in cauſa furti, vel latrocinij deveniendum erit ad univerſalem inquiſitionem, procedatur juxta præſcriptum ſuperiùs in capite de judicijs modum.

86. Priſtavus, qui fures in cuſtodia habuerit, eos ſine licentia acceptis fidejuſſoribus non dimittat. Quòd ſi hoc inconſulto Bojaro, vel Cancellario fecerit, ſolvat accuſatori damnum in duplo, cædatur knutis, & trudatur in carceres ad knutos per tempus Tzari arbitrarium.

87. Si quis reſciens rem ſibi furto ablatam in aliqua domo eſſe, eam inde recuperare in animo habuerit, advocet ſecum ex Cancellaria Priſtavum, qui pluribus viris probis, & fide dignis ſecum acceptis ad illam domum ſe conferat, & (invenerit in ea aliquem, vel non) ijs præſentibus rem perquirat, inventam accipiat, & in Cancellariam ferat, in qua de re furtivâ inquiratur, & ſecundùm juſtitiæ exigentiam decernatur. Sinè teſtibus autem Priſtavus res furtivas non accipiat. Si verò aliquis permittere noluerit ei, ut eas perquirat, ideoquè conclavia, & officinas aperire recuſaverit, vel ſi res furtivas, aut ipſum furem à Priſtavo, ſocijsquè teſtibus eripuerit, re probatâ, ſolvat integrè omnia accuſatoris damna juxta inquiſitionem.

88. Si quis furem cum re furtivâ in ædibus ſuis occiderit, hocquè ſtatim vicinis manifeſtaverit, ducant occiſum in Cancellariam ad inſcriptionem. Si perſequentes furem per campos, & ſylvas defendentem ſe prænendere non potuerint, unde eum vel occiderint, vel vulneraverint, adducatur nihilominùs ſive occiſus, ſive vulneratus cum re furtivâ in Cancellariam cum ejus perſecutoribus. Quòd ſi quis captum furem in Cancellariam non adduxerit, ſed domi torſerit, ſolvat biſzeſtiam furi, & percuſſionis pœnam. De furto verò cognoſcatur judicialiter in Cancellaria, in qua fur torquendus non erit. Si res furtiva in domo alicujus inventa fuerit, dequè ea uxor ejus,

ejus, & filij ſcientiam habuerint, teneantur refundere accuſatori damna ſecundùm conſtitutionem. Si verò ſolvendo non fuerint, tradantur accuſatori, ut ei ſerviant, quoaduſquè debitum exſtinxerint, aſſignatis fœminis duobus rublis cum dimidio pro ſingulis in ſingulos annos pro ſervitio.

89. Si quis fruges in agro demeſſas, vel in prato ſectum fœnum furto abſtulerit, vel ipſemet fruges meſſuerit, easquè aſportaverit, & cum ijs prænenſus in Cancellariam abductus fuerit, re probatâ, cædatur knutis, & quicquid abſtulerat, reſtituatur accuſatori. Si verò fur ſe defenderit, ita ut à volentibus eum capere occidatur, vel vulneretur, fiat de hoc citò manifeſtatio apud plures homines, & ille, vel ejus cadaver in Cancellariam portetur, ibiquè inſcribatur, ut occiſores ejus ab homicidij pœna immunes eant. Si verò fur frugum, aut fœni dominum in conatu eum capiendi occiderit, vel vulneraverit, re compertâ, ultimo ſupplicio afficiatur, & ex bonis ejus fiat damni dati reſtitutio.

90. Si quis in ſtagno alicujus furtivè piſcatus fuerit, vel piſces in vivarijs conſervatos furto ſubripuerit, prima vice virgis cædatur, ſecunda knutis, tertiâ verò, ſi furtum decem copicorum æſtimationem non exceſſerit, auris ei abſcindatur.

91. Si apud aliquem incendij tempore, vel alio aliquid perierit, quòd poſtea apud aliquem repererit, & agnoverit, agat contra hunc tanquam de re furtiva. Quòd ſi iſte exceperit, quòd illud ex incendio aſſumpſerit, vel ex aquâ extraxerit bonâ fide, & in Cancellariâ manifeſtaverit, & inſcribi in libro curaverit, ſi hoc ſic ſe habere repertum fuerit, reſtituat rem ſuam ejus domino, acceptâ tamen ab eo dimidij ejus pretij ſolutione.

92. Si quis in carceribus pro debitis detineatur, ibiquè ea ab illo exigantur, & quamvis creditor ad executionem non compareat, ille jam per quinquennium, & ultra ibi ſederit, dimittatur, ſi fidejuſſores præſtiterit, qui ſpondeant, quòd ad omnem creditoris requiſitionem eum denuò conſtituere velint; ſine autem creditoris inſtantiâ debita ab eo non exigantur.

93. Si quis captus aliquos criminis ſocios nominaverit in prima, & ſecunda, & tertia quæſtione, afficiatur ultimo ſupplicio, & ſi, dum ducetur, quos culpaverit, excuſare, aut purgare conatus fuerit, fides ei ampliùs non præſtetur.

94. Carceres Moſchuæ ædificentur expenſis Tzaris ex Cancellaria latrociniorum.

95. Jurati, & cuſtodes carcerum Moſchuæ ſint tributarij homines cum mercede, pro qua ſingulis annis ex centurijs ſuis accipiant pecuniam colligendam à centurionibus, qui illam inter eos diſtribuent, acceptâ ab unoquoque de receptis quitantiâ manu ſuâ ſubſignatâ.

96. Carnifices verò ſint Moſchuæ liberi homines, officiumquè exerceant ſub fidejuſſione, ſtipendium autem eis ſolvatur à Cancellaria latrociniorum ex Tzari ærario.

97. In civitatibus carceres ædificentur, & jurati, ſcribæ, cuſtodes carcerum, & carnifices eligantur ex ſuburbijs, & diſtrictibus, ex ruſticis villarum, & pagorum ad Tzaream aulam ſpectantium, & ex alijs quibuſcunque ad Patriarcham, Metropolitas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Monaſteria, poſſeſſionatos, & patrimoniatos pertinentibus, & tales

les jurati, & cuſtodes ſimiliter ſtipendium habeant colligendum in curia ab ijſdem civibus, & ruſticis juxta pactum; ſuperfluì autem nihil exigatur, ne ruſtici graventur. Collectio verò fiat à collectoribus per quitantias ab eis ſubſcriptas.

98. Veruntamen ab illo poſſeſſionato, ſive patrimoniato, qui infrà viginti ſubditos in ſua poſſeſſione, vel patrimonio habuerit, non accipiantur jurati, nec cuſtodes, nec ſcribæ; ſed ex majoribus poſſeſſionibus, & patrimonijs.

99. Si accuſator in Cancellariam latrociniorum libellum contra latronem accuſatum attulerit dicens, eum in quæſtione confeſſum fuiſſe, ſe homicidij reum: longo autem poſt tempore elapſo idem accuſator obligationem occiſi à latrone erga ſe de pecunijs creditis protulerit, agens pro ſolutione, in obligatione verò nullus fidejuſſor, imò nec ipſe principalis ſubſcriptus ſuâ manu fuerit, ſed alius ejus loco, ipſaquè obligatio biennio, vel triennio, vel ſupra, ante occiſi mortem ſcripta fuerit, repellatur ab agendo, ſerò namquè nimis obligationem protulit, cùm nemo adſit, cui fides habenda ſit.

100. Si captus aliquis ante quæſtionem ſocium criminis aliquem nominaverit, in tortura verò prima, ſecunda, & tertia hunc exculpaverit, fides ei adhibeatur.

101. Si in aliqua civitatum latro fractis, aut ſectis carceribus aufugerit, etiamſi jurati, & cuſtodes in tortura affirmaverint, nullâ ſuâ colluſione illum aufugiſſe, nihilominus, ſi accuſator petierit eos condemnari ad refuſionem damni ſui exigendam ab eorum electoribus, teneantur jurati, & cuſtodes illam ſolvere. Quòd ſi ab ijs aliqua de cauſa exigi non poterit, exigatur à Conſulibus, & diſtrictuum hominibus, qui eos elegerunt, imò à Conſulibus exigat eam accuſator in duplo, illis enim incumbit curare, ut carceres effringi non poſſint, utquè nullum apud captivum ſit inſtrumentum ad eos effringendos, aut ſecandos aptum, & propterea eos ſæpiùs viſitare.

102. Si in perpetrato à pluribus latrocinio eorum aliqui capti fuerint, qui accuſatori pro damnis integrè ſatisfecerint, deinde verò & reliqui ſocij capti fuerint, & aliquem culpaverint, quòd ex ijſdem rebus per vim ereptis aliquid emerit, qui verò hoc requirat, nemo fuerit, adigatur iſte rei per latrocinium ereptæ emptor ad ſolvendum damnorum refuſionem parem ei, quàm alij jam ſolverunt, & inferatur in Tzareum ærarium, cùm nemo adſit, qui pro eâ agat.

103. Si aliquis fur, vel latro præhenſus, & Moſchuam in Cancellaria latrociniorum, vel in alijs civitatibus in curiam adductus, dum torqueri deberet, ad differendam torturam dixerit, habere ſe aliquid grave ad Tzarem ſpectans dicendum, fides ei non præſtetur, ſed quæſtioni admoveatur quantocyùs, & poſt torturam de furto, aut latrocinio interrogetur, quid jam habeat dicendum, quod ad Tzarem ſpectet?

104. Fures, & latrones animarum perditores, qui in civitatibus per ſemeſtre in carceribus detinebuntur, non audeant Palatini, aut Conſules ſine Tzaris licentia dimittere, aut in ſervitijs, vel ſubjectione accipere, aut alij dare. Si verò contrafecerint, cædantur knutis ſine miſericordia, & ſolvant accuſatori damnum. Quòd ſi contra captivos nulla fuerint indicia furti, & latrocinij, undè ex juſtitia dimitti debeant, nihilominùs non audeant Palatini, nec alij ſine Tzaris

ris licentiâ eos in ſervitijs, vel ſubjectione accipere, aut alij dare. Contrafacientes puniantur, prout jam dictum eſt.

CAPUT XXII.

Quæ delictâ morte, quæ aliâ pœnâ punienda ſint.

1. SI aliquis filius, aut filia patrem, aut matrem occiderit, puniatur morte ſine ullâ remiſſione.

2. Quòd fiat de omnibus, qui parricidij ſocij fuerint.

3. Sed ſi pater, aut mater filium, aut filiam occiderit, luat pœnam annui carceris, quo expleto, ducatur in templum DEI, ut peccatum ſuum omnibus manifeſtet, morte autem non afficiatur.

4. Si aliquis filius, aut filia legis Chriſtianæ oblita patri, aut matri maledixerit, ſive ex ira manu percuſſerit, & de hoc pater, aut mater eum, vel eam accuſaverit, knutis cædatur.

5. Si verò à patre, aut matre bona vi eripuerit, & honorem ijs debitum negando domo expulerit, & malè de ijs locutus fuerit. Vel ſi eum, vel eam in ſenectute non honoraverit, non aluerit, nec ulla neceſſaria ſuppeditaverit, unde eum pater, vel mater Tzari accuſaverit, knutis ſine ulla miſericordia cædatur, mandeturquè ei, ut patri, & matri obediat, honorem debitum deferat, cum ijs non contendat, & quicquid contra eos dixerit, nullam fidem inveniat.

6. Si filius, aut filia patrem, aut matrem in judicium vocare auſus, vel auſa fuerit, nulla ei actio detur, ſed pro auſi ſui pœna cædatur knutis, & reddatur parentibus ſuis.

7. Si aliquis per ſe, vel per alium fratrem, aut ſororem occiderit, ultimo ſupplicio ipſe, & mandatarius æquè afficiantur.

8. Si ſervus occidere dominum ſuum cogitaverit, aut arma contra eum animo occidendi evaginaverit, manus ei amputetur.

9. Si verò occiderit, morte afficiatur ſine ullâ miſericordiâ.

10. Si quis poſthabito timore DEI, Tzaris indignatione, & pœnâ aliquem in ludibrium martyrio affecerit, manum, vel pedem, vel naſum, vel aurem ei abſcindendo, ſive os circumcidendo, aut oculum eruendo, re compertâ, patiatur, quod alteri fecit, & inſuper ſolvat mutilato pro manu abſciſsâ rublos quinquaginta, totidem pro pede, & pro quocunque alio illato vulnere.

11. Si verò aliquem in domum ſuam invitaverit, vel vi traxerit, eumquè ibi fuſte, vel knutis, vel virgis cæciderit, & hoc probatum fuerit, cædatur illuſor per forum knutis, & in carcerem ad knutos per menſem trudatur, ſolvatquè cæſo biſzeſtiam, pro percuſſione in duplo.

12. Quòd ſi hujus contumeliæ illator ſervus alicujus fuerit, torqueatur, ut dicat, cujus inſtinctu hoc fecerit? ſi dixerit domini ſui inſtinctu, vel alterius cujuſcunque hoc à ſe factum, ipſe, & alius mandans æquè knutis per forum cædantur, & in carcerem ad knutos per menſem conijciantur, & mandans ſolvat illuſo biſzeſtiam in duplo.

13. Nequiſſimi illi, qui inter homines diſcordias ſeverint, eosquè invicem peſſimâ mente irritaverint, morte afficiantur.

14. Si uxor concitaverit aliquem, ut maritum ſuum occidat, vel veneno propinato eum interemerit, re compertâ, viva defodiatur in terram, ibiquè irremiſſibiliter ſine ullâ miſericordia moriatur. Et quamvis aderint occiſi filij, aut agnati, qui mortem ejus deprecentur, non audiantur, & ſine miſericordia in terrâ defoſſâ permaneat, quouſquè mortua fuerit.

15. Si qua mulier ad mortem damnata prægnans inventa fuerit, differatur ejus ſupplicium uſquè ad partum, & poſt hunc ſententia de eâ in executionem mittatur. Interim verò vel in carceribus, vel apud bonum Priſtavum detineatur, ne aufugiat.

16. Si quis in alicujus domum intraverit animo violandi, vel rapiendi matremfamilias, ſervi autem eam non defenderint, imò violenti conatum juverint, re compertâ, & ille, & iſti ultimo ſupplicio afficiantur.

17. Si quis ex petulantiâ, vel ebrietate, vel animo deliberato in fœminam maritatam equum impulerit, unde eam is calcibus impetierit, aut ad caſum in terram truſerit, unde miſera injuriâ affecta, aut vulnerata fuerit, aut, cùm prægnans eſſet, abortum fecerit, cædatur ille knutis ſine miſericordia, & trudatur in carcerem ad knutos per trimeſtre, ſolvatquè mulieri biſzeſtiam in duplo, ſed ſi mulier mortua fuerit, etiam ille afficiatur morte.

18. Sed ſi omnia ſupradicta evenerint ſine ejus dolo malo, puta, quod equus perterrefactus frœnum fregerit, unde retineri à ſeſſore non potuerit, nulli pœnæ ſubjaceat.

19. Si quis ex mandato alicujus aliquem occiderit, ipſe, & mandans ultimo ſupplicio afficiantur.

20. Si aliquis vel in aves, vel in feram, vel in metam ſagittas ex arcu emittendo, vel ſclopetum exonerando per deſultantes globulos, vel ſagittas aliquem poſt montem, vel ſepem occiderit; vel ſi quis qualicunquè modo aliquem vel ligno, vel lapide ignoranter interemerit, nullaquè ei cum occiſo antea contentio, aut inimicitia interceſſerit, re probatâ, nulli pœnæ ſubijciatur in facto merè caſuali, in quo voluntas nullum præſtitit aſſenſum.

21. Si ſervus defendendo dominum ſuum aliquem occiderit, vel vulneraverit, nulla ei culpa imputetur, ſed reſpondeat de hoc facto ejus dominus.

22. Sed ſi aliquem ſuâ ſponte domino inſcio occiderit, hicquè ad ſe purgandum illum in Cancellariam captum adduxerit homicidium ejus manifeſtans, nulli omninò pœnæ, aut moleſtiæ dominus ſubjaceat, ſed homicida ultimo ſupplicio afficiatur.

23. Si quis alicui venenum propinaverit, unde mortuus fuerit, torqueatur ad eruendum ab eo, an ante hac aliquod aliud ſimile crimen patraverit, & poſt torturam morte plectatur.

24. Si paganus aliquis qualicunque modo, vi, vel fraude Ruſſum aliquem ad paganiſmum induxerit, & ex more paganæ ſuæ ſectæ circumciderit, re probatâ, comburatur ſine ulla miſericordia. Ruſſus autem circumciſus remittatur ad Patriarcham, ſive ad ordinarium ſuum cum mandato, ut corrigatur juxta præcepta Apoſtolorum, & Sanctorum Patrûm.

25. Si

25. Si quis cum muliere, aut virgine coïerit, cædantur omnes knutis.

26. Si qua mulier conjugata vitam inhoneſtam, & impudicam ducens gravida facta abortum procuraverit, vel partum ipſa per ſe, vel alium occiderit, re probatâ, ipſa, & mandatarius ſine ulla miſericordia ultimo ſupplicio afficiantur, ut alij ſint in exemplum.

CAPUT XXIII.

De Strelicijs.

1 CAuſæ omnes ad Strelicios pertinentes, excepto furto, & latrocinio cum infamia, judicentur in Cancellaria Strelitiorum. Quantùm verò ab ipſis pro pœnæ ſolutione exigendum ſit, ſuperiùs notatum eſt.

2. Si verò Strelicius egerit contra aliquem alicujus ex alijs Cancellarijs notioni ſubjectum, teneatur libellum ſuum in ſua Streliciorum Cancellaria ſubſcribi curare, & ſine hac ſubſcriptione nullibi ad agendum admittatur. Sed ſi aliquis vice versâ Strelicium reconvenerit, in eadem Cancellaria audiatur.

3. Si Strelicius alium Strelicium de injuria ſibi, vel uxori ſuæ ab eo factæ poſtulaverit agens ad biſzeſtiam, re probatâ, condemnetur injuriator ad eam ſolvendam. Quòd ſi ſupplex Tzari expoſuerit, ſe non eſſe ſolvendo, ideoquè petat pœnæ commutationem, cædatur knutis, ut diſcat ipſe, & reliqui ſuo exemplo ſocios ſuos, aut eorum uxores injuriâ non afficere.

CAPUT XXIV.

De Coſacis, & eorum officialibus.

1 COſacis, & eorum officialibus, ſive actores, ſive rei fuerint, juſtitia in omnibus cauſis juxta obligationes, actaquè, & probata adminiſtretur, & à reis conventis in cauſis duodecim rublos non excedentibus nullæ pro Tzare ſportulæ exigantur, in excedentibus verò exigantur juxta conſtitutionem. Si quis verò eorum aliquem poſſeſſionatum injuriâ affecerit, ſolvat ei biſzeſtiam juxta poſſeſſionem, ei autem, qui nullas poſſeſſiones habuerit, quinque rublos.

2. Præfectis fabrorum, qui ſclopos conficiunt, ſolvantur pro biſzeſtia quinque rubli. Fabris verò quatuor. Pro damnis autem illatis, ſi quis in ſuo libello quantitatem non expreſſerit, fiat ad taxam ſubſequentem æſtimatio. Pro equo rublos octo, pro equa Nagaienſi ſex: pro pullo equino Nagaienſi tres: pro mediocri quatuor: pro equa Ruthena tres: pro equo Rutheno trimo unum cum dimidio: pro vacca duos, & totidem pro bove: pro vitulo anniculo viginti altinos: pro ſue adulto totidem: pro ſue anniculo quinque: pro ove ſex cum duobus copichis: pro agno quinque altinos: pro agniculo tres: pro hirco quadrimo, vel quinquenni dimidium rubli: pro hirco trimo tredecim

alti-

altinos cum uno copicho: pro hirco anniculo quadrantem rubli: pro capra idem: pro hœdo tres altinos. Frumenti verò taxa sit juxta pretium, quo in foro venditur. Pro anſere vivo decem copichos: pro mortuo duos altinos: pro anate vivo totidem: pro occiſo quatuor copichos: pro gallina Indica ſex altinos cum duobus copichis: pro gallina ordinaria quatuor copichos.

CAPUT XXV.

De Tabernis.

1 NEmini liceat potum qualemcunque vendere, aut vinum aduſtum ad vendendum diſtillare: contrafacientes pro prima vice ſolvant quinque rublos, potatores verò ſinguli dimidium: pro ſecunda verò venditor decem, & cædatur knutis per forum, potator dimidium, & cædatur virgis.

2. Si verò tertiâ vice contravenerint, ſolvat venditor viginti rublos, & trudatur in carceres ad arbitrium Tzaris. Potator verò ſolvat unum rublum, & cædatur knutis.

3. Potatores, qui adducti ad Cancellariam in examine dixerint, ſe à cauponario crematum emiſſe, vel emptum in ejus domo bibiſſe, ſi cauponarius hoc negaverit, torqueantur, & ſi in dictis ſuis perſtiterint, torqueatur etiam cauponarius: ſi dixerit, crematum, quod potatores in domo ſua biberunt, à ſe extra tabernam ab aliquo emptum fuiſſe, examinetur etiam iſte, & confrontetur cum cauponario, & torqueatur: ſi confeſſus fuerit, cauponarius cædatur knutis per forum, ſolvatquè pro prima vice quinque rublos, pro ſecunda decem, & denuò cædatur knutis, adigaturquè fidejuſſores præſtare, qui pro eo ſpondeant cum inſcriptione, quòd hoc in poſterum ampliùs non ſit facturus. Quòd ſi tertiâ vice peccaverit, cædatur knutis, trudaturquè in carceres per ſemeſtre. Illi verò, qui apud aliquem potum emerint, ſolvant ſinguli pro prima vice binos rublos, & virgis ſeverè cædantur, pro ſecunda ſolvant ſex, & cædantur knutis ſuper caprâ, & trudantur in carceres ad duas hebdomadas. Pro tertia vice verò ſolvant itidem ſex rublos, cædantur knutis per forum, & conijciantur in carceres per menſem, fidejuſſoreſquè præſtent, qui ſpondeant pro eis, quòd in poſterum à nullo cauponario potum ement, aut eum apud illum bibent. Si verò quartâ vice contravenerint, cædantur per plateas, & forum knutis, & in exilium mittantur, quò Tzar juſſerit, bonaquè eorum omnia, domus, poſſeſſiones, & patrimonia Tzareo fiſco cedant. Venditores verò pro quarta vice cædantur pariter knutis per forum, & in carceres ad annum conijciantur.

4. Si quis aliquem detulerit de vino aduſto vendito, eumquè deinceps excuſaverit, probeturquè falſa delatio, cædatur knutis per forum, & ſolvat delato biſzeſtiam in duplo.

5. Si aliquis crematum ab aliquo ſe emiſſe dixerit, is verò negaverit, undè ambo ad quæſtionem provocaverint, torqueatur prior emptor, & ſi in tortura in dicto ſuo perſtiterit, torqueatur deinde venditor, & fiat ſententia ſecundum æquitatem.

6. Si alicujus ſervus, vel famulus, vel ſubditus adductus fuerit

rit ad Cancellariam accuſatus, quòd potum vendiderit, is autem dixerit, quòd crematum à ſe venditum à domino ſuo furto abſtulerit, torqueatur cum interrogatione, an hujus venditionis dominus ejus conſcius fuerit? ſi reſponderit, dominum ſuum nihil de eâ ſciviſſe, & hoc verùm eſſe compertum fuerit, cædatur venditor knutis per forum, & domino ſuo reſtituatur, qui invigilare tenebitur ſuper ſervos, famulos, & ſubditos ſuos, ne crematum vendant. Quòd ſi horum aliquis ob domini negligentiam denuò illud vendiderit, ſolvat dominus decem rublos pro ſingulis contrafacientibus, & hi cædantur knutis per forum, & conijciantur in carceres ad Tzaris arbitrium.

7. Si aliquis, cujuſcunque ſtatus ille fuerit, adductus fuerit ad Cancellariam cum vino aduſto, & in examine dixerit, ſe ab aliquo Bojaro, vel poſſeſſionato, vel patrimoniato cujuſcunque conditionis illo fuiſſe donatum, vel pro mercede laboris ſui illud accepiſſe, & hoc idem teſtificatus fuerit ille, qui crematum ei dedit, nulli pœnæ ſubijciatur.

8. Si apud aliquem ex ijs, quibus prohibitum eſt potum domi habere non manifeſtatum, potus talis repertus fuerit, ſolvat pro contraventione quinque rublos, & potus Tzari cedat.

9. Si quis tanquam emptor cremati ad Cancellariam adductus in examine nominaverit venditorem, ſed quæſtioni adhibitus dixerit, ſe per colluſionem cum adductoribus ſuis illud dixiſſe contra veritatem, torqueatur denuo, & ſi in dicto ſuo perſtiterit, torqueantur adductores, & ſi colluſionem confeſſi fuerint, cædantur knutis alijs in exemplum. Sed ſi negaverint, torqueatur iterum adductus, & ſi perſtiterit in ſuo dicto, decernatur de cauſa ſecundùm juſtitiam.

10. Si aliquis Moſchuæ à Strelicijs in Cancellariam Streliciorum adductus, & ab hac in novam remiſſus, vel ad hanc rectà à Nobilium filijs adductus fuerit, ſine cremato tamen, & necotiana, culpatus autem ab adductoribus ſuis fuerit, quòd præhenderunt eum ebrium, & potantem in domo ſuſpecta, & quod multi diverſæ conditionis mercatores eum è manibus eorum liberare conati fuerint. Is verò hoc totum negaverit excipiendo de falſa adductorum delatione, vel dixerit, quòd non in popina, ſed in domo amici, aut conſanguinei tanquam hoſpes biberit hocquè amicus, aut conſanguineus pariformiter teſtificatus fuerit, fiat de facto inquiſitio, & juxta reſultantia ex ea procedatur.

11. Anno præterito 7142. ex mandato piæ memoriæ Magni Domini Tzaris, & totius Ruſſiæ Magni Ducis Michaëlis Fedorowitz facta fuit Moſchuæ, & in civitatibus prohibitio, ne aliquis ſive Ruthenus, ſive advena ullibi necotianam habeat, bibat, aut vendat ſub pœna tam emptoribus, quàm venditoribus comminata, ut capti, & in novam Cancellariam adducti poſt probatam contraventionem ultimo ſupplicio afficiantur ſine ulla remiſſione, bonaquè eorum omnia vendantur, & pretium inde retractum Tzareo fiſco cedere debeat. Et nunc Dominus Tzar, & totius Ruſſiæ Magnus Dux Alexius Michaëlowitz mandavit, & Bojari conſtituerunt, ut ſupradicta conſtitutio ſit in omnibus confirmata, & extendatur ad omnes illos, apud quos in poſterum necotiana inventa fuerit.

12. Si quis cum necotianâ in Cancellariam adductus dixerit, ſe eam ab advenis Lituanis emiſſe, torqueatur, & ſi in dicto ſuo perſtiterit,

necotianæ verò apud eum inventæ magna quantitas fuerit, denuò torqueatur, & si in primo dicto suo perstiterit, pro necotiana apud eum repertâ procedatur cum eo, prout superiùs constitutum est.

13. Sed si dixerit, se eam à Rutheno aliquo, vel ab extero Tzari serviente emisse, præhendatur culpatus, examinetur, & cum culpante confrontetur, siquè ad torturam devenire necesse fuerit, etiam torqueatur, & sententia secundùm justitiam proferatur.

14. Si adductus fuerit cum necotiana Strelicius officio privatus, sive advena, sive Bojari servus, vel subditus, vel famulus, vel quicunquè incerti statûs homo, & hic adductus in examine dixerit, quòd eam invenerit: vel si aliquis delatus fuerit, quòd necotianam vendiderit, ipse verò hoc negaverit: vel si in domo alicujus inventa fuerit necotiana, & iste negaverit suam esse, nescirequè se dixerit, cujus sit, nisi aliquis ex odio, aut ipsimet necotianæ repertores eam in domum suam clàm intulerint, torqueatur, & si in dicto suo perstiterit, liberetur; sed si verè apud eum fuerit necotiana inventa, alicujus humeris superpositus knutis cædatur: pro ea verò, de qua nescitur, torqueantur etiam illi, quos culpaverit.

15. Si aliquis Strelicius, vel cujuscunque status homo mercaturam exercens adductus fuerit cum necotiana, & in examine dixerit, eam sibi ab adductoribus suis suppositam fuisse, fiat ejus cum his confrontatio, & si res ad torturam devenire debebit, ipse prior torqueatur: si perstiterit in dicto suo, torqueantur ejus adductores, qui, si crimen confessi fuerint, cædantur knuto pro sua correctione, & cæterorum exemplo.

16. Quòd si Strelicius, aut incerti status homo, aut alius quicunquè bis, vel ter cum necotiana adductus fuerit, torqueatur pluries, & ante Cancellariam, vel per forum cædatur knutis, & si pluries adductus fuerit, nares ei abscindantur, & post torturam, & knutorum correctionem mittatur in exilium, quò Tzar jusserit, in aliorum exemplum.

17. Si filij Nobilium, aut aliqui alij cauponarios, & necotianæ venditores, aut aliquem, in cujus domo crematum, aut necotianam invenerint, præhenderint, prænensi vero illis quinque, vel decem, vel triginta, vel plures rublos solverint, ut sibi parcant, & cum crematо, vel alio potu, aut necotiana in Cancellariam novam non adducant, & prænensores pecunijs acceptis eos nihilominùs in Cancellariam adduxerint acceptas pecunias manifestantes, relinquantur eis.

18. Sed si acceptis pecunijs eos dimiserint, re compertâ, torqueantur, & post torturam cædantur knutis, & ex Cancellariâ expellantur officijs suis privati.

19. Si quis cauponarios, vel necotianæ venditores, vel potatores à filijs Nobilium, & alijs eorum adductoribus eripere conatus fuerit, re probatâ, cædatur knutis ante Cancellariam, & per forum, alij verò coadjutores virgis juxta inquisitionem in aliorum exemplum.

20. Tributarij homines in pagis, & suburbijs eligant quotannis inter se decimum quemque hominem, eorumquè electionis documentum manu suâ subsignatum in Cancellariam novam adferant. Electi verò, unusquisque inter decem sibi subjectos, fideliter, & diligenter invigilent,

gilent, ne ullæ cauponæ cremati, cerevisiæ, mulsi, aut cujuscunquè potus, vel necotianæ sint, & nullum flagitium apud quemquam perpetretur.

21. Si quis ad mulsum, vel cerevisiam coquendam, vel ad crematum emendum permissionem habuerit, limites suæ permissionis non excedat.

22. Quòd si in aliqua ex supradictis decurijs aliqua potûs, vel necotianæ venditio, vel aliqua alia nequitia fiet, aut potus supra concessionem apud aliquem fuerit, teneatur decurio electus de hoc in Cancellariam novam delinquentem deferre.

23. Quod si facere neglexerit, solvat ipse, & delinquens singul decem rublos, reliqui verò octo in decuria singuli quinque rublos.

24. Hoc autem decurio unusquisque in sua decuria districtè curare debebit, & diligenter invigilare, ne scilicet, si aliquis Nobilis filius in eorum ædes ad habitandum intromittetur, qui crematum cum licentia habuerit, supra hanc aliquid habeat, nevè eum sine manifestatione in ædes suas intromittant. Quòd si apud aliquem venale crematum esse decuriones sciverint, significent hoc in nova Cancellaria, & cum delinquente procedatur juxta Tzaris constitutionem ad pœnam habito respectu ejus conditionis.

25. In civitatibus autem eâdem, quâ suprâ, pœnâ puniantur cauponarij, & necotianæ venditores, & eadem sit cum ijs procedendi forma.

Finitus hic liber ex mandato Magni Domini Tzaris, & Magni Ducis Alexij Michaelowitz totius Russiæ Autocratoris.

F I N I S.



Cùm Statuta Moſchovitica pœnam knuti & virgarum, ſolutionemquè biſzeſtiæ delinquentibus frequenter commineantur, operæ prætium erit enarrare, quid ſint.

Damnatus ad knutos femorum tenus nudatus carnificis vicarij dorſo, ejusdem collum brachijs ſuis cingens, ſe aptat. Ut autem ad doloroſos knuti ictus nec calcitrare, nec movere ſe queat, utramquè ejus manum ſuis ille ſtringit, aliuſquè funiculum, quo pedes ejus juncti vinciuntur, preſsè tenet. Tunc judicis famulus ex charta legit, quot miſer verbera excipere debeat, illicoquè tortor flagrum expedit, in cujus longi extremitate lori alia tria pendent digiti menſuram æquantia à nondum elaborato & cultri ad inſtar ſecante alcis corio reciſa, hocquè per exertum utrumque brachium quantâ maximè vi pollet in damnati dorſum vibrans tales illi infligit plagas, ut ad quamcunque fluidus manet ſanguis tanto patientis dolore, ut deliquium animæ infirmiores patiantur, imò eam etiam robuſtiores, ſi pro modo alicujus atrocioris delicti cædantur, efflent. Cùm autem hâc pœnâ ex frequentibus legum prævaricatoribus unus, vel alter, aut etiam plures ſucceſſivè ſingulis diebus Moſchuæ in ipſis carceribus ad ſtatutorum præſcriptum plectantur, eorumquè ejulatus aures feriant pertranſeuntium, factum eſt, ut hos quiſpiam audiens ſibi priùs, & deinde mutuato calamo orbi impoſuerit, carceris eos acerbitati, & non knuti percuſſionibus, erroneè adſcribens.

At corrigendus virgis exuitur omnibus uſque ad induſium veſtibus, & prono corpore humi proſternitur. Capiti ejus alter ex percuſſuris inſidet, alter tibijs, & ambo tremulis, ac vacillantibus virgis tergum ejus multis, aut paucis, juxta judicis ſententiam, verberibus cædunt.

Biſzeſtiâ verò eſt multa pecuniaria, quæ ab injuriante, vel lædente ſolvitur ad ſtatutorum normam injuriato, vel læſo ſecundum ejus dignitatem, vel annuum ſtipendium, vel ſtatutorum taxam. Quod ſi ille ſolvendo non ſit, mittitur ad hujus ædes, ut de eo ad libitum ſtatuat.

Russia.

1 Topograph. et Itinera

6. — Europ. Russ. Specia